Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Michael Lange

Ad B. D. Joh. Guil Bajeri, Theologi Etiam Post Fata Celeberrimi, Compendium Theologiae Moralis, Supplementa : Hoc Est Continuatio Annotationum ...

Jenae: Bailliar, 1703

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

O. G. Tychsen
Altonae 1755
D. 30 Julii

f. h. - 3168 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0002
DFG

AD

B. D. IOH. GVIL BAJERI,

THEOLOGI ETIAM POST FATA CELEBERRIMI,

COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS,

SVPPLEMENTA

HOC EST

CONTINVATIO ANNOTATIONUM, QUÆ OPERI ILLI BAJERIANO POSTHUMO, ULTRA PARTEM DIMIDIAM DESVNT, UT ET PARTIS SPECIALIS CAPITIS PRIMI, SECTIONIS TERTIÆ *NOVÆ ALIQVOT SVBSECTIONES QVIBVS OFFICIA PASTORALIA QVÆDAM PAVLO PLENIVS EXHIBENTVR:*

CUM INDICE DVPLICI,

PRIMO, LOCORVM SCRIPTVRÆ PLENIVS TRACTATORUM; *ALTERO*, RERUM ET VERBORVM:

AVCTORE

JO. MICH. LANGIO, Th. Doct.

ET PROFESS. PVBL. ALTDORF. IBIDEMQVE VERBI DIVINI MINISTRO

JENÆ

Apud ERNESTVM CLAVDIVM BAILLIAR.

ANNO 1703.

PRÆFATIO.

AD LECTOREM BENEVOLVM.

ANnus nunc labitur, ex quo LECTOR COLENDE, TIBI meum in hoc Studii genere inserviendi primum quodammodo conatum probavi, edendo NOTAS quasdam POSTHUMAS, quas CL. Professor quondam nostras, B. JOH. CONRADVS DVRRIVS, ad suum THEOLOGIÆ MORALIS COMPENDIUM, tertia vice tunc editum, reliquerat.

Succedit nunc specimen quasi secundum, dum hæcce mea, ad B. D. IO. GVIL. BAJERI, Theologi primò Jenensis, deinde Halensis, & tandem Vinariensis optimè meriti, COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS, SVPPLEMENTA Tuis consecro usibus, aut, si mavis, Studiosæ juventutis commodo.

An hicce meus qualiscunque labor sit TVÆ satisfacturus exspectationi, docebit dies: Ego saltem fui annisus, ut me illos, in quorum gratiam hæc præcipue conscribenda erant, hoc est, Studiosos Theologiæ practicæ, lectionis omnino pœnitere posset.

Cur hocce potius, quam aliud, cui meam operam sacrarem, elegerim Theologiæ Moralis Compendium; haud putarum pluribus edocendum esse. Commendat Compendium Bajerianum non modo (1) quod in officiis specialibus Christianorum tradendis indicandisque distinctius sit reliquis plerisque; sed quam maximè etiam (2) illud, quòd methodo magis Practica sit adornatum. Moralistæ reliqui feri acquiescunt in explicatione Virtutum Officiorumque Christianorum, hisque oppositorum vitiorum peccatorumque: rarius admiscent *Motiva*, quibus ad officia præstanda, & ad peccata declinanda impellimur & permoveri possumus. At noster beatus Bajerus in suo Compendio non tantum ubique Motivis peculiarem locum dedit; sed etiam præterea tradidit *Media*: imo ulterius etiam, quæ sint *Impedimenta*, fideliter monuit, submini stratis insuper consiliis de iisdem removendis.

Id

Id quod non potest non plurimum praxin adjuvare, & illorum favere conatibus, qui non tam propter Theoriam, quam propter exercitia Christianissimi, Theologiæ Morali studeant. Malueram igitur huic Compendio, quam forte alii, cui hæc methodi dexteritas defuisset, inhærere, & aliis etiam auctor esse, ut mecum ad hunc potius, quam alium Theologiam Moralem tractandi modum attenderent.

Cæterum par esse puto, ut BENEVOLO LECTORI, supplementorum horum natales, & fata scopumque indicem; utpote quorum cognitio haud raro lucem Lectioni adferre poterit. Nata sunt hæc supplementa, non ut publicæ luci inservirent, sed ut satisfacerent desiderio quorundam, qui in collegio privato explicationem Compendii Bajeriani postulaverant. Nimirum meruit hicce liber Bajerianus non modo nondum editus desiderari, sed etiam postquam tandem ante hos duos annos prodierat, publico excipi applausu, adeo, ut vix anno vertente, prælo jam repetendus esset. Cum autem ultra mediã tractationis partem, ex dictatis Manuscriptis suppletus, Notarũ necessariũ apparatu careret; postulabatur passim, maxime à ju-

ventute Studiosâ, hujus etiam defectus medicina. Nec enim videbatur illa libri pars, quæ Notis carebat, Studiosis satis commoda, nisi haberent, qui lucem affunderent textui nimis succincto. Desiderabatur itaque etiam Opera mea à compluribus commilitonum, quorum petitis collegio in privato pro viribus respondere annitebar. Dum hæc Altdorfii ago, accidit, ut quidam sacri Ministerii Candidatus & literarum cultor non infelix, Jena Altdorfium, visendæ nostræ Academiæ gratia, profectus, forte fortuna ea ad me veniret horâ, quâ Compendium Theologiæ Moralis Bajerianum interpretabar. Hic, cum de meo instituto certior esset factus, Jenam redux, mox Bibliopolæ illud exposuit, qui literis ad me datis petiit, & impetravit quoque, ut in Notarum mearum editionem consentirem. De reliquo cum primitus statim convenisset inter B. D. Bajeri Hæredes & inter Bibliopolam, ut hic operi Bajeriano nihil alieni laboris, per modum supplementorum, misceret; rogaverat simul Bibliopola, ut meis Notis formam libelli peculiaris induerem, easque ita publici facerem juris. Cum nec hoc ejus consilium displiceret; enascebatur ea hujus opusculi facies, quâ hic

vide

vides. Incipiebam ab illo aphorismo B.D. BAJERI, in quo ejus exspiraverant Notæ, h. e. ab *Aphorismo V. sectionis primæ Capitis IIX. Partis III. in Parte* Compendii hujus *Generali*; indeque progressus, non tantum per omnem B. Auctoris textum, notarum luculã sparsi; sed etiam, cum viderem, inter Officia Pastoralia quædam deesse, quæ tamen Studiosa juventus ignorare non deberet, mei officii esse credidi, meis notis ad methodum Auctoris, quoque integras aliquot inserere, quas vocat, Sub-Sectiones, quibus ipsum Auctoris textum supplerem. Hinc invenies in *Partis specialis Capite primo sectione tertia, Sub-Sectionem* peculiarem *de Copulatione Neogamorum;* alteram *de sepultura eorum, qui in Ecclesia moriuntur;* tertiam de *Visitatione & cura Pastorali Ægrotorum, Parturientium, Moribundorum & Tentatorum.* In singulis annitebar exprimere B. D. Bajeri methodum: dum, ad filum auctoris, *primò* recensui Officia, *deinde* Peccata, *tertiò* Motiva, *Media & Impedimenta* (uti etiam Auctor in Officiis hisce specialibus haud raro facere consvevit) ex præcedentibus Sub-Sectionibus aliquando repetenda, monui, alicubi distincte etiam supplevi: ut adeò sic satis me D. Bajeri vestigia, ratione methodi

thodi, pressisse existimem. Sed nec meis hisce novis Sub-Sectionibus volui deesse Notas, quas ita admiscui, quemadmodum suas suo Textu Auctor beatus.

Tandem cum prævíderem, prolixæ huic Notarum farragini, nihil æque atque indice opus esse; hinc nec hac ex parte TIBI, LECTOR COLENDE, volui deesse. Invenies itaque ad operis calcem *Indicem* geminum, *unum* Dictorum Scripturæ, quæ uberius paulo vel explicaveram, vel vindicaveram; *alterum* vero Verborum & Rerum potiorum, quas in hisce Notis tetigi aut pertractavi. Utere, LECTOR BENEVOLE, hoc meo conatu eâ integritate, quâ eundem Tuis usibus consecro. Non ambio ex editione auram, neque adeo sum inanis, ut existimem, accuratiora his dici non posse: sed cupio studiosæ juventuti prodesse, cujus usibus, non autem acumini Criticorum, multo minus cavillatorum hæc commodata effingere laboravi. De erratis typographicis, quorum nonnulla prælum à me distans minatur, si quæ fuerint exstantiora, LECTOREM, volente DEO, sub finem monebo. Hæc præfationis loco sufficiant. Vale, LECTOR COLENDE, & me ex mea intentione æstima.

SUP-

SUPPLEMENTUM
ANNOTATIONUM
IN
B D. JOH. GVIL. BAJERI
COMPENDIUM
THEOLOGIÆ
MORALIS.
AD
PARTIS III. CAP. VIII.
SECT. I.

Pag. 454. §. V.

AD conversationem cum DEO:] In medii hujus applicatione felici cumprimis excelluit David. Conf. *Psal. XXVI. 6. 7. XXVII. 4. XLII. 2. seqq. LXXIII. 28. &c.* Et quidem adeo profecit ex illa conversatione cum DEO, ut omnia ipsi cũ tractatione verbi Divini & cultus sacri amœnitati-

bus colluta sorderent. Vid. *Psal. XXCIV. 11. CXIX. v. 46. 72. 103. &c.*

Ibid. Preces:] Hoc medium sæpius commendatũ ab auctore nunquam satis commendari potest, in quacunque demum parte studii Theologici & veræ pietatis occupemur. Uti enim in Lumine DEI videmus lumen, *Psal. XXXVI. v. 10.* ita precibus ad Patrem luminum fusis tandẽ accipimus omne donum bonum & perfectum. *Jac. 1.* Hinc semper Theologiæ veri cultores precibus primũ in studiis suis adsignarunt locum. *B. Lutherus Præfatione* verè aureâ in *primũ Tomum Jenensem German.* cùm arcanam & genuinam methodum studii Theologici revocasset ex *Psal. XCIX.* ad hæc tria capita, ORATIONEM, MEDITATIONEM & TENTATIONEM; de ORATIONE prorsus insignia hæc dedit verba: Erstlich sollst du wissen/ daß die Heil. Schrifft ein solch Buch ist/ das aller anderer Bücher Weißheit zur Narrheit macht/ weil keines vom ewigen Leben lehrt/ ohn diß allein. Drum solst du an deinem Sinn und Verstand stracks verzagen; dann damit wirst du es nicht erlangẽ/ sondern mit solcher Vermessenheit dich selbst/ und andere mit dir/ stürtzen vom Himmel (wie Lucifer geschahe) in den Abgrund der Höllen. Sondern knie nieder in deinem Kämerlein/ und bitte mit rechter Demuth und Ernst zu GOtt/ daß Er dir durch seinem lieben Sohn wolle seineni Heiligen Geist geben/ der dich erleuchte/ leite und Verstand gebe.

be. Wie du sieheſt/was David in obgenannten Psalm immer bittet/**lehre mich; HErr/unterweise mich; führe mich; zeige mir**/und der Wort vielmehr/so er doch den Text Mosi und andere Bücher mehr wohl kunte/auch täglich hörete und lase: noch will er den rechten Meister der Schrifft selbst dazu haben. Auf daß er ja nicht mit der Vernunfft drein falle und sein selbst Meister werde: dann da werden Rotten-Geister aus/die sich lassen dünckẽ/die Schrifft sey ihnen unterworffen/und leichtlich mit ihrer Vernunfft zu erlangen/als wann es Marcolfus oder Esopus Fabeln/da sie keines heiligen Geistes noch Betens zu dürffen. Hæc optime Lutherus contra profanos istos Theologastros, quĩ contra clarum verbum DEI *II. Petri I. v. 20.* ita scripturas involant suis carnalibus præjudiciis, *ac si Prophetica Scriptura* esset *privatæ interpretationis*, & sine Spiritu & illuminatione DEI posset intelligi. Ne verò incidamus in Scyllam Fanaticorũ, & nostra deliria obtrudamus aliis, tanquã lumen divinitus exoratum; probè tenendum est, quòd ab hac precum pietate nunquam debeat abesse MEDITATIO Scripturarum, utpote quibus mediantibus nos DEUS illuminat, si illas didicerimus διὰ βιβλίου, cum *Timotheo II. Epist. III. 15.* vel, si cum viro illo beato, *Psalmo I. v. 2.* nostram habuerimus voluntatẽ in Lege Dominidies noctesque. Indissolubili igitur nexu cohæret cum Oratione Meditatio, de qua Lutherus cit loc. Zum

andern solst du meditiren/das ist/ nicht allein im Hertzen/ sondern auch äusserlich die mündliche Rede und Buchstäbische Worte im Buch inner treiben und reiben/lesen und wiederlesen/mit vielem fleißigem Auffmercken und Nachdencken/ was der Heil. Geist damit meynet. Und hüte dich/daß du nicht überdrüßig werdest/ oder denckest/ du habest es einmahl oder zwey gnug gelesen/ gehöret/ gesagt/ und verstehest es alles zu Grund: dann da wird kein sonderlicher Theologus nimmermehr aus/und sind wie das unzeitige Obst/das abfället/ehe es halb reif wird. Darum sieheſt du in demselben Psalm/ wie David immerdar rühmet/**Er wolle reden/tichten/sagen/singen/hören/lesen/Tag und Nacht/ und immerdar** / doch nichts/ denn allein von Gottes Wort und Geboten. Dann Gott will dir seinen Geist nicht geben/ ohn das äusserliche Wort/ da richte dich nach/ denn er hats nicht vergeblich befohlen/ äusserlich zu schreiben/ predigen/lesen/hören/singen/sagen. &c. Hæc. B. Lutherus.

Ibid. Una cum Cruce divinitus immissa:] *Vexatio dat intellectum auditui*, ut Vulgatus illud *Esaiæ XIIX. 19.* transfert. Huc pertinet illud Davidis *Psal. CXIX. 67. Priusquam ego humiliarer, errabam: nunc verò eloquium tuũ custodio:* adde *versum 71. Bonum mihi, quòd afflictus fui, ut discam statuta tua.* B. Lutherus cit. loc. tertium studii purioris Theologici caput constituit

stituit TENTATIONEM, de qua egregiè ita scribit: Zum dritten ist da/Tentatio, Anfechtung/ das ist der Prüfstein. Die lehrt dich nicht allein wissen und verstehen/sondern auch erfahren/wie recht/wie warhafftig/wie süsse/ wie lieblich/wie mächtig/wie tröstlich Gottes Wort seye/Weißheit über alle Weißheit. Darum siehest du wie David in dem genannten Psalm so offt klaget über allerley Feinde / frevele Fürsten oder Tyrannen / über falsche Geister und Rotten/ die er leyden muß/darum daß er meditiret/daß ist/mit GOttes Wort umgehet (wie gesagt) allerley Weiße. Denn so bald Gottes Wort aufgehet durch dich / so wird dich der Teufel heimsuchen/ dich zum rechten Doctor machen/und durch seine Anfechtungen lehren GOttes Wort zu suchen und zu lieben. Hæc de Tentationibus Theologicis B. Lutherus.

Pag. 455. §. VI. Præjudicia de verbi obscuritate:] Quod intelligi non posse credimus, illud etiam legere piget. Ex hoc præjudicio apud *Pontificios* interdicitur Laicis lectio verbi divini. Conf. *Pii IV. P. R.* Indicem librorũ prohibitorum, Regula IV. Alia mens erat *S. Petro*, Apostolo. Hic *II. Epist. I. 19.* laudat suos, quòd alieni fuerint ab hoc præjudicio, & potius *verbo prophetico attenderint, ceu Lucernæ splendidi in loco obscuro.*

Ibid. Scriptorum Doctorumque navis:] Hoc præjudicium plurimum impedimenti objicit ædificationi. Unde par est. ut Episcopi sint ἀνεπίλημπτοι, *irreprehensibiles, I Tim. III.*

2. & ἀνεγκλητοι, *inculpati, ad Titum I. 6. 7.* Objiciuntur autem varia sæpius Doctoribus & Scriptoribus, *vel* ex vero, *vel* ficto; & adeò nemo Doctorum & Scriptorum, sine omni inculpatione & nævorum objectione est, ut nigrum theta, nec Christus, nec viri Θεόπνευστοι, ob varia mortalium præjudicia & phantasiarum effectus sæpius contradictorios, effugere potuerint. Nihil tam malum & falsum est, quin suos reperiat defensores. Nihil tam bonum & verum, quin suos inveniat accusatores & hostes. Præjudicia interim sive sint falso, sive vero ex fundamento derivata, ædificationem sufflaminant. Quid verius Christo, qui ipsa veritas? Quid sanctius Christo, qui ipsa sanctitas? Sed audi præjudicia contra eundem. Patriæ infamia suspensum retinuit Nathanaelem, *Joh. I. 46.* Alii objecerant eidem educationis & parentum vilitatem, *Matth. XIII. 54. seqq. Joh. VI. 41. seqq.* Alios offenderat durities doctrinæ *Jo. VI. v. 60. 66.* Alios conversatio cum Publicanis *Matth. IX. 11. cap. XI. 19. Luc. XV. 2.* Quid? non defuerant, qui eidem in faciem exprobrarent Samaritanismum, & veneficia *Luc. XI. 15. Joh. VIII. 48.* Et quis omnia recenseret præjudicia, quibus ipse Christus in suo Ministerio fuit petitus & impeditus. Eadem fors erat omnium Prophetarum & Apostolorum *Matth. V. 10. 11. 12.* &c. Nec desunt hodie Achabi fratribus præjudicia contra *Micham I. Reg. XXII. 8.* E contrario uti olim non defuerunt pseudo-Prophetæ & doctores, qui fa-

cto

&to destruxerant, quod adstruxerant ore, exemplo Pharisæorum, de quibus Christus est conquestus *Matth. XXIII. v. 2. 3. quòd non fecerint, quæ dixerant*; ita hodie cumprimis proh dolor abundamus istiusmodi hominibus protervis, propter quos malè audit Nomen DEI & Evangelium Christi inter exteros, ut de spritu pharisaico Judæorum olim loquebatur Paulus *Rom. II. 24.* Ex Antiquitate Ecclesiastica tanquam ob hæc præjudicia scandalum passi, noti sunt præ aliis *Donatistæ*, & qui illorum vestigiis olim & nuper insistere deprehensi sunt, *Wiclefistæ*, *Anabaptistæ*, *Weigeliani*, nec non *Quackeri*, de quibus vide B. D. *Bajerum in Collat Doctr. Quakeror. & Protestantium Cap. XIIX. Thes. & Antithes. VI. ac Notis* ad easdem. De medicina his præjudiciis opponenda, *σ. τ. Θ.* dicemus ad paragr. sequentem.

Ibid. De Profectibus jam factis :] Hoc præjudicium impediebat ædificationem Pharisæorum *Joh. IX. v. 34.* Item juvenis illius *Matth. XIX. 20.* Simile præjudicium notat Paulus *II. ad Corinthios cap. IV. 8. Jam saturati estis, jam ditati estis, regnum absque nobis adepti estis, & utinam sanè regnum adepti sitis, ut & nos simul vobiscũ regnemus.* Huc pertinent illi scioli *Galat. VI. 3. I. Tim. I. 7.* &c.

Ibid. De Revelationibus immediatis Persvasio :] Hoc præjudicium exitio erat olim pseudo-prophetis *I. Reg. XXII. 24. Jerem. XXIII. 25. seqq.* & seculo II. a N. C. *Cataphrygibus* seu *Montanistis*; Seculo IV. *Euchitis* seu

Messalianis; Seculo VII. Famigeratissimo Pseudo-Prophetæ *Mohamædi*, qui sua divinitus se accepisse credebat, saltem jactitabat, & quidem eâ ratione, ut vel incautus, aut potius forte αὐτοκατάκριτος, in se diceret sententiam, *Surata, Bakara. v. 73. Væ autem illis, qui eum scribunt librum manibus suis, dicunt: hoc à DEO est! Ut comparent sibi res exigui pretii. Væ illis propterea, quod scripserunt manus eorum: & væ illis, quod eo lucrati sunt.* Similia exstant *Surata Caphi v. 14. Et quis improbior eo, qui de DEO mendacium commiscitur?* Utinam hæc multi rectiùs superiori Seculo expendissent, præcipuè *Anabaptistarum* & *Cœlestium Prophetarum* facilè Princeps, & seductæ plebis Dux infaustus THOMAS MUNZERUS, cujus funesta Tragœdia describitur pluribus *Tom. III. Jen. Germ. fol. 126. seqq.* Errori huic pestifero succinunt *Quakeri* hodierni, de quibus consule *B. Bajerum* in collat. cit. cap. I. quod est *de Revelationibus immediatis, tanquam Principio, normæ & judice Doctrinæ Fidei & Morum.*

Ibid. De differentia Status Ecclesiastici & secularis:] Multi sunt inter seculares, qui credunt, tractationem verbi divini, ejusque meditationem non pertinere ad se, sed ad Theologos; ferè quemadmodum Gallio *Actorum XIIX. 14. 15. 16.* à se repulerat quæstionis decisionem de cultu & Religione in DEUM, ratus, suum esse nonnisi secularia excutere.

Ibid. Deque Simplicitate cultus:]

tus:] Nec hoc infrequens est præjudicium. Sordet iis Scriptura & doctrina de Christo, qui sublimia sapiunt, ceu conqueritur Paulus *I. Corinth. I. v. 22. 23.* Alii, etsi non penitus repudient Scripturam; facilè tamen illam posse exhauriri, credentes, negligunt istam, satisque se Scripturas tenere autumant, ubi semel easdem perrarint... Sic offenduntur aliqui simplicitate Concionum & sermonis, vel etiam sacrorum verè Christianorum facie minùs splendida &c.

Ibid. Rerum terrenarum cura & amor:] Hæ curæ sunt illæ spinæ, de quibus Christus agit *Matth. XIII. 22. Luc. IIX. 14.*

Ibid. Exempla prava:] Huc refertur exemplum quinque fratrum Epulonis, qui scandalô mutuô ad contemtum Mosis & Prophetarum inducti colliguntur ex *Luc. XVI. 27. 28. & seqq.* Sic Judæis offendiculo erant Gentes partim vicinæ, partim permixtæ, *Judic. II. 12. 13.* &c. Item Jeroboamus Filius Nebal filius Israel idololatriâ *I. Reg. XII. v. 30. seqq.* Conf. Menassis Scandala, *II. Reg. XXI. 1. 2. seqq.* Maximè funestum est exemplum Jasonis, *II. Maccab. IV. 10. seqq.*

Pag. ead. §. VII. Scripturæ in necessariis Perspicuitas &c.] De Perspicuitate & majestate Scripturarû agitur in Theologia Positiva & Polemica: unde hæc remedia facilè repeti possunt.

Pag. 456. §. eod. Non tam ad amanuenses aut ministros:] De præjudi-

ciis, quibus tâm boni, quàm mali ministri sæpius premuntur, diximus ad Paragr. præcedentem. Dubium autem non est, bis peccare eos, qui in vitium credula turba sunt, & suis affectibus suaviter indulgentes, undecunque quô offendantur, conquirunt. Abundamus certè hominibus adeo suæ phantasiæ studiosis, ut nihil rectè, nihil piè, nihil sapienter dictum aut factum putent, nisi quod ipsi fecerint vel dixerint. Hinc non modò crimina fingunt ubi nulla sunt, sed sine populi suffragio, ex sola ἀυθαδεία creati censores, sæpius in aliorũ lapsibus lyncei, omnia exaggerant & quod sine scandalo poterat dexterè exponi, nunc demùm in scandala vertunt. At verò tales sciant (1.) quòd non modò graviter peccent Ministri verbi, quando scandala perpetrant, sed etiã quòd longè gravius illi mortales, qui scandala ejusmodi pestifera vel planè confingunt, vel saltem divulgant, & ita demum peste hâc miseras mentes inficiunt & actu secundo ædificationem impediunt. Paulus, qui sciverat, quanti interfit, ut illæsa maneat Ministrorum fama, notanter hanc constitutionem *I. Timoth. V. 19.* reliquit: *Adversus presbyterum accusationem ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Quod si ergo accusatio, jubente Apostolo, sine sufficientibus testibus, contra presbyterum, ne quidem est admittenda; quàm graviter delinquent, qui sine omnibus testibus & probatione vel probabili, rumusculis solis aluntur, & sic præjudicia ejusmodi disseminant? Alia mens erat

erat *Constantini M.* inter cujus memorabilia etiam hoc refertur, quòd dixerit, *se sacerdotem vel in adulterio deprehensum purpurâ suâ tecturum, ne vulgò scandalum innotesceret.* Scilicet etsi non parcendum sit delinquenti presbytero, est tamen parcendum conscientiis infirmis, quamdiu possibile est, ne hæ scandalum patiantur. Unô verbô: cùm in IIX. Præceptum peccent, qui aliorum turpitudinem, præter necessitatem revelant, sine dubio bis peccabunt illi, qui diffamatione ministrorum verbi delectantur. (2.) Cogitent, qui hoc vitio laborant, quòd in Christum redundet, quicquid in servos ejus vel indignè & truculenter, vel planè præter rem eructatur *Luc. X. 16.* (3.) Cogitetur Christum gravem vindicè servorum suorum non modò esse futurũ, ceu constat ex *Matth. X. 14. 15. Ebr. XIII. 17.* sed etiam scandali divulgati pœnas esse divulgatores daturos. Sed excipis: Interim in corde meo, cum talia occurrunt, scandalum patior ego? Respondeo, ablatum iri scandalum, si cogitâris, I. DEO esse agendas gratias, quòd è genere nostro eos elegerit ministros, qui & ipsi Lapsibus sint obnoxii, ut eò rectius consensu suo nostris lapsibus medicas possint applicare manus. Majori ergo fiduciâ his vulnera nostra monstrabimus, qui nec ipsi quicquam humani à se alienum esse sentiunt: Cogita Pauli exemplum *I. Tim. I. 16.* II. Revoca mentem tuam à Persona miselli ministri ad virtutem divinã Ministerii seu Mysteriorum DEI, quorum nonnisi œconomi

illi

illi sunt. Jam autem mysteria DEI & media salutis non habent virtutem suam a ministrorum dignitate, vel indignitate, sed a DEO instituente, sicut Paulus dicit *I. Corinth. III. 7. nihil est qui plantat, nihil, qui rigat, sed qui dat incrementum DEUS.* Instas, at quomodo potest homo malus & hypocrita verbum DEI proponere? Respondeo, in tantum eum posse proponere verbum DEI, in quantum illud perspicuè & clare in Scripturis exstat, adeo ut sensum historicum & literalem, quilibet etiam irregenitus, assequi possit, etsi talis homo impius vim & efficacium verbi spiritualem, sensui historico, quem assequitur & aliis poponit, indissolubiliter unitam, intra se non admittat. Sic enim v. gr. Pannus cerâ obductus potest aquam recipere, quæ quidē quamdiu respectu panni cerâ obducti consideratur, tantum adhæret panno, non autem humectat; resiliens autem gatta aquæ exponno cerâ obductô in pannum simplicem, oppidò in hoc altero panno vim humectandi actu secundo exserit. Simili ergo ratione verbum DEI vivum, cujus vim commovendi animū & convertendi corda impius Minister intra se non admittit (uti pannus cera unctus nō admittit vim aquæ humectantē) potest tamē & solet commovere, & virtutē suā exercere, in auditore, si hic simplex & profanô ministrô melior fuerit. Hinc Christus *Matth. XXIII. v. 3.* de Scribis & Pharisæis maximè profanis, sed in cathedra Mosis sedentibus dixit: *Quæcunq; usserint vos servare, servate & facite; secundū verò*

opera

opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Certum ergo est, quòd malorum horum ministrorum ministerium non reddiderit verbum DEI, quod proponebāt, inefficax. Excipitur, Scribas & Pharisæos olim tantùm legisse legem Mosis, ex ejus cathedra, non autem explicasse. Respondeo (1) falsum esse, quòd præter Legis lectionem nihil fuerit in cœtibus publicis ab illorum temporum doctoribus propositum. Contrarium constat ex *Luc. IV. 16. seqq. Actor. XIII. 15. 16. cap. XVII. 2. 3. &c.* (2.) Positô, quòd tantùm legerint Mosen, attamen nihilominus vel hâc lectione fuerunt impii illi homines verbi ministri. Quod si igitur ministerium impiorum ideo inefficax esset, quia ipsi sunt impii; utique etiam legendò impii illi non minus enervassent verbum DEI, quàm per præjudicium carnale hodiè putantur impii suo ministerio enervare verbum, quando ex memoria illud recitant & ex scripturis repetunt. Instas denuo, Impios non percipere vim verbi divini, adeòque non posse verbum divinum ritè proponere & explicare. Regero, Distinguendum esse inter *cognitionem seu perceptionem historicam & literalem*, quæ hauritur ex Scripturis, quatenus hæ verbis significantibus & perspicuè coordinatis constant; & inter *cognitionem seu præceptionem salvificam & salutarem*, quæ ex Scripturis oritur, non præcisè quatenus hæ perspicuæ sunt, sed quatenus indissolubiliter habent sibi unitam efficaciam supernaturalem, de qua DEUS loquitur

Jerem.

Jerem. XXIII. 29. Ebr. IV. 12. Rom. I. 16. Hanc posteriorem *cognitionem salutarem* nunquam cadere in hominem impium, ambobus largior; unde tales in se considerati toti sunt reprobi, & spiritu DEI carent. Sed in *cognitione Historica & literali* Scripturarum & doctrinæ fidei, (quæ quidem sibi perpetuò tanquam DEI vivi verbum, virtutem supernaturalem actu primo æquè indissolubiliter unitam habet, quàm aquæ gutta in panno cerâ obducto vim humectandi:) homo impius non modò PURUS, sive talis esse potest, nt nihil contra DEI verbum dicat & doceat; sed etiam PRIMUS, h. e. talis, ut in sensu literali & Historico per regulas hermeneuticas, ob scripturarum perspicuitatem, certò eruendo, aliis pluribus sit excellentior & subtilior. De his dicit Paulus *I. Cor, XIII. 2.* quòd OMNEM HABEANT FIDEM, etsi Charitate cassi, sint *æs resonans aut cymbalum tinniens.* Sed fortè alibi hac de re dabitur occasio agendi ex professo. Interea consulantur nostri ad Articulum IIX August. Confessi passim.

Ibid. Verbi divini amplitudo cum nostræ cognitionis imperfectione conferatur:] Verbum DEI non modò pleniùs & planius pandit omnes Tehologiæ naturalis Thesauros in articulis fidei, quos mixtos vocant, sed præterea quoque exhibet tremenda & inexhaustæ profunditatis mysteria Articulorum fidei purorum, in quæ etiam Angeli desiderant introspi-

trospicere *I. Petr. I. 12.* & ad quorum imperscrutabilem profunditatem Apostolus, tanquam attonitus, exclamat: *O profunditatem divitiarum & sapientiæ & cognitionis DEI, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus & imperveſtigabiles viæ ejus, Rom. XI. v. 33.* Accedunt sanctissima Morum & Officiorum Christianorum capita, quibus tam DEO, quàm nobis ipsis & Proximo nostro obligamur. Hæc Lex spiritualis est, & iis abundat prudentiæ veræ thesauris, ut ex hac sola omnes homines in omni vitæ genere rectè & plenè possint instrui. Qui dubitat de generositate hac Legis divinæ, deque ejus amplitudine, ex pharisaico præjudicio, is meditetur *Psalmum CXIX.* item *caput VII. Epistolæ ad Romanos:* Unde facilè rectius potest informari, maximè, si ad imperfectionem nostræ cognitionis expendendam, animum applicaverit. Cumprimis autem quàm imperfectè cognoscamus res etiam naturales, Mathesis & Physica docent, quæ plurima nobis prorsus imperscrutabilia exhibent. Ex Mathesi huc faciunt Radices numerorum Surdorum, Lineæ ἀσύμπτωτοι &c. Qui Physica tentare cupit, faciat periculum in solutione problematum Physico-Mathematicorum, quæ DEUS temeritari *Jobæ* exercitii causa proposuit *cap. XXXIIX. seqq.* & conferat Christi cum Nicodemo colloquium *Joh. III. seqq.* Adde Paulum *I. Corinth. XIII. 12. ad Philipp. III. 9. 10. seqq.*

Ibid. Communis omnium obligatio:] Scil. non est tantùm Ecclesiasticorum seu

Theo-

Theologorum scrutari Scripturas, sed obligatio generalis *Joh. V. 39.* indicatur. Confer. *Luc. XVI. 29.* ubi disces, etiam secularium, imò Profanorum Heluonis fratrum esse, audire Mosen & Prophetas. *Ecclesiastes cap. XII. v. 13. omnis hominis esse* dicit, *DEUM timere & ejus servare mandata.*

Ibid. Indigentia:] Omnes quippe nati sumus caro de carne & destituimur gloria DEI *Rom. III. 23. Joh. III. 5.* nisi renascamur tam ex aqua & spiritu, quàm ex verbo DEI, tanquam immortali semine *I. Petr. I. 23.*

Ibid. Decor:] Dies noctesque meditari verbum DEI est Beatorum, *Psal. I. 1. 2.* Accedunt exempla Sanctorum, Prophetarum, Regum, Imperatorum &c. Porro qui verbum DEI tractant, cum ipso couversantur DEO, & intimiore velut consortio cum DEO uniuntur. Huc pertinet illud *ambulare cum DEO Genes. V. 22. 24. &c.* Sapientiores per verbi tractationē reddimur, quàm Senes, quàm Doctores nostri, quàm hostes nostri, *Psalmo CXIX. v. 98. 99. 100. &c.*

Ibid. Simplicitas a Ruditate distinguatur:] *Simplicitas* vere talis est, quæ in verbi divini sedulò lecti relectique literâ, contemtis rationis nostræ corruptæ objectionibus, acquiescit. *Ruditas* autem est turpis ignorantia verbi divini, ejusque supinus neglectus. Non igitur hæc, sed illa in laude ponitur.

Ibid. Spiritualium & temporalium rerum discrimen:] Cœlum & terra trans-

transeunt, verbum Domini manet in æternum. *Psal. CXIX. 96. Luc. XXI. 33. &c.*

Ibid. Exemplorum malorum pravitas ac noxa:) Et pravitas & noxa constat ex locis ad §. præcedentem, cùm de illis exemplis diceremus, citatis. Et licèt aliquando impietas & verbi Contemtus videatur gaudere successu; contrarium tamen mox patescit, si cum Asapho intramus in Sanctuarium & attendimus ad istius modi hominum finem, *Psal. LXXIII. v. 17. seqq.*

Pag. ead. §. IIX. Ad sacramentorum tractationem:) Sacramenta dicuntur illi ritus sacri, qui sunt signa & media sive organa conferendæ & obsignandæ gratiæ. *B. D. Hornejus in Compendio Theolog. l. 1. cap. 1. §. 1.* tria Theologiam præcipuè tractare ait, (1.) Doctrinam Fidei. (2.) Doctrinam Sacramentorum. (3.) Doctrinam Morum. Hinc ipse integrum librum secundum sui compendii doctrinæ sacramentis impendendum duxit. Aliàs sacramenta meritò referuntur ad objectum secundi præcepti, quatenus nempe sunt media Gratiæ, in quibus DEI gratuitus favor colendus est.

Ibid. Ut duo illa N. T. Sacramenta:] Non enim plura sacramenta strictè & propriè talia esse, quàm hæc duo scil. Baptismum & S. Cœnam, ex Positivis & Polemicis constat.

Ibid. In pretio habentur:] In pretio habenda sunt Sacramenta, tanquam salutis & gratiæ divinæ media. Qui honos nullo modo

vel ipsis denegandus est, vel à nobis concedendum, ut hoc honore ab aliis defraudentur.

Ibid. Integra porro serventur:) Integra servantur Sacramenta, quando secundum institutionem Christi servantur.

Ibid. Baptismus nobis olim collatus:) Baptismus est initiationis sacramentum, quo ordinariè membra Ecclesiæ Christianæ constituimur, tanquam per Regenerationis Lavacrum. *Joh. III. 5. Eph. V. 26.*

Ibid. Fœdus gratiæ:] *Petrus I. Epistol. III. 21. bonæ conscientiæ in DEUM stipulationem* sive ἐπερώτημα, vocat. Vim hujus fœderis Paulus *Rom. VI. 4.* & ex hoc Pauli loco Catechismus Lutheri egregiè explicat. Cumprimis quid illa sint ἐπερωτηματα bonæ conscientiæ in DEUM optimè intelligi potest ex interrogationibus & responsionibus, quibus Baptizandi antequam ad baptismum admittantur, exerceri solent, & obligari.

Ibid. Tempestive conferatur:) Ad prædobaptismum præcipuè respicitur, & illorum notatur temeritas, qui ob res vanas sæpius differunt Baptismi Sacra. Caro ex carne nata, caro est & caro manet, usque dum renascatur ex aqua & spiritu, docente Christo, *Joh. III. 5.* Supina itaque negligentia est, hoc divinitus paratum beneficium regenerationis non arripuisse.

Ibid. Eorum, qui adsunt:] Illi, qui adsunt sacris nostris baptismalibus non sunt unius generis

generis, nec eadem sunt omnium officia specialia. Alius est, qui confert baptismum; alius cui confertur; alii, qui Sponsores sunt seu Patrini; alii qui testes & spectatores. Plerorumque officia distinctius ostendimus in nostro opusculo Germanico, Kern des wahren Christenthums/ Part. III. Tract. III. De reliquo triste spectaculum est, quando haud raro videmus concurrentium spectatorum insolentiam & levitatem, dum hæc bonæ conscientiæ stipulatio suscipitur. O si regeniti adhuc essemus, & stipulationis à nobis & pro nobis factæ memores, quàm alieni essent nostri à nostris moribus mores futuri!

Ibid. Signis externis:] Non quod hæc signa externa, quia externa sunt, desiderentur a B. Auctore; sed quia sunt, certè esse debent pignora internæ pietatis, secundum sectionis hujus paragr. I.

Ibid. Eucharistia:) Eucharistia Sacramentum Confirmationis dicitur, quia nullis nisi per baptismum regenitis conceditur.

Ibid. Quotquot probare se possunt:) Hinc excluduntur à cœnæ usurpatione, qui se nesciunt probare, infantes, amentes & Christianismi rudes. Probationem autem ante Cœnam expressè exigit Paulus *1. Corinth. XI. v. 28.* Plura, volente DEO, inferius in Part. Special. ad Cap. I. Sect. II. Subsect. II. §. VII.

Ibid. Frequenter:) Iteratum cœnæ usum indicant ipsa institutionis verba, *facite, quoties feceritis, in mei recordationem.* Praxis antiquorum Christianorum singulis diebus celebrabat cœnam: deinde in octiduum cœpit differri. Cùm etiam hic deficeret mos, succrescente potestate Episcopali Romana, fiebant constitutiones Ecclesiasticæ; primò quidem ad tria anni tempora, Pascha, Pentecosten & Natalitia, & porrò tandem, saltem ad Pascha. *B. Lutherus* in Præfat. in Catechismum minorem statuit, nomine Christiani illos esse indignos, qui non quotannis minimùm quater sacramentum sacrum sumserint. Conf. *B. D. Königium* in *Casibus Catechet. Cas. XI de S. Cœna p. 580. seqq.*

Ibid. Animo pœnitente:) Pœnitentiam & Fidem includit Pauli constitutio de probatione sui usui sacræ Cœnæ præmittenda. Involvit enim Probatio sui seriam excussionem conscientiæ, peccatorum agnitionem, humilem confessionem, & fiduciam in DEI gratia & Christi merito ac sanguine. Lutherus in Catechism. minor. das Wort für Euch/erfordert eitel gläubige Hertzen.

Ibid. Secundum tenorem institutionis Christi:) Quod si enim institutio Christi sive ratione materiæ, sive ratione formæ deseratur, jam non amplius erit Christi cœna, sed alius ritus profanus, à Christo non institutus.

Ibid.

Ibid. Nobis non communicantibus:) Eodem poculo potamur, & eodem pane Eucharistico reficimur, quando aliàs ad Cœnam Domini accedimus: imo reddimur per hanc Synaxin membra mystica. Nunquam ergo Cœnæ celebrationem, sine quodam sancto consensu & veneratione, intueamur.

Pag. ead. §. IX. Pro ritibus abrogatis:) His hypothesibus polluti sunt Sociniani, Remonstrantes, Quakeri & nonnulli alii.

Pag. 457. §. eod. Plura duobus illis &c.] Pontificii anathema iis dicunt, qui plura vel pauciora sacramenta dixerint, quàm septem, in *Concil. Trid. Sess. VII. Can. I.*

Ibid. Fœderis gratiæ memoria nulla aut rara:) Tales non modo sunt illi in insulis, Cuba & nova Hispania, de quibus *Edoard. Brerewodus* in *Scrutinio Religionum cap. I.* sub finem *p. m. 91.* refert: *Ita illorum, quæ in baptismo spopondere, incuriosi sunt, ut solius duntaxat sibi impositi nominis meminerint; imo & hujus sæpè obliviscantur;* verùm proh dolor, est hoc vitium Christianissimi hodierni ferè commune, ut fœdus baptismale negligamus, & vix ejus recordemur, etiam cum alios videmus baptizari, & stipulationem præstare DEO.

Ibid. Quibus nostra opera conferri poterat:) Conferri potest ac debet Baptismus non modo adultis ex Judaismo, Gentilismo, Muhamedismo ad nostram ecclesiam se con-

ferentibus, postquam in capitibus fidei & morum rectè & sufficienter fuerint informati; sed etiam infantibus in Ecclesia natis ob dictum *Joh. III. 5.* Vide hanc in rem Theol. Positiv. beati auctoris Cap. de Baptismo §. VII. not. h. De casibus extraordinariis, v. gr. *An in periculo mortis, infans nondum plenè à matre separatus sit baptizandus? An baptizanda sint monstra?* & aliquot similibus, consuli debent casuistæ.

Ibid. Mutetur aliquid in substantia:) In substantia mutatur baptismus, quando vel aquæ loco alius adhibetur liquor, vel verba institutionis mutantur. Qua de re consulenda est Theologia Positiva.

Ibid. Superstitio aliqua accedat:) In Papatu plurima sunt etiam in baptismi administratione, quæ superstitionem potius, quam pietatem sapiunt. Ex hoc capite peccant, qui curant baptizari corollaria, nummos & id genus nonnulla alia, quibus peculiarem vim adscribere solent &c.

Ibid. Frigus pietatis & charitatis:] Hoc genus abusuum nobis hodie familiare est. Magis enim plerique ad pompam, luxum, comessationes &c. quam ad numeros pietatis & charitatis vel mediocriter implendos attendunt.

Ibid. Præter necessitatem rarius:) Dantur casus, ubi bellô, exiliô, peregrinationibus inter infideles vel heterodoxos &c. impeditis non licet accedere ad cœnam, quoties & quan-

quando volumus. Qui autem nihil habent impedimentorum istiusmodi, sed solo suo in religionis exercitio frigore rarius sacram cœnam usurpant, rari sunt mortis dominicæ cultores & celebratores, imo contemtores, ut rectè B. Lutherus in Catechism. Min. Præfat. superius citata observat.

Ibid. Absque pœnitentia & fide:) Corruptos seculi mores non amplius cohibere potest Ecclesiæ pia constitutio, quæ usui cœnæ voluit præmitti confessionis & pœnitentiæ exercitia. Nam & hæc seculi indoles in profanam consuetudinem convertit, de qua gravissimæ querelæ habentur apud pientissimum Theologum, *B. D. Henr. Müllerum* in den Geistl. Erquick-Stunden / *Num. CLXXVI. & Num. CCXIV.*

Ibid. Horumque signis:) Etsi enim signa pœnitentiæ externa non sint infallibilia indicia pœnitentiæ veræ; attamen externa levitas certum est signum mentis interioris profanæ, fide & contritione vera carentis. Omnia certè alia suadent exempla verè pœnitentium, *Davidis Psal. VI. 7. 8. XXXII. 4. XXXIIX. 7. &c. Menassis in Oratione sua, Publicani Luc. XIIX. v. 13. &c.*

Ibid. Mutilatio:) Eucharistiam mutilant Pontificii communione sub una.

Ibid. Temere mutato ritu:) Ut est intinctio panis Eucharistici, quæ olim aliquandiu

obtinuit, & in orientali Græca adhuc obtinet. Vide *Dn. D. Sonntagium noſtrum in Triphyſſo Aſſertionum Elenctticarum de intinctione Panis Euchariſtici in vinum.* Huc pertinet Pontificiorum Miſſa, circumgeſtatio hoſtiæ ſeu panis Euchariſtici &c.

Ibid. Vel ſtrepitu :) Uti omnis generis abuſibus & irreligiosâ licentiâ hodie abundamus in Sacris noſtris, ſic nihil frequentius, quàm ut non communicantes, dum cœna celebratur, ſacra turbent, & vel diſcurſitent, vel è templis ruant, vel garriant, vel etiam nugentur.

Pag. ead. §. X. Mandatum Dei cum de exercitio :) Exercitium actuum Sacramentalium patet ex verbis inſtitutionis, Baptizate, Hoc facite in mei commemorationem. Quomodo autem Sacramenta habenda ſint, id ex inſtitutione utriusque, nempe tam Baptiſmi, quàm Cœnæ patet. Nec enim Sacramenta à Chriſto inſtituta habent, qui aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit, intervertunt atque mutant.

Ibid. De certa ratione actuum, circa ſacramenta occupatorum :) Actus ejusmodi ſunt Reverentia, Devotio, Fœderis baptiſmalis Recordatio, Probatio ſui, & ſimiles, de quibus ex præcedentibus conſtat. Et quidem de fœderis baptiſmalis recordatione rectè accipiuntur textus *I. Petr. III. 21. Rom. VI. 4.*

de

de actibus circa cœnam Pauli constitutio *I. Corinth. XI. 20. seqq.* In genere huc rectè referimus *præceptum secundum*, cujus vi omnia gratiæ divinæ media & organa salutis piè & sanctè tractari debent.

Ibid. Sacramentorum ipsorum dignitas:) Dignitas Sacramentorum constat ex sana de Sacramentis doctrina, scil. quod sint efficacia & vera salutis media, quibus gratia divina & offeratur & obsignetur & fides partim accendatur & confirmetur. Huc etiam pertinent argumenta petita ab Auctore, à materia cœlesti in Cœna, & à Spiritu S. super nobis effuso in Baptismo.

Ibid. Actuum supra memoratorum præstantia & decor:) Decor hic & hæc præstantia colligitur tàm ex dignitate objecti h. e. ipsorum Sacramentorum, circa quæ illi actus versantur, quàm ex mandati divini indole & legibus gratitudinis &c.

Ibid. Sacramentorum sancte tractatorum utilitas:) Utilitas patet ex fine & effectu Sacramentorum, scil. ex gratiæ Evangelicæ collatione & obsignatione, ut & salute æterna. Speciatim ex Baptismo consequimur Regenerationem *Joh. III. 5. ad Tit. III. 5.* Christi iduitionem *Gal. III. 27.* Ex Sacra Cœna, unionem cum Christo & ejus inhabitationem *Joh. VI. 54 56.* Dilectionem mutuam. Hinc veteres post Cœnam S. habebant ἀγάπας

seu convivia charitativa. *Tertullianus* in *Apologetico adversus Gentes* (edit. Basilienſ. MDL.] *pag. 879. Cœna noſtra*, inquit, *de nomine rationem ſuam oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiscunque ſumtibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumtum, ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus, non quà penes vos paraſiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis ſub autoramento ventris inter contumelias ſaginandi, ſed quà penes DEUM major eſt contemplatio mediocrium &c.*

Ibid. Oppoſitorum ſanctæ tractationis turpitudo:) Turpitudo inde patet, quia magna beneficia frigidè tractare, & media ſalutis contemnere extrema dementia & ingratitudo eſt. Conf. *Actor. XIII. 46.* Quod enim ibi de contemtu mediorum ſalutis in genere dicitur, rectè etiam huc ſpeciatim applicatur.

Ibid. Et noxa:) Noxa ex Baptiſmi contemtu eſt, quod ſalute excidant contemtores, ut colligitur ex *Joh. III. 5.* Neglectus cœnæ damna varia ſecum trahit. Conf. *Joh. VI. 53. I. Corinth. XI 29. 30. Ordinatio Norimb. Eccleſiaſt. in Præfatione* (vid. libr. Normal. pag. 1050.) oculum ad hunc Pauli locum reflectendo ſcribit: Es bezeugt Paulus/daß viel der Corinthier kranck ſeyn worden/und ein gut Theil geſtort en/darum daß ſie

sie unschicklich und unordentlich mit dem Abendmahl des HErrn umgiengen.

Pag. 458. §. XI. Consideratio Sacramentorum auctoris :] Auctor est DEUS trinunus & Christus Θεάνθρωπος. Sed tantus auctor non impunè irridetur vel irreverenter tractatur *Gal. VI. 7. Exod. XX. 7. Deuter. V. 11.*

Ibid. Eorumque habitudinis:) Habitudo Sacramentorum ad salutem ex Theologia Positiva huc repeti debet. Confer quæ ad §. præced. de utilitate sacramentorum diximus.

Ibid. Indigentia:) Hæc patet ex Joh. III. 5. cap. V. 53.

Ibid. Solliciti & præclare functi fuerunt :) Religiosâ in tractatione Baptismi non modò exempli loco habemus Joh. Baptistam severè quos baptizabat, instruentem *Matth. III. 7. seqq.* sed etiam ipsum Christum Baptisma in Jordane suscipientem *cap. III. v. 15. seqq.* Conf. Actor. IIX. 36. seqq. cap. IX. 18. &c. Respectu Cœnæ illustris est constitutio Pauli *I. Corinth. XI. 22. seqq.* Exemplum veteris Ecclesiæ solicitè & Cœnam & Baptismum tractantis constat ex documentis, quæ collegit *B. Hornejus* in *Compendio Theolog. libr. II. cap. II. & III.*

Ibid. Præsentiæ Christi :) Totus Christus præsens est in ejusmodi actionibus sacris juxta *Matth. XIIX. 20. XXIIX. 20.* Speciatim

ciatim in Cœna corpore & sanguine suo verè & realiter præsens est, juxta plana institutionis verba.

Ibid. Totiusque SS. Trinitatis :] SS. Trinitas præsens est non modò generaliter, ut DEUS omnipræsens, sed singulari præsentia gratiæ. Et quidem de Baptismo colligitur specialis illa præsentia gratiosa (1.) ex formula Baptismali, quæ expresse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum nominat; (2.) ex stipulatione bonæ conscientiæ in DEUM *I. Petr. III. 21.* quæ fit in DEUM trinum, cujus in nomine baptizamur; (3.) ex speciali revelatione gratiosa in Baptismate Christi *Matth. III. 16 17.* Hinc canimus de baptismo: Daß wir nicht sollen zweiffeln dran/wann wir getauffet werden/ alle drey Personn getauffet han/damit bey uns auf Erden/zu wohnen sich ergeben. Item in Cœnæ celebratione decantamus mysterium Trinitatis, hymnô vetustô ex *Jesaiæ VI.* Jesaia dem Propheten das geschah ꝛc.

Ibid. Preces pro auxilio divino :) Preces huc pertinentes referuntur ad secundam petitionem Orationis Dominicæ, qua cumprimis *Adventum regni gratiæ* petimus. De reliquo non desunt formulæ precum, in libris vulgaribus precum passim : ubi tamen selectu opus est, de qua re alibi.

Pag. ead. §. XII. Quæ in sensus incurrunt :) Præjudicium illorum, qui baptismo

ad

ad sordium ablutionem spectant, notatur *I. Petr. III. 21.* Paulus *I. Corinth. XI. 20. seqq.* castigat Corinthios, quòd magis ad manducationem & bibitionem corporalem, quàm ad usum salutarem respexerint.

Ibid. Præjudicia quælibet errorum:] Præjudicium de Sacramentis int[illegible] Reformatos, Pontificios, Remonstrantes, Socinianos, Quakeros & similes examinat Theologia Polemica.

Ibid. Ad res vanas inclinatio inordinata:) Sic sæpius magis ad vestitum, gestus, delicatiores cibos, & similia respiciunt homines vani, quàm ad ipsum Sacramentum Baptismi pariter atque Cœnæ.

Ibid. Exempla male & irreligiose se gerentium:) Certè si ullibi, in profanatione Sanctorum Sacramentorum prava exempla & æmulationes frequenter occurrunt. Nunc enim in ornatu, nunc in Præcedentia, quam barbarè dicunt & urgent, nunc in aliis rebus vanis mentes irregenitorum & impiorum hominum sub prætextu ordinis decorisque certant.

Pag. ead. §. XIII. Ad spiritualia, quæ latent:) Si Petrus *I. Epist. III. 21.* à lavacro aquæ nos revocat ad stipulationem bonæ conscientiæ in DEUM. Ita nostra Catechesis ex *Rom. VI. 4.* urget significationem baptismi, contra istiusmodi præjudicia carnalia: non quidem

quidem acsi geminum baptismum, internum & externum, contra Pauli verbum *Ephes. VI.5.* vellemus effingere, sed ut revocaremus sensus externos ad spiritualem illius lavacri virtutem. Similiter noster Catechismus de Sacramento Altaris monet, non præstare effectus illos corporalem manducationem & bibitionem in se consideratos, sed verbum DEI.

Ibid. Si errores heterodoxorum tempestive cognoscamus:) Hoc Theologiæ Polemicæ opus est, quæ adversariorum dubia examinat & confutat.

Ibid. A vagis cogitationibus ad serias fixasque:) Vagas cogitationes pariunt res vanæ & externæ, quæ ipso pereunt abusu & palmam nobis intercipiunt ad *Coloss. II.18.seqq.* Ab his ergo revocanda mens est ad spiritualia & genuinam Sacramentorum indolem, prout in Scripturis proponitur: Item ad meditationem verbi divini in operationibus nostris omnibus; ad preces & istiusmodi exercitia sacra. Exemplo suo hoc nos egregiè edocet Paulus ad *Philipp. III.7. seqq.* adde exemplum Mariæ *Luc. X.41.42.* Præcipuè in Sacræ Cœnæ usu, Communicantes beatus Lutherus sic putavit ab externis & vagis ad sublimiora & gravia revocandos: *jejunare & corpus suum præparare est quidem bona & externa disciplina. At ille est verè dignus & probè paratus, qui fidem habet.*

Ibid. In exemplis obviis imitanda

da à fugiendis discernamus:) Omnia, quippe probanda sunt, sed quod bonum est, tantum debet teneri *1. Thess. V. 21.* Et si in vita communi, non exemplis, sed legibus judicandum est; quantò magis in cultu divino, dispiciendum erit, non tàm quid fieri soleat, quàm quid rectè fiat.

AD CAP. VIII.

SECT. II.

De

CONFESSIONE FIDEI.

Pag. 459. §. 1.

CONfessio fidei:) Confessionem statuunt Auctores triplicem (1.) Beneficii (2.) Peccati (3.) Fidei. De duabus prioribus speciebus alibi agitur. Hic loci de Confessione Fidei, tanquam de parte cultus divini externi, disserendum. Porro cùm Fides duplex sit, Objectiva, quæ creditur, & Subjectiva, qua creditur; utraque hîc locum habet. Nam confessio non tantùm doctrinæ divinæ pars est officii Christiani; sed etiam confessio spei, quæ est in nobis. De confessione fidei Objectivæ dicit *Johannes 1. Epist. IV. 15. Quisquis confessus fuerit, quòd Jesus*

est

est Filius DEI, DEUS in ipso manet, & ipse in DEO. De Subjectivæ fidei confessione dicit Paulus *II. Corinth. IV. 13. Credidi, ideo locutus sum.* Conf. *I. Petr. III. 15.*

Ibid. Fidem internam:) Ita Fides cordis, tanquam interna, à confessione oris, tanquam externa, *Rom. X. v. 10.* distinguitur. Distinguitur, inquam, non divellitur. Externa enim confessio, sine fide interna, non est confessio Christiana, sed oppositum ejus. Cæterum de fide interna cordis tàm Generali, quàm Speciali egit *B. Auctor* noster in *Capitis præcedentis VII. Sect. I. & III.*

Ibid. Per signa externa:) Signa externa, quibus fidei confessionem præstamus, varia sunt. Sermo, Scriptio, Gestus &c. Hinc intelligitur, quòd confessio oris, *Rom. X. v. 10.* synecdochicè dicatur, pro omni confessione externa.

Ibid. Fortiter:) Ita ut nobis nihil metuamus à periculis hostium, eorumque minis. Talis fortitudo erat in confessione trium Virorum, *Dan. III. 16. seqq.* Apostolorum, *Actor. IV. 19. 20.* Stephani *Cap. VII. per totum.* Hanc fortitudinem præcipit Christus *Matth. X. 28. Luc. XII. v. 4.*

Ibid. Constanter:) Sic Johannes Baptista *Joh. I. v. 20. Confessus est, & non negavit, & confessus est:* quâ iteratione phrasium idem notantium, constantia ejusdem innuitur. Hunc in finem

fidem Paulus scribit *Hebr. X. 23. Teneamus confessionem ἀκλινῆ non vacillantem*, & *v. 39. Nos non sumus, qui subducamus nos in perditionem.* Constantia hæc præcipuè elucet ex *Martyribus* strictè talibus, qui pro religione sanguinem & vitam suam profuderunt : quibus contradistinguuntur *Confessores*, qui *vel* propter Confessionem Christi carceri erant mancipati, nondum tamen tormenta sustinuerunt; *vel*, qui relictis omnibus bonis, ne Christum negarent, profugerant. Conf. B. *Kortholti Histor. Eccl. pag. 37. 38.*

Ibid. Declaremus :] Declaratio fidei fit verbis perspicuis, claris, rotundis, non ambiguis, vel generalibus. Qui enim verborum ambiguitate ludit, non declarat, sed dimissulat fidem. Exempli loco esse potest Johannis plana & libera declaratio ad Herodem dicentis : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui Matth. XIV. 4.* item Apostolorum confessio *Act. IV. 13. &c.* Notandum tamen est, quòd, cùm hoc præceptum sit affirmativum, non obliget ad semper, sed tunc demum, quando ejus exsequendi occasio adest. Qua de re post paulo ad §. III.

Ibid. Ad illustrandam DEI gloriam :] Hic finis nostræ confessionis præcipuus est. Sic Paulus ad *Philipp. I. 20.* scribit de hoc fine : *magnificabitur Christus in corpore meo sive per vitam, sive per mortem.* Ad hunc eundem

finem pertinet propagatio Evangelii, *Ephes. VI. 19. 20.*

Ibid. Et promovendam proximi utilitatem:] Fit confessio in proximi utilitatem (1.) quando cum nostro periculo ignorantibus annunciamus Evangelium. (2.) Quando nostræ confesionis constantiâ confirmamus nostros fratres, vel persecutores convincimus de divinitate nostræ fidei. (3.) Quando nostra confesione & constantia efficimus, ut Evangelii doctrina vel fratribus nostris, vel posteris etiam conservetur.

Pag. ead. §. II. Abnegatio:] Abnegatio fieri potest duplici modo: ore & opere. De Abnegatione *operis* agit Paulus *I. Tim. V. 8. Si qua suis & maximè domesticis non prospicit, fidem abnegavit.* Item ad *Tit. I. 16.* Abnegatio *oris* est, quando quis etiam ore ipso negat, uti Petrus *Matth. XXVI. 70. seqq.* Ecclesia vetus hos dixerat *lapsos*, eosque variè destinguebat, ut ex infra dicendis patebit.

Ibid: Dissimulatio fidei:] Dissimulatio fidei est, quando aliam fingimus nostram fidem, quam qualem habemus. Sic fidem in Christum dissimularunt illi Principes populi, *Joh. XII. 42. 43.* Potest etiam huc referri exemplum Petri dissimulantis sinceritatem fidei, ut patet ex *Galat. II. 12. seqq.* Differt à Dissimulatione hac, si quis fidem suam tantùm non indicarit, vel quia non tenebatur, vel quia

non

non quærebatur. Sic ſuam gentem, & per conſequens Religionem reticuit Eſther, ex inſtructione Mardochæi *Eſther II. v. 10.*

Ibid. Temeraria non tam fidei, quam ſocietatis profeſſio:] Talis confeſsio eſt illorum, qui Religionem eam profitentur, quam illi colunt, quos inter vivunt & à quibus alimenta petunt, ſecundum Canonem tritum: Des Brod ich eß/ des Lied ich ſing. Exempli loco ſunt Judæi, *Hoſeæ II. 5.* quorum colluvies dixit: *vadam poſt amatores meos, dantes panem meam & aquas meas, & lanam meam, & linum meum & oleum meum &c.* Item *I. Macc. I. 12. ſeqq. II. Macc. IV. 10. ſeqq.*

Ibid: Doctrinæ nondum rectè cognitæ audax aſſertio:] Datur vagum quoddam & præceps ingeniorum erraticorum genus, qui etiam in religionis mutatione frivoli ſunt, & cuivis ſpiritui ſe tradunt, contra illud expreſſum mandatum *I. Joh. IV. v. 1.* Hoc vitio laboraſſe videntur illi Phariſæorum ad Johannis baptiſmum advolantes, quos autem durius caſtigavit Baptiſta, *Matth. III. 7.* conf. Magi Simonis exemplum *Actor. VIII. v. 21. 22. 23.* Quod ſi autem has caſtigationes merentur, qui temere veram religionem profitentur; quas non illi incurrent, qui mendacia & errores pro veritate cœleſti aſſerunt?

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:] Mandavit DEUS non modò generaliter in ſecundo

præcepto etiam hanc, qua ejus nomen glorificatur, virtutem; sed præterea specialis Christi de Confessione constitutio legitur *Matth. X. 31. seqq. Luc. XII. 8. 9.* Conf. *Rom. X. 10. I Petr. III. 15. &c.* De reliquo quando quæritur de mandati hujus obligatione, respondetur, illam tunc demum se exserere, *quando omissio confessionis vel contra honorem DEO debitum, vel contra Proximi utilitatem esset*, scribente B. *Dürrio* Theol. Moral. p. 73. *Hornbeccius* in Theol. Pract. libr. IX. cap. XVII. p. 354. paulò plenius hanc rem exponit. *Primo*, ait, ANIMUM *quod attinet, is debet semper esse paratus ad confitendum doctrinam Christi, ubi res postulaverit. Deinde nunquam dicendum aut faciendum est aliquid, quod ei sit* CONTRARIUM. *Veruntamen ea possunt esse tempora & loca & res denique, ut* SILERE *aliquando liceat, citra aliquod ullius detrimentum.* Hinc (1.) Christus *Matth. XVI. 20.* vetuit, *ne cui dicerent* discipuli *quòd ipse esset Christus.* (2.) Idem ille Salvator sanctissimus, etiam ab Herode, ludibrii magis, quàm ædificationis causâ interrogatus, nihil respondit *Luc. XXIII. 9.* (1.) Urgeut illud *Prov. XXVI. 4. Ne responde stulto juxta stultitiam suam &c.* Plura vide ap. citatos auctores.

Ibid. Ipsius officii dignitas & decor:] Dignitatem officii hujus heroici discimus (1.) ex principio ejus sublimi & divino, quod non est caro & sanguis, sed Pater cœlestis

&

& ejus spiritus *Matth.* X. *20. cap.* XVI. *17. &c.* (2.) Ex judiciis magnificis de martyribus & confessoribus, *Psalm.* LXXII. *14.* CXVI. *13. seqq. Ebr.* XII. *1. seqq. Apocal.* XI. *4. &c.* (3.) Ex illustri sodalitio, *Christi I. Tim.* VI. *13. Ebr.* XII. *2. 3. Joh. Baptistæ Matth.* XI. *7. seqq.* Nubem Testium legimus *Ebr.* XI. *&c.*

Ibid. Præmia confitentibus parata:] Talia sunt (1.) Invincibilitas *Jerem. I. 17. 18. 19. II. Corinth. IV. 8. 9. 10. II. Tim. IV. 17. Apocal.* XI. *12. 13. &c.* (2.) Confessio gloriosa tantorum coram DEO & angelis ejus, nominum, *Matth.* X. *32, II. Tim. II. 11. 12. Apocal. III. 5.* (3.) Vestes candidæ & Coronæ gloriæ *II. Tim. IV. 7. 8. Apoc. II. 10. cap. III. 5. cap. VI. 11. &c.* (4.) Vindiciæ gloriosæ *Apocal.* XIIX. *20.* Huc referri possunt Mortes Persecutorum, Herodis *Actor.* XII. *23.* Antiochi Nobilis *I. Macc. VI. 8. seqq.* cont. *II. Maccab.* IX. *5. seqq. &c.* Exstat de *Mortibus Persecutorum* liber egregius *Lactantii*, quem primò omnium *Stephanus Baluzius* anno 1679. publici juris fecit. Vide Acta Erud. Lipsi. *Anno 1693. pag. 125.*

Ibid. Oppsiotorum dedecus & damnum:] *Dedecus* inde constat, quia illorum, quos puduit Christi, Christum pudebit *Luc.* IX. *26.* In veteri Ecclesia *Lapsorum* nomen infame erat, quorum varia genera constituebant, *Sacrificatos*, qui idolis sacrificarant, aut immolata gustarant; *Thurificatos*, qui thus adoleverant

idolis ; *Libellaticos*, qui *vel* datô libellô negarant, se Christianos esse aut fuisse, *vel* à Præside nummis pararant libellos, aeſi idolis sacrificassent, quibus tamen non sacrificarant (eo ferè modo, quo quidam noſtratium inter Pontificios commorantes testimonia confessionum fictaredimunt, & iis se ab inquisitione liberant ;) denique *Traditores* qui Ethnicorum minis territi, codices sacros ipsis comburendos tradiderunt. Vid. *B. Kortholti Histor. Eccl. p. 37.* Placet huc adscribere *Canonem Apostol. LXII.* quem *Hornbeccius* in Theol Pract. libr. IX. cap. 17. adducit: *Si quis Clericus propter metum humanum Judæi, vel Græci, vel hæretici, abnegaverit ; si quidem nomen Christi, ejiciatur : si verò nomen clerici, deponatur. Pœnitentiam verò agens recipiatur ut Laicus.* Porro *Damnum* abnegantium multiplex etiam est. Abnegati enim à Christo damnationi temporali & æternæ relinquuntur, *Matth. X. 33. II. Tim. II. 12.* Expendantur funesta exempla *Judæ Proditoris, Francisci Spiræ, Juliani Apostatæ* & similium.

Pag. ead. §. IV. Ipsæ virtutes internæ :] Fons enim confessionis veræ est Fides Cordis, unà cum Spe & Charitate. His ubi cor plenum est, iisdem etiam os abundabit, cum os loquatur ex abundantia cordis, *Matth. XII. 34. 35. Luc. VI. 45.*

Ibid. Fides :] Generalis & Specialis, de quibus B. Auctor. cap. VII. Sect. I. & III.

Ibid.

Ibid. Spes:] De Spe & Fiducia erga DEUM vid. cit. loc. Sect. V. & VI.

Ibid. Charitas:] De Amore DEI & Christi vide cap. cit. Sect. IV.

Ibid. Erarumque diligens exercitium:] Exercitium diligens in his virtutibus internis, secundum ea, quæ ll. cc. dicta sunt, dum cordis thesaurum auget & confirmat, non potest non juvare abundantiam oris confitentis.

Ibid Exemplorum CHRISTI & sanctorum aliorum:] De his Exemplis diximus aliquid, cum officii hujus decus ostenderemus. Ex antiquitate Ecclesiastica infinitam copiam Confessorum & Martyrum adducere possemus, si opus esset. De Martyribus speciatim notamus, postquam de Confessoribus superius nonnihil monuimus, quòd Martyres in triplici differentia habuerit olim Ecclesia. Fuerunt (1.) quos Tertullianus dixerat *Martyres designatos*. Hic licèt tormina nondum subiissent, jam tamen in carceribus & vinculis illa exspectabant. (2.) Dicebantur Martyres, qui tormenta sic superabant, ut vita iisdem non fuerit intertormina, erepta. (3.) Martyres κατ' ἐξοχὴν erant, qui pro Christo obierant mortem violentam. De tormentis Christianorum videatur *Prudentius* in hymnis. I. III. V. περὶ στεφάνων, *Cyprianus* Sermone de Lapsis, Epistola Viennensium & Lugdunensium, quam prolixam suæ Hi-

storiæ Ecclesiasticæ *lib. V. cap. I.* inseruit *Eusebius. Martyres* quoque aliquos appellant *Charitatis*, item *Patientiæ*: quò etiam referri potest *Martyrium per pestem.* De his vide *Hornbecc.* in *Theol. Pract.* cit. loc. *p. 353.*

Ibid. Preces:] Preces lachrymæ sunt, arma Ecclesiæ. Hinc precibus consulit gregi afflicto Christus *Luc. XXII. 32. Joh. XVII. per totum*, Ecclesia persecutionem passa precibus pugnabat *Actor. IV. 24 seqq. cap. XII. v. 5.* Paulus vinctus confugiebat ad easdem *Ephes. VI. 19. 20. &c.*

Pag. ead. §. V. Impedimenta:] Impedimenta generaliter h. l. dicuntur omnia ea, quibus vel fides ipsa in nobis corrumpitur, vel saltem actus confessionis impeditur & vitium capit.

Ibid. Præjudicia varia de doctrina fidei:] De præjudiciis talibus videatur B. Auctor ad cap. præced. Sect. I. §. II. pag. 273, & Sect. III. §. I. pag. 304.

Ibid. Ad simulandum & dissimulandum in humana conversatione:] Nimirum vitia, quæ nobis in vita communi familiaria sunt, tantò facilius transferuntur ad res Spirituales, quantò propensior est homo animalis ad Spiritualia deserenda & depravanda.

Pag. 460. Exempla Prava abnegantium & dissimulantium:] Præcipuè

cipuè huc pertinent magna nomina in statu Ecclesiastico & Politico, quando deficiunt in hæc peccatai. Sic Jeroboamus filius Nebat, Rex Israëlis peccare fecit Israëlem *I. Reg. XII. 25. seqq.* Sic Menasses, Rex Judæ *II. Paral. XXXIII. v. 19.* Sic Jason Pontifex *II. Macc. IV. 10. seqq.* Sic Petrus seduxit Barnabam & alios, querente Paulo *Galat. II. 13.* Quadrat quippe huc illud *Senecæ* de Vit. Beat. cap. I. *Nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat: primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas licet. Nemo sibi tantùm errat, sed alii erroris causa & auctor est.*

Ibid. Nimia sui fiducia:] Hæc quippe securitatem, securitas periculum parit. Exemplo funesto est Petrus, *Luc. XXII. 33. 56. seqq.*

Ibid. Temporalium rerum amor:] Hoc malo pereunt illi περίσπασμοι *Matth. XIII. 21. Luc. IIX. 13.* Id quod exemplo suo edocet novellus ille confessor juvenis *Matth. XIX.* qui cùm jacturam opum audivisset, tristis abiit, *v. 22.*

Pag. ead. §. VI. Sedula:] Dies quippe & noctes continuanda est tractatio legis & rerum eò pertinentium, *Psalm. I. 2. CXIX. 24. 43. 44. &c.*

Ibid, Attenta:] Exemplo Beroensium *Act. XVII. 11.* quotidie scrutantium scripturas. Huc pertinet illud celebre CHRISTI

mandatum *Joh. V. 39. Scrutamini Scripturas.*

Ibid. Sufficiente:] Sufficiens tractatio est, quando solidè, & velut cum lacte maternô, sic doctrina fidei est hausta, & in succum & sanguinem conversa, ut (1.) Ideam Doctrinæ ex ipsis libris Canonicis eorumque sedula & attenta lectione formaveris, (2.) Capita fidei & morum, imo potiora omnia Scripturarum, didiceris ex ipsis Scripturis definire & demonstrare. Confer Exemplum Timothei, quod Paulus laudat *II. Timoth. III. à. v. 13. ad 17.* Quippe non est lac catecheticum solum semper usurpandum. Decet Christianos etiam solidior cibus, ut Paulus docet *Ebr. V. 12. 13. 14.*

Ibid. In vita communi ad candorem & sinceritatem assvefiat:] Exemplo Nathanaëlis, cujus integritatem ita commendat Christus, ut dicat, non fuisse in eo dolum, *Joh. I. 47.* Etsi enim virium supernaturalium opus sit confessio & constantia; attamen naturalis & merè civilis honestas habet nihilominus rationem pædagogiæ cujusdam, & varia obstacula excludit, quæ vitia moralia horumque habitus virtutibus verè Christianis obicem ponunt.

Ibid. Exemplorum vitiosorum turpitudo & damnum:]Utrumque patebit, si illa videris loca, & quæ ad §. præcedentem de pravis exemplis, adduximus.

Ibid.

Ibid. Imbecillitatis humanæ & insidiarum satanæ:] Quod nihil boni habitet in nobis, edocet Paulus *Rom. VII. 18.* Satanæ insidiæ nobis describuntur *I. Petr. V. 8. Ephes. IV. 11. seqq.* & prætereà οὐκ ἀγνοοῦμεν *Satanæ cogitationes II. Corinth. II 11.*

Ibid. Ad cœlestia prosequenda:] Hæc prima discipulorum Christi rudimenta sunt *Matth. XVI. 24. Marc. IIX 34. Luc. IX. 23.* ut animum à terrestribus & horum amore abstrahant ad diviniora & cœlestia. Exempla habes in Mose, quem Paulus ideo laudat *Ebr. XI. 26 quòd majores arbitratus sit divitias, probrum Christi, quàm Thesauros Æggyptiorum*; item in Paulo, ad *Philipp. III 8. seqq.*

AD

CAP. III.

SECTIO III.

De

GLORIFICATIONE DEI EXTERNA.

Pag. 460. §. I.

GLorificatio nominis divini:] Glorificatio vox veteri Latio ignota est. Sæpius tamen in rebus sacris Christianorum Latinorum occurrit. Cumprimis phrasis Græca, δοξά-

δοξάζειν τὸν Θεὸν, reddi ferè solet per *glorificare DEUM*. Conf. *Marc. II. 12. Luc. II. 20. &c.* Sic Joh. XII. 28. Verbum Christi ad Patrem suum δόξασόν σου τὸ ὄνομα, Beza reddit: *Glorifica nomen Tuum.* Est autem Nomen DEI glorificare h. l. idem, atque *Celebratione gloriosa colere.* Nec enim nos reddimus vel facimus nomen DEI, quod suam ex se habet Gloriam, demum gloriosum, sed gloriam nominis divini tantùm agnoscimus, celebramus, colimus.

Ibid. Per actus externos precum:] Glorificatio DEI externo actu precum fit, quando eum, ut unicum fontem omnis boni invocamus, & ab eodem solo, omne bonum unice derivamus & expetimus. Huc pertinent Psalm. Davidis, qui תפלות *Comprecatorii*, inscribuntur v. gr. XVII. LXXXVI. &c. Inter has preces solennes eminent in Ecclesiis nostris *Litaniæ*, quas vocant, hoc est, *supplicationes, supplices preces.* Est enim Græcis λιτανεύειν idem quod *supplicare, supplicem orare.* Hinc λιτανεῖα in plurali Neutro, & λιτανεία in singulari fœm. Vulgus vocat *Litaniam.* Historiam harum precum publicarum pluribus ex antiquitate Ecclesiastica recensuit *B. Martinus Chemnitius* in *Exam. Conc. Trident. Part. III. pag. 982. seqq.*

Ibid. Laudum:] Laudibus DEUM celebramus, quando ejus perfectiones divinas & opera magnifica recensemus, describimus, de-

decantamus, & ab oblivione vindicamus. Excelluit in hoc laudum genere Hieropsaltes. Vide Psalmum CXLV. qui inscribitur תְּהִלָּה לְדָוִד *Laudatio Davidis*, item Psalmos, qui in fronte gerunt הַלְלוּיָהּ *Laudate DEUM*, ut *CVI. CXI. CXII. CXXXV. CXLVI. CXLVII. CXLIIX. CXLIX. CL.* Inter Cantica Ecclesiastica eminet illud solenne, quod à vocibus initialibus, TE DEUM LAUDAMUS appellant, ejus auctorem tradunt Ambrosium. Conf. *Acta Erud. A. 1691 pag. 129.*

Ibid. Gratiarum actionis:] Hoc genere cultus externi celebramus beneficia divina: quo nomine itidem illustris est David, de quo *Siracides cap. XLVII. 9. In omni opere suo dedit confessionem excelso, verbô gloriæ.*

Ibid. Et similes:] Referuntur ad hos actus Glorificationis DEI externos, Exercitia Musica, tàm viva voce, quàm instrumentis. Hujus partis cultus divini itidem incomparabilis cultor erat David, imò certô sensu, fundator. *I. Chronic. XVII. 7. Sirac. XLVII. 11. 12.* Conf. *Psalm. XLIX. 5. LVII. 9. CL. 3. &c.* Nec Musicam ignorat Testamentum Novum. Vid. *Eph. V. 19. Apocal. XIV. 2. &c.* Nihil ergo causæ est, cur nos Musicam ex Sacris publicis, cum nonnullis sanctulis, exesse jubeamus. Vid. *B Dürrium* in *Theol. Moral. p. 72.* Nolumus tamen dum usum probamus, simul patrocinari abusui, qui passim hodie tantùm non major est ipsô usu.

Onc-

Onerant enim sæpius profanæ voces cultum DEI, eumque turbant magis, quàm ornant. Dignus est *M. Johann. Herbinius* in *Kijovienſibus Cryptis cap. XIV. p. 155. 156.* qui legatur. *Novâ*, inquit, *& ſatis quidem levi arte, numerisque celerrimis ita in Eccleſia pipiunt, aut ſoluto in luxuriam & concuſſo cachinno boantes tremunt, ut ridere eos aut inſanire voce ſolâ cantantes exiſtimes haud injuria. Quâ vocis laſciviâ devotæ orantium fidelium mentes non impediuntur duntaxat in religione ſuâ, ſed à vero DEI Spiritu atque laudibus impiè avocantur, ut non jam DEO, non CHRISTO, glorioſæ ipſius gratiæ, ſed cantori Italo aut Gallo laus artis Muſicæ à vulgo in Eccleſia attribuatur.*

Ibib. DEI Trinunius :] Objectum Glorificationum iſtiusmodi Religioſarum eſt ſolus verus DEUS, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Hunc enim ut unum & Trinum meritò celebramus, qui non modò talem ſe revelavit in verbo, ſed etiam ut Trinunus, fœdus gratiæ nobiſcum iniit in Baptiſmo. Non excluditur ab hac Glorificatione Chriſtus ſecundum humanam naturam, ſed potius includitur ob unionem perſonalem & communicationem naturarum & idiomatum. Vide Pauli locum ad *Philipp. II. 9. 10.*

Ibid. Et perfectionum ac beneficiorum divinorum ;] *Perfectiones* DEI dicuntur ejus attributa tàm poſitiva, quàm negativa, v.gr.

v. gr. Externitas, Bonitas, Clementia, Misericordia, Justitia, Sapientia, Omnipotentia, Veritas, Unitas &c. *Beneficia* divina, licet innumera sint, nihilominus tamen reducuntur ad tres veluti classes, *Creationem*, cujus quædam quasi continuatio est, conservatio & provida gubernatio, *Redemtionem*, *& Sanctificationem.*

Ibi Conjunguntur cum actibus internis:] Hæc conjunctio actuum externorum cum internis actibus Reverentiæ, Amoris, Fiduciæ &c. adeo est necessaria, ut illi externi nihil aliud esse debeant, quàm horum internorum quædam exuberantiæ per organa externa sese diffundentes. Externi autem actus sine internis hisce non sunt DEI cultus, sed Nominis divini profanatio. Vid. *Esaiæ XXIX. 13. Matth. XV. 7. 8. Amos. V. 23. &c.* Porro quæ de actibus internis Reverentiæ, Amoris, fiduciæ dicenda sunt, repete ex capitis VII. sect. II. IV. & V.

Ibid. Quoties occasio est :] Externus DEI cultus exercendus est, quando adest occasio; quæ quidem, si absolutè loqui velis, nunquam omnis omnino deest, cùm mille quotidie, imo singulis momentis, nos cingant beneficia divina, argumenta divinarum perfectionum, indigentiæ nostræ pondera, quæ nos ad DEUM invocandum, laudandum, eique exsolvendas gratias invitant. Hinc David ait *Psalmo XXXIV. 2. Benedicam Domino omni tempore:*

pore: *semper laus ejus in ore meo.* Conf. *Psalm. CIV. 33. CXLV. 1. 2. CXLVI. 2. &c.* Dantur tamen in relatione ad alios homines nonnunquam circumstantiæ, quibus positis, præstat actus externos omittere & in commodius tempus differre: prout ex iis, quæ ad §. sequentem dicenda erunt, plenius patescet.

Pag. 461. §. eod. Eo tendunt:] Puta, tanquam ad scopum seu finem glorificationis divinæ. Hoc enim intendimus, quando DEUM exterius quoque glorificamus, ut nempe (1.) nos ipsi DEO nostrum exsolvamus debitum, non modò mente, sed etiam actibus externis. (2.) Ut alios quoque nostro exemplo partim instruamus, partim instigemus ad DEUM celebrandum. Hinc David toties alios evocat ad DEUM glorificandum. Vid. *Psal. CIII. 20. seqq. CXVII. CXLIIX. &c.*

Pag. ead. §. II. Omissio actuum illorum externorum:] Nimirum precum, laudum, gratiarum actionis & similium: sive viva voce, sive scripto, sive gestu, sive etiam organis musicis, sive alio modo suscipiendi fuissent.

Ibid. Quæ & quando DEO debebantur:] Variant enim signa illa fidei & reverentiæ in DEUM externa, pro cujusque hominis donis & vocatione. Non omnia possumus omnes. Dantur muti, surdi, literarum rudes, imperiti Musices &c. Dantur varia dona animi, quæ

etiam

etiam variè noſtra officia in Glorificatione nominis divini externa diſtingunt. Porro non omnia omnes decent. Sunt actus glorificandi quidam certis ſtatibus, Eccleſiaſtico, Politico, proprii, qui ab aliis promiſcuè involari non debent, conf. *I. Samuel. XIII. 12. 13. II. Chron. XXVI. 16. ſeqq.* Præterea datur tempus lugendi & tempus lætandi. Huc reſpiciens *Jacobus cap. V. 13.* ſcribit: *Affligitur aliquis inter vos? oret. Æquo animo eſt aliquis? pſallat.*

Ibid. Exhibitio hypocritica:) Quando videlicet ſigna externa, ſine cordis & ſpiritus conſenſu interno, effinguntur: Qualis exhibitio hypocritica deſcribitur & caſtigatur *Pſal. L. 16. ſeqq. Eſaiæ I. v. 11. ſeqq. Ezechiel. XXXIII. 31. Joël. II. 13. Matth. VI. 2. 5. 16. cap. XXIII. 5. ſeqq. &c.*

Ibid. Intempeſtiva:) IntempeſtivaExhibitio eſt (1.) quæ contra DEI mandatum fit, qualis habetur *Marc. VII. 36.* (2.) quæ modò ſuſcipitur vanò & carnali, ut *Joh. VI. 15.* hoc modo delinquebat populus. (3.) quando ita DEUM inter profanos aut infirmos glorificamus, ut vel profanis objiciatur ſcrum, vel infirmi offendantur &c. Nimirum ſicuti confeſſio Chriſti externa aliquando intempeſtiva erat & ideo interdicta *Matth. XVI. 20.* ita eſt quoque aliquando intempeſtiva celebratio externa.

Ibid. Quando his, quæ non ſunt DEUS, glorificatio ejusmodi præ-

stratur :) *B. D. Osiander* hoc peccatum appellat *Obliquationem Glorificationis* in *Theol. Moral. Part. Spec. p. 361.* Huc refert (1.) preces *Ethnicorum*, qui vel creaturas, vel sculptilia adorant & celebrant, conf. *Judic. XVI. 23. Actor. XIX. 28. Daniel. V. v. 4.* (2.) *Judæorum*, qui DEUM quidem celebrant, sed non ut Patrem Domini nostri Jesu Christi. His jungi possunt *Mohammedistæ* (3.) *Papistarum*, qui Sanctos mortuos & Angelos, præcipuè Mariam divinis in praxi laudibus prosequuntur &c. Plura vide loco citato. Adde B. Auctorem nostrum superius cap. VII. sect. IX. §. II. p. 400. Nec juvat Pontificios distinctio inter λατρειαν, δουλειαν & ὑπερδουλειαν: de qua consule B. Dürrii Annotat. posthumas ad Theol. Moral. nuper à nobis editas pag. 9. 15. Omnium sceleratissima Glorificatio est, quæ in Dæmones derivatur à quibusdam Paganorum, nec non veneficorum & similium.

Ibid. Cum nomen divinum profanatur per blasphemiam :) Blasphemia est probrum conjectum in ipsum DEUM, & est quævis oratio contemtum DEI redolens. Committitur hoc peccatum directè vel contra DEUM, vel contra media gratiæ. *Directè* in DEUM blasphemi sunt, qui probrosè de DEO, mysterio Trinitatis, Incarnationis, Attributis & Actionibus divinis loqvuntur, scribunt &c. *Indirectè* blasphemia effunditur in DEUM, quando Scriptura Sacra, Sacramenta, Conciones

&

& hymni, preces & similia contumeliosè tractantur. Porro Blasphemia alia est *simplex*, quæ fit ex supina ignorantia, vel prava consuetudine, aut vanitate, aut perturbatione, prout se olim ex ignorantia blasphemum fuisse fatetur ipse Paulus *I. Timoth. I. 13.* alia autem est *Complexa*, quæ oritur ex proposito & destinato consilio à scientibus & volentibus. Talis est famosi illius Apostatæ Juliani, sub finem vitæ suæ hoc probrum adhuc in CHRISTUM eructantis, *vicisti tandem Galilæe!* Summus Blasphemiæ apex est Peccatum in Spiritum Sanctum. Conf. *B. D. Osiandri Theol. Moral. cit. loc. pag. 362.*

Ibid. Per varias superstitionum species :) Superstitio opponitur Religioni in DEUM per modum alicujus excessus. Non quidem acsi Religio & cultus DEI excedere posset modum in suo genere & forma propria, quæ est convenientia cultus cum Dei verbo & voluntate; sed quòd superstitio ultra regulam & formam cultus Religiosi assurgit & de suo nonnulla velut assumit. Rectè *Hornbeccius* in *Theol. Pract. libr. IX. cap. XI. pag. 233.* indolem superstitionis, quatenus vicinis aliquot peccatis contradistinguitur, exponit, scribens: *Si simpliciter alium, non DEUM, pro DEO colit, est* Idololatria *primi generis, peccans in objecto colendo; sin autem DEO prorsus alienum cultum attribuit, sive nullum, quod eodem redit;* est Impietas: Superstitio *verò DEUM agnoscit ve-*

rum & quadantenus colit, sed insuper de suo affingit heterogenea. Hactenus Hornbeccius. Porro heterogenea hæc non sunt unius generis. *Vel* enim admiscent Superstitiosi in suo cultu talia, quæ cultum divinum ad objecta simul heterogenea, hoc est, talia, quæ DEUS non sunt, derivant, ut si DEUM per Angelos, Sanctos, Astra, Reliquias &c. colere præsumas: *Vel* conspicitur heterogeneum in solo cultus modo, ut si talibus ritibus, qui divinitus præcepti non sunt, sed indolem merè humanam redolent, divinum cultum perficere coneris, aut res ad cultum divinum pertinentes aliter, quàm fieri debebat, applices. Tales superstitiones sunt, religiosæ Pontificiorum benedictiones, consecrationes per aquam lustralem, signa crucis vel amuleta sacris imagunculis aut certis dictis ad singulares effectus insignita, de quibus *Auctor operis imperfecti in Matth. XXIII.* egregiè scribit: *Dic sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus? cui ergo posita in auribus Evangelica nihil prosunt, quomodo possunt circa collum suspensa salvare? Ubi est virtus verbi? In figuris literarum? an intellectu sensuum? Si in figuris; bene circa collum suspendis. Si in intellectu; ergo melius in corde posita sunt, quàm circa collum suspensa.* Hanc superstitionem in Religione adhibitam castigat Apostolus *ad Coloss. II v. 18. seqq.* Præter hanc superstitionem religiosam dantur etiam *vanæ*

quæ

quædam *observantiæ*, quæ itidem superstitionum nomine veniunt; non tamen tàm in religione sunt, quàm aliàs in vita communi, ut si quadrifolium in agro ambulanti occurrat, vel felis dormiens capiti incumbat, candela cæruleum ardeat; salina cadat super mensam &c.

Ibid. Inprimis huc pertinet magia cum suis speciebus:) Magia, Græcis Μαγεία. *Vox est Persica, quam illi ferè accipiunt pro sapientia & perfecta rerum naturalium cognitione. Unde Magi ab illis appellabantur, quos Græci vocant Philosophos,* ut est in Calepini Dictionario octolingui. Porro Magia in latitudine sua distinguitur in *Naturalem*, *Artificialem* & *Diabolicam*. *Illa* est, quæ naturæ arcana non cuivis obvia tradit: *Ista*, quæ per Artis regulas, maximè Mathematicas (unde etiam *Hornbeccio* cit. loc. cap. XII. p. 240. *Mathematica* dicitur:) admirandos producit effectus. *Hæc*, (quæ ex usu loquendi absolutè Magia dicitur) ex collusione sive mediata, sive immediata cum malo Dæmone pendet. Atque de hac agitur h. l. quando oppositæ Glorificationis divinæ recensentur. Appellantur Magi istiusmodi Germanis nostris die weisen Leute / sicuti veneficæ die weisen Frauen dicuntur. An ab Albedine, an à Sapientia? dubitatur. *Hornbeccius* cit. loc. cap. XI. p. 237. & cap. XII. p. 240. reddit *Albas fœminas, artem Albam*, & dicit, domum, ubi puerpera decumbit, signari ex superstitione

Gentili, candido linteo, quod olim contra infestationes Strigum & Lamiarum, quas fœminas albas appellent, factum fuerit. Ego malim dicere, istiusmodi Magos, qui Nigram artem potius, quàm albam exercent, non tàm ab Albedine, quàm à singulari sapientiâ, prædictionibus & aliis effectibus præternaturalibus sese prodere æstimatâ, Germanis die weisen Frauen nuncupari. Artem hanc Diabolicam variè distingvunt Auctores. B. *Dürrius* Magiam aliam constituit *Φαρμακείαν*, aliam *μαντείαν*. Vid. *Theol. Moral. p. 84. seqq.* Paulo aliter Hornbeccius, B. noster Bajerus & alii, qui Magiæ species potiores dicunt *Divinatricem* seu *Vaticinatricem* & *Effectivam* seu *Practicam*. De quibus statim plura.

Ibid. Præsertim vaticinatione:) Divinatrix seu Vaticinatrix Magia est, quando aliquid exponitur occultum, latens & aliis obscurum, sive præsens illud sit, sive præteritum, sive futurum: & quidem ex collusione cum diabolo, utpote in quo forma Magiæ hujus consistit. Græcis *Μαντικὴ* salutatur. Rursus Vaticinia hæc diabolica fiunt *vel* immediatè per diaboli colludentis suggestiones; *vel* mediate, ita ut Satanas aliis rebus naturalibus & signis superstitiosè observatis sese misceat, atque istiusmodi mediis occulta indicet. *Prioris* generis Vaticinia sunt, quando v. gr. Diabolus incantamentis præsens sistitur & consulitur &c. *Posterioris* generis non rarò obtinet in Auguriis, Oniroman-

manticis, Sortilegiis & similibus superstitionibus, quibus diaboli lusus sæpius accedit.

Ibid. Effectiva:] Practica seu effectiva Magia dicitur, quia non nudis prædictionibus absolvitur, sed præter ea admirandos & præternaturales effectus sistit, qui tamen plerique in hominum & pecorum perditione aut saltem infestatione consistunt. Ut quando Intempestates efficiunt, vel mures, erucas, pediculos &c. producunt, imo membra hominum & pecudum vel distorquent, vel enecant &c. Pertinent huc operationes magicæ, quibus immunes aliqui redduntur à globorum & gladiorum ictibus: item quibus morbi, vulnera & similia sanantur. Nec non Lycanthropia, seu transformatio hominum in lupos, feles, frutices, & cæteræ magicæ præstigiæ infinitæ, de quibus consule si placet *B. Dürrium*, *Hornbeccium*, & auctores ab ipsis citatos.

Pag ead. §. III. DEI ipsius præceptum, partim positivum:] Positivè præcepit DEUS glorificationem sui nominis, *Psalmo L. 15. Invoca me in die tribulationis & eripiam te, & tu Glorificabis me.* Item *Deut. VI. v. 13. Dominum DEUM tuum timebis, & ei servies:* quod dictum Christus *Matth. IV. v. 10.* de glorificatione per externum & religiosum adorationis actum fieri solitâ ipse interpretatur. Glorificatio DEI porro in Psalmis quàm sæpissimè declaratur & præcipitur v. gr. *Psalm. XXIX. XCIIX.*

C. CV. CL. &c. Ex N. T. huc pertinent loca Pauli *I. Corinth. XIV. 13. 14. seqq. Epheſ. V. 19. 20. I. Timoth. II. 8. 9. &c.*

Ibid. Partim negativum reſpectu oppoſitorum :] Oppoſita Glorificationis Divinæ recenſita fuerunt §. præcedente. Et quidem (1.) omiſſio Glorificationis caſtigatur graviter *Deut. XXXII. 6. 15. Eſaiæ I. 2. 3. Jerem. II. 5. 6. ſeqq. Hoſeæ II. 8. &c.* (2.) Exhibitio hypocritica & intempeſtiva damnatur locis ad §. præced. citatis. (3.) Obliquatio Glorificationis, quam B. Oſiander ſuperius dixerat, interdicitur non modo in *I. & II. Præcepto decalogi*, ſed etiam *Eſaiæ XLII. 8. Jerem. X. 2. 3.* &c. (4.) Blaſphemia itidem cum *II. præcepto* aperte pugnat, cui accedit gravis conſtitutio *Levit. XXIV. 14. ſeqq.* De Blaſphemia in Spiritum Sanctum conſtat, quòd irremiſſibilis ſit, *Matth. XII. 32.* Conf. *I. Joh. V. 16.* in quem locum elegans *B. Bajeri* noſtri exſtat diſſertatio *de Peccantibus ad mortem.* (5.) Superſtitio non modò prohibetur in Lege Moſis paſſim, ſed etiam ad *Coloſſ. II. 18. ſeqq.* (6.) De Magia vide *Exod. XXII. 18.*

Ibid. Glorificationis Chriſtianæ decor :] Hac enim illuſtri virtute meruit David dici Vir ſecundum Cor Dei *I. Sam. XIII. 14. Actor. XIII. 22.* De laudibus ejus, quas etiam hac meruit virtute, agit *Siracides XLVII. v. 9. 10. ſeqq.* Quid? Glorificare DEVM eſt Beatitudi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0068
DFG

tudinis gloriam & cœlitum consortium anticipare. Hinc David *Psalm. XXCIV. 5. Beati, qui habitant in Tua domo Domine, in secula seculorum laudabunt Te.* Conf. *B. Arndium* de *Vero Christianismo, lib. II. cap. XLIII.*

Ibid. Ædificatio respectu nostri:) Ipsô enim hôc exercitiô pietatis in DEUM, confirmatur & perficitur pietatis habitus: unde David reputans secum & celebrans magnalia DEI, hoc ipso se solatiô erectum scribit, *Psalmo CXIX. v. 52.* conf. *v. 164. 165.*

Ibid. Respectu aliorum:) Hunc finem intendit DEUS, quando jussit, ut Patres filiis suis enarrarent magnalia Dei: scil. ut ipsos ita ædificarent in amore & timore Domini. Conf. *Psal. LXXII 3 4. seqq. Ephes. V. 19. 20.* Accendimus quippe hoc exercitio proximum ad pietatem similem, retrahimus eundem à multis peccatis ad virtutis studium, aut saltem impedimus prava colloquia & varios, qui aliàs futuri fuissent, excessus.

Ibid. Oppositorum ingens turpitudo:) Neglectus Beneficiorum DEI, à DEO stupor asinino & bovino major dicitur *Esaiæ I. 3.* Sic, qui hypocriticè vel intempestivè glorificationem simulant vel prostituunt, itemque qui Glorificationem divinam in creaturas vel arte facta transferunt, blasphemiis sese polluunt, superstitionibus indulgent, magiæ student &c. graviter accusantur & male audiunt.

in Scripturis divinis, *Gal. VI. 7. Hoſ. IV. 12. Rom. VI. 19. ſeqq. Epheſ. II. 12. &c. Coloſ. II. 18. Actor. XVII. 22 II. Reg. I. 3. cap. XXI. 11 &c.*

Ibid. Pœna :] Hanc dictat ipſum præceptum ſecundum decalogi, *Exodi XX. 7. Deut. V. 11.* ubi notatu dignum eſt, quod pœna tantùm generaliter nominetur, non autem determinetur ſpecies pœnæ transgreſſoribus ſecundi præcepti, eô ferè modô, quô pœnas exaggeraturi dicimus, debere transgreſſores *pœnam ſuam non ſcire*, Sie ſollen ihre Straffe nicht wiſſen. Conf. *Rom. I. v. 21 ſeqq.*

Pag. ead. §. IV. Scrutinium & obſervatio quæ in ſcripturis revelata fuerunt:) Hæc reperi poſſunt quoad Glorificationem internam ex capitis præcedentis Sect. IX. & X. quoad cultum DEI externum ex iis, quæ ad §. 1. capitis hujus diximus.

Ibid. Aut ab Eccleſia inſtituta, & ad praxin perducta fuerunt:) Conſtitutiones Eccleſiaſticæ non ſunt unius generis. *Vel* enim I. Eccleſia conſtituit res ad cultum DEI per ſe tendentes, & ſic repetit tantùm illa, quæ DEUS ipſe in verbo ſuo mandavit, ut, ſi fidei articulos repetat ex Scripturis, aut officia Chriſtiana ex iisdem iteratò urgeat, Sacramentorum inſtitutionem ſervari mandet &c. *Vel* II. Conſtituit talia, quæ per ſe quidem pars Divini cultus non ſunt, nec à DEO præcisè mandata, ſed in libertate Eccleſiæ relicta, tanquam

quam adiaphora, interim pro certa temporis & loci ratione, ad cultum DEI, & praxin utilitatis conducibilia, itemque ordinem & decorem sacris publicis conciliantia, iv. gr. Jejunia solennia, festa pœnitentiæ, gratiarum actioni & similibus exercitiis pietatis destinata, item certas precum & hymnorum formulas &c. *Vel* denique III. constituit *partim* talia, quæ sive fiant, sive omittantur, parum pietatem & cultum DEI promovent vel impediunt, adeoque nullum nexum cum cultu divinitus instituto habent; *partim* quæ, si habeant aliqualem nexum, attamen ita extolluntur, urgentur, æstimantur, acsi in talibus ipsa anima omnis cultus divini posita esset. *Prioris* casus exemplum sunt apud Pontificios, preces cum signo crucis inchoatæ & finitæ; *posterioris*, quando iidem jejunia quadragesimalia, aut potius carnisprivia, quæ vocant, usque adeo extollunt, ut hoc Ecclesiæ mandatum in Exercitio pietatis, mandatis divinis se non anteponant, saltem æquiparent: item, quando Sacram Cœnam à jejunis eâ necessitate accipi debere contendunt, ut gravis peccati reus ipsis putetur, qui Cœnam acceperit non omnino jejunus. Videri meretur de istiusmodi præjudiciis potius, quàm Sacris constitutionibus Pontificiis *Erasmus* in colloquio prolixo quidem, sed elegante, quod inscripsit ἰχθυοφαγίαν. Quando igitur h. l. constitutionum Ecclesiasticarum facimus mentionem, *nec* Primas intel-

intelligimus, cùm Auctor Constitutiones ejusmodi Divinis constitutionibus contradistinguat; *nec* Tertias, quæ superstitiones potius & præjudicia, quàm Constitutiones Ecclesiasticæ sunt; *sed* Medias illas, ubi ab Ecclesia talia constituuntur, quæ nexum habent cum pietate, & cultûs divinitus præscripti, etsi non partes, adminicula tamen sunt. His auctoritatem conciliat Paulus, qui, postquam varia circa istiusmodi res constituisset, tandem generalem regulam reliquit *I. Cor. XIV. 40. Omnia fiant decenter & secundum ordinem.* Adde *Rom. XIV. 19. Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis mutuæ* Cæterum quantum incentivum sint in cultu DEI honestæ & secundum ordinem factæ constitutiones, edocemur *Psalmo XXVII. 4. LXIIX. 25. seqq. LXXXIV. 2. seqq.*

Ibid. Exempla probata :] Glorificationis externæ exempla probata sunt Sacrificium Abelis *Genes. IV. 4. Ebr. XI. 4.* Noachi *Gen. IIX. 21.* Abrahami *Gen. XXII. 18 seqq. &c.* Huc refer Pinehasi Zelum pro Domino, *Num. XXV. 11. seqq.* Davidis Chorum Muficum, *1. Chron. XVII. 4 seqq.* Templi Salomonæi inaugurationem solennem *1. Reg. IIX. & IX.* Josiæ preces pœnitentiales *II. Chron. XXXVI. 27.* item *Danielis cap. IX. 23.* Publicani *Luc. XIIX. 14. &c.* Nec mirum B. Auctorem nobis probata commendare exempla inter media hujus virtutis. Ipse Paulus urget exempla, maximè suum,

&

& eorum, qui ut ipse ambulant, ad *Philipp. III. 17.* confer *I. Petr. V. 3. &c.* Suggerit Exempla probata etiam Historia Ecclesiastica tàm antiquor-, quàm recentior, quæ huc trahere infiniti esset laboris.

Ibid. Virtutes Christianæ ad internum DEI cultum spectantes:) Hæ cum suis mediis in capite præcedente, ejusque sectionibus variis ab ipso auctore nostro illustrata habentur.

Pag. 462. §. eod. Juxta lumen naturæ:) Ex naturæ lumine jubemur invisibilia DEI non modò agnoscere, sed etiam celebrare, *Rom. I. 20. seqq.* Exempla, quæ tutò sequamur, suggerit hac ex parte David. *Psalmo* IIX. XIX. XXIX. XCIV. 8. 9. CIV. CXXXIX. CXLVII. CXLIIX. &c. Confer, quæ DEUS ipse ex lumine naturæ urget *Jobi* XXXIIX. *seqq.* Est etiam laudandus *liber quartus B. Arndii* de *vero Christianismo*, in quo egregiè ostendit, quomodo magnus ille liber Naturæ nos convincat de DEO, & ad DEUM adducat, nosque omnes ad DEI glorificationem instiget.

Ibid. Et scripturæ:] Quæ ad DEI glorificationem suggerit Liber naturæ, illa- Scripturæ liber (1) plenius & perfectius sistit, Nec enim triplex via, *Causalitatis* puta, *Eminentiæ* & *Negationis*, eousque assurgunt, quò nos adducunt Oracula & Testimonia divina, quæ in Sacris Scripturis exstant, (2) Agnoscimus eadem

eadem etiam plenius & divinius. Sola enim Scriptura in nobis producit cognitionem divinam & assensum salutarem, h. e. talem, qui omni scientia naturali sit major, utpote testimonio divino & immoto Spiritus Sancti innixus. Pertinent huc Psalmi superius laudati, quibus addimus eos, in quibus perfectiones divinæ, Veritas, Justitia, Sanctitas, Potentia, Bonitas &c. decantantur.

Pag. ead. §. V. Quibus internus DEI cultus impeditur:) Maximè quoad reverentiam, amorem, invocationem, & gratiarum actionem mentalem: de quibus capite præcedente ipse egit Auctor beatus.

Ibid. Amor & cura rerum hujus seculi:) Inter alia impedimenta glorificationis Dei externæ eminet seculi amor & cura rerum terrenarum. Id quod facilè constat ex planis Scripturæ textibus *Matth. VI. 24. Jac. IV. 4. I. Joh. II. 15. &c.* Nec mirum; cum sensu & studio seculi mentes hominum planè obbrutescant. Conf. *Psalm. XIV. 4. 5. XLX. 12. 13. LIII. 5. 6. Luc. XII. 19. 20. 21. Apoc. III. 15. 16. 17.* Adde exemplum Israëliticæ Gentis *Deuter. XXXII. 15. Hos. II. 5. seqq.*

Ibid. Affectatio singularitatis:) Singularitas dicitur illa species vanitatis, qua quis nihil cum aliis commune habere cupit, sed præ omnibus eminere & conspici studet, sive opibus, sive honore & dignitatibus, sive Eruditi onis

ditionis famâ, sive victoriarum & fortitudinis gloriâ, sive pietatis specie, sive voluptatum exquisitissimarum illecebris, & si qua sunt alia, quibus opinio formam boni alicujus singularis peperit. Affectant ergo singularitatem, qui istiusmodi eminentiæ variæ inhiant. Hæc dementia plures ad artes magicas perpulit. Alii enim spiritus familiares, quos vocant, sibi comparaverunt, ut opes consequerentur, alii ut eruditi haberentur, alii ut invincibiles &c. Omnium horum antesignanus, & veluti vivum exemplar esse potest *Simon Magus, Actorum IIX.* Incantationibus enim & operationibus Magicis persuaserat Samaritanis, *se esse quempiam magnum.* Imo eadem vanitas constituit eum Patrem vitii, quod ab ipso *Simonia* dicitur; siquidem ære ab Apostolis comparaturus sibi erat donum conferendi Spiritum Sanctum.

Ibid. Neglectus scrutinii eorum, quæ de hoc officio divinitus, aut ab Ecclesia sunt instituta :) Scrutinium constitutionum divinarum intermiserunt Judæi, qui ideo nec Christum, nec Patrem ejus vel cognoverunt, vel glorificarunt, imo potius utrumque dehonestarunt. Conf. *Joh. V. 37. 38. seqq. cap. IIX. 49. 50. 54. 55. cap. XV. 21. &c.* Nec aliunde inciderunt quinque illi fratres Helluonis *Luc. XVI. 27. seqq.* in præsentissimum periculum damnationis, quàm quòd negligerent scrutinium Mosis & Prophetarum. Neque alio ex fun-

fundamento plurimi Hæreticorum & Fanaticorum, nunc Ministerium verbi externum, nunc vim & efficaciam sacramentorũ, nunc Mysterium Trinitatis, nunc Christi incarnationem, nunc alios fidei articulos impugnant, quàm quia non satis vel didicerunt, vel discere cupiunt, quæ DEUS voluit de his rebus credi, teneri & celebrari. Sic ordinis Ecclesiastici contemtores sæpius illa improbant, quæ nondum satis perspexerunt, vel quoad nexum cum Scriptura & constitutionibus divinis, vel quoad proportionem ad ædificationem. Tales sunt quidam sanctuli, qui abusu quandoque offensi, ex cœtibus Christianis ejiciunt libros precum & cantionum, Musicam &c. Pertinent huc etiam osores librorum Symbolicorum, itemque terminorum Ecclesiasticorum cavillatores, nec non rituum in Ecclesiis pio fine & boni ordinis ergo receptorum censores rigidiusculi. Si enim dicere licet quod res est, nec finem, nec indolem, nec jura divina τάξεως hujus Ecclesiasticæ satis attentè pensitarunt, sed tumultuario quodam præjudicio cum sordibus ipsum infantem ejiciunt. Qua de re fortè alibi dabitur occasio ex professo agendi.

Ibid. Exempla prava:) Si ullibi certè h. l. plurimum valent exempla prava tumultuantium. Natura hominum procax est & innovationum avida. Hinc pridem repetiit sanctus Paulus *I. Corinth. XV. 33.* illud tritum

Me-

Menandri : *Mores bonos colloquia corrumpunt mala.* Inter hæc prava exempla autem nulla sunt pejora & magis pestifera, quàm quæ *vel* à personis Ecclesiasticis, *vel* à Principibus, Regibus & aliis Magnatibus proficiscuntur. Vetus verbum est: *Qualis Rex, talis grex.* Quid scandalorum & calamitatum non pepererunt Reges populi quondam electi, *Joroboam, Menasses, Achab* & similes? quorum auspiciis non modò omnis decor, sed etiam ipse cultus Divinus, tantùm non omnis, previ periit in Israële & Juda. Exempla Ecclesiasticorum in cultus publici innovatione & corruptione reliquerunt summi aliquot gentis judaicæ pontifices, v. gr. *Aaron* in Moscholatria *Exodi XXXII. 21. 25. Jason II. Macc. V. 10. &c.* Si per secula, quibus Ecclesia Christiana viguit, vagari liceret, quot Schismata & certamina observanda se nobis offerrent, quibus materiam suggessit Episcoporum superbia & animi impotentia? Pertinent huc *Nestorius*, *Donatus* & similes. Verum enim est verbum celebris cujusdam Theologi? *Dissidia Ecclesiasticorum persecutiones Ecclesiarum.* Nec privatis exemplis suum deest venenum, quod tristis experientia abunde proh dolor! docet. Ecquis enim ignorat, quòd prava exempla in execrantium, DEI verbum & sacramenta contemnentium, hymnos, preces, & alia Ecclesiastica ad profanas res depravantium, similiumque, consortiis, plus sæpe unâ horâ perdant, quàm nonnunquam per to-

tum annum, maximè pro miserabili Ecclesiarum nostrarum statu hodierno, ædificari potest? Sed querelæ non tam gratæ sunt, quàm necessariæ.

Pag. ead §. VI. Quæ supra vidimus:] Respicit Auctor beatus ad ea, quæ dixerat cap. præced. sect. II. IV. IX. &. X.

Ibid. Ad cavendam Philautiam, inordinatam & abstergendam socordiam:] *Philautiam* inordinatam dicimus, quâ *vel* nos magis, aut æquè amamus, atque DEUM; *vel* in ordine ad proximum sequimur illud tritum, *omnes sibi malle melius esse, quàm alteri.* Hanc Philavtiam expellimus scrutinio nostri & nostrarum rerum etiam in summo flore effictarum. Quanti quanti sumus in aliena potestate sumus, h. e. in potestate ejus, *in quo vivimus, movemur & sumus*, ut Paulus loquitur, *Actor. XVII. 27. 28.* Contra hunc nemo mortalium, etsi etiam omnia mundi regna possideret, quicquam valet. Quamcunque enim gloriam quis consequatur, *Scitur* tamen, *quòd homo sit, qui non possit contra fortiorem se, in judicio contendere*, ut est apud *Ecclesiastem cap. VI. v. 10.* Idem *cap. IIX, v. 8.* in rem nostram scribit: *Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec finitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium.* Præcipue igitur facit ad Philavtiæ exstirpationem jugis meditatio novissimo

tum,

rum, puta Mortis, Resurrectionis, Judicii ultimi & Status æterni, quorum nihil impedire vel effugere possumus. Unde non habemus, cur nobis placeamus, aut nos ita extollamus, ut glorificationem ejus negligamus, qui solus nostri & omnium bonorum nostrorum auctor est. Accedat meditatio nostræ fragilitatis, vanitatisque omnium rerum humanarum itemque periculorum & infinitorum casuum, quibus singulis momentis expositi sumus. Nam his quoque meditationibus damur in ruborem, & à nobis æquè ac aliis rebus caducis vanisque evocamur ad rupem nostram, DEUM, amandum, laudandum & celebrandum. *Socordiam* in investigandis iis, quæ ad officia nostra spectant, abstergunt (1.) Meditatio illius unius necessarii & bonæ partis, quam Maria & elegerat & laudem hoc ipso consecuta fuerat *Luc. X. 42.* (2.) Consideratio status infelicissimi illorum, qui glorificationem divinam non modo intermittunt, sed etiam contemnunt media, quibus poterant ad meliorem mentem excitari. Faciunt huc loca *Luc. XVI. 24. seqq. Psal. XLIX. 12. 13. seqq. Sap. V. 3. seqq. &c.* (3.) Expendatur Irreparabilitas temporis & mediorum gratiæ. Vide *Ebr. IV. 1. 2. seqq. cap. X. 26. 27.* Hodie ergo, si vocem ejus audierimus, ne obduremus corda nostra. Pertinet huc meditatio parabolæ de Virginibus fatuis, quæ cùm illo, quo venerat sponsus, momento imparatæ essent, penitus exclu-

debantur, *Matth. XXV. 10. 11. 12.* (4.) Iteratæ huc pertinent admonitiones Christi ad preces, vigilias, considerantiam, alcaritatem que in curriculo Christianismi. Vide *Matth. XXV. 13. Marc. XIII. v. 33. seqq. Luc. XII. v. 35. ad 46. cap. XXI. 34. seqq. &c.*

AD

CAP. VIII.

SECT. IV.

De

JURAMENTO RELIGIOSO.

Pag. 462. §. 1.

AD cultum DEI:] Juramentum religiosum pertinet ad cultum DEI externum, quia *hoc ipso DEUM glorificamus, quando verbis testamur atque agnoscimus, in eo infallibilem rerum etiam abstrusissimarum notitiam, & præsentissimum ulciscendi & puniendi tum falsitatem, tum scelera & peccata, zelum. Dürrius* in *Theol. Moral. Comp. pag. 91.* Quid? DEUS non modo jussit jurare per suum nomen *Deut. VI. 13. cap. X. 20.* sed etiam hanc cultus Divini partem ipse indicavit *Esaiæ XLV. 23. Jerem. XII. 16.*

Ibid. Juramentum:] Differt Juramentum (1.) à simplici in sermone nostro assertione, per

per *Ita* & *Non*, *Matth. V.* 37. (1.) à Graviore asseveratione per particulas, *Amen*, *vivo*, *vivit anima tua*: quæ passim in scripturis exstant. Nam Juramentum religiosum & propriè dictum importat *invocationem DEI*, *tanquam testis & vindicis*, quæ nec in illa assertione simplici, nec in ista asseveratione fortiore habetur.

Ibid. Præmeditate:] Non leviter, aut citra solers scrutinium sui. Magnum enim est & gravissimum opus, DEUM solenniter testem invocare, & vindicem veritatis sibi constituere. Unde per se patet, ad Juramenta præstanda non esse idoneos (1.) quibus usus rationis non est, ut pueri, amentes: Hi enim non possunt præmeditari tanti momenti opus. (2.) Nec illi ad juramentum admittendi sunt, in quibus non potest præsumi sancta & decens præmeditatio, ut sunt homines Athei, Empæctæ, Scurræ, vel aliàs ob vitæ infamiam satis noti. Tales ad testimonium non sunt admittendi, nedum ad juramentum.

Ibid. Sincere:] h. e. sine fuco vel dolo, sed in fide, & ex animi rectitudine & integritate, *Jerem. IV.* 2. Conf. *Dürr.* c. l. p. 100.

Ibid. Sancte:] h. e. cum reverentia & timore Nominis DEI, quod invocatur, & circa quod jurantes ita versantur, ut propterea dicatur Juramentum, *Juramentum Domini Exod. XXII.* 11.

Ibid. Affirmamus aut negamus:] Duplex juramentum esse dicit *Hornbeccius* in *Theol. Pract. libr. IX. cap. XIX. p. 363.* vel *Assertorium*, quo simpliciter rei veritas confirmatur, aut præsentis, aut præteritæ; vel *Promissorium* de re futura, quod & vim assertorii habet de præsenti animi consilio, & vim obligationis, ex pollicitatione, in futurum. Alii addunt *Comminatorium*, cùm quis malum alteri minatur cum attestatione divinæ veritatis: item *Exsecratorium*, cùm ita per DEUM directè quis jurat, ut severo DEI judicio seipsum aut aliquid sibi charũ subjiciat & obliget puniendum, vel malo subjiciendum, si falsum dicat. Conf. B. *Dürrium* cit. loc. pag. 102. Judæi quadruplex Juramentorum genus recensent, scil. (1.) שבועת ביטוי *Juramentum Futile* seu *Temerarium* (2.) שבועת שוא *Juramentum Vanum* (3.) שבועת הפקדון *Juramentum Depositi*, & (4.) שבועת העדות *Juramentum Testimonii*: de quibus vide *R. Mosen Maimonidem* in *Tractatu* de *Juramentis*, quam Latinitate donavit & Notis illustravit *Joh. Frid. Miegius*. Sed primum & secundum ex recensitis istis generibus, non nisi æquivocè juramenta sunt, & rectius oppositis juramentorum accensentur.

Ibid. Ita ut DEUM cordis nostri scrutatorem & veritatis testem ac judicem invocemus:] Hæc verba exhibent FORMAM JURAMENTI INTERNAM,

NAM, seu id, quod dat esse juramento. Est autem illa invocatio duplex, expressa, & tacita seu interpretativa. Illa expresse DEUM testem & vindicem invocat, ut: *Testis est DEUS; ita me DEUS juvet; DEUS sit vindex &c.* Tacita invocatio fit per alias formulas, v. gr. Auf mein Eyd/bey meinem Eyd &c. Conf. *Dürrium cit. loc. p. 100.* Præter hanc formam juramenti Internam, datur etiam FORMA EXTERNA inceremoniis variis consistens, de quibus vide *B. Dürrium* cit. loc. p. 101. *Hornbeccium* cit. loc. p. 362. & alios auctores passim.

Ibid. Ad augendam DEI gloriam:] Finis Juramenti religiosi esse debet Glorificatio Divinæ Omniscientiæ, Omnipotentiæ, Justitiæ, Veritatisque: unde DEUS juramenta habet pro parte sui cultus, *Esaiæ XLV. 23. Jerem. XII. v. 16.*

Ibid. Proximi utilitatem promovendam:] Cumprimis per hoc, quòd omnis Controversiæ hominum finis est Juramentum *Ebr. VI. 16.* Deinde Utilitas proximi etiam inde cognoscitur, quòd Veritas sic eruta & confirmata innocentem vindicet; nocentem autem convincat; vel, si juramentum fuerit promissorium, quòd sit vinculum quoddam societatis humanæ, & loco hypothecæ pretiosissimæ.

Pag. 463. §. II. Pertinax abstinentia a juramentis:] Abstinentia pertinax est, si quis non vult jurare, quando & ubi debe-

bat, sed promiscuè omnia juramenta improbat, & detestatur, qualiacunque fuerint. Hæc sententia tributa fuit *Waldensibus*, quos tamen ab hac opinione vindicare laborat *Hornbecc. cit. loc p. 356. seq.* Fuit autem olim *Anabaptistarum*, & hodienum est eorundem, & *Quakerorum*, de quibus vide sis *B. Bajerum* in *Collat. Doctr. Quak. & Prostantium cap. XIX. thes. & antitbes. IIX.* Equidem urgent speciosè textum celebrem ex Ore Christi *Matth. V. 34. Ne juretis omnino*, & alterum illum *Jacobi V. 12. Nolite jurare.* At verò respondent nostri, contextum partim, partim collationem Scripturarum evincere, quòd illa verba perperam & præter mentem Christi & Apostoli, capiantur absolutè & citra limitationem. Et quidem *quoad contextum* jubent nos observare, quòd Christi scopus fuerit, repurgare hanc quoque legis particulam à Pharisæorum fermento, qui jurandi formulas illas, quas Christus & Jacobus citatis locis statim subjecerant, introduxerunt, jurantes videlicet per *Cœlum, terram, Jerusalem, Caput nostrum &c.* His, inquiunt, abusibus & huic fermento oppositum esse Christi præceptum *de omninò non jurando*, non autem Mosi, qui de juramentis, tanquam parte divini cultûs, reliquerat suas expressas constitutiones. Porrò cum eædem formulæ reprobræ jurandi improbam peperissent consvetudinem profanè & sæpius jurandi; hinc non modò reprobræ formulæ, sed & improba hoc modo jurandi facilitas

tas castiganda erat, & a Christo seriò præcipiendum, omnino illam consvetudinem esse è mediô tollendam, & sermonem nostrum, sine profanis ejusmodi formulis, terminandum simplici affirmatione & negatione. *Quoad collationem Scripturarum*, quæ simplici acceptione verborum, de quibus controvertitur, repugnat, non incongruè urgent (1.) Mosis constitutiones de juramentis *Exodi XXII. 11. Deut. IV. 13. cap. X. 20.* (2.) Textus *Esaiæ XLV. 23. Jerem. XII. 16.* (3.) Pauli de Juramento dictum *Ebr. VI. 16.* qui etiam suo tempore Juramentum omnis controversiæ hum anæ finem esse dixerat. (4.) Exempla Christi & Apostolorum sæpius à simplici sermone, *Ita & Non*, recedentium. Quid enim notius est, quàm Christo consveta asseveratio fortior, *Amen, Amen.* Paulus sæpius DEUM testem appellavit v. gr. *Rom. IX. 1. Philipp. I. 8. I. Thess. II. 5.* maximè autem *II. Corinth. I. 23.* juravit, dicens: *Testem Deum invoco in animam meam.*

Ibid. Ubi & quando fieri debebant:] Non quovis casu jurare licet, nec de quavis re, quamvis vera, sed tantum *necessitate* id postulante, & ad finiendas controversias. Conf. *Hornbeccium* cit. loc. pag. 364. Est enim juramentum remedium violentum, ad quod non prius est accedendum, quàm ubi omnia alia media deficiunt, & sola supereſt in DEUM omniscium & justum judicem religio, cujus Gloriæ

juramentô rem definiendam commendamus. Absit ergo, ut facilitatem illam, imo temeritatem, probemus, quæ levi mente juramenta vel dictat, vel præstat. Rectius nos edocent Scripturæ, quæ pii hominis criterium ponunt, *si metuat juramentum Ecclesiastæ IX. 2.* Nobis præcipuè placet *Hornbeccii* cit. loc. p. 365. effatum: *Minus peccatur errore mentis, qui apud Anabaptistas est hac in parte, interdicentes omni juramento; quàm improba praxi eorum, qui veritate abutuntur ad temerarium rei religiosæ & tremendæ abusum.*

Ibid. Juramenta temeraria de rebus futilibus:] Juramentum temerarium multis modis fieri potest. Temerè enim jurant (1.) qui de re simpliciter impossibili, aut quæ impossibilis sibi saltem videtur, jurat: (2.) Temerarium juramentum est, quando jurans non satis certis & firmis argumentis in conscientia convictus est. (3.) Temerè juratur, quando res poterat alio modo, quam per juramentum, finiri. (4.) Est etiam temerarii juramenti species, quando res, de quâ juratur, levis est & frivola. Si enim superiora judicia non admittunt adpellationem, nisi causa fuerit prægnans: pudeat nos, in rebus minus gravibus & vanis provocare ad judicium & testimonium DEI.

Ibid. Juramenta per creaturas, non per nomen DEI facta:] De juramen-

mentis per Creaturas notandum, quod obſervat *B. Dürrius* cit. loc. pag. 49. *Quoniam juramentum eſt invocatio divini Numinis, quâ ejus infallibile teſtimonium & vindicem juſtitiam expoſcimus, non poteſt in alterius, quàm veri DEI nomine præſtari.* Hoc quoque volunt conſtitutiones Divinæ ſæpius citatæ *Exodi XXII. 11. Deut. VI. 13. Eſaiæ XLV. 23. ſeqq. &c.* Pontificii docent duplici ratione poſſe quem jurare per creaturas. (1.) *Per creaturas irrationales præſertim ſacras & DEO dicatas, in ordine & relatione ad DEUM:* (2.) *Per Creaturas quasdam rationales, id eſt, Angelos & Sanctos in cœlo regnantes, abſolutè.* Poſteriorem modum repudiant ſaniores omnes, quotquot abhorrent idololatrica illa Sacra: ſed in priore, relativo jurandi modo, nonnulli hærent. Rectè autem utraque ſententia & jurandi ratio rejicitur. Abſoluta quidem per creaturas jurandi ratio improbatur; quia honorem divinum defert creaturæ: Relativa; (1.) quia nullum exſtat ejus rei teſtimonium vel probatum exemplum in Scripturis; (2.) quia per creaturas in relatione ad DEUM jurare, eſt religioſè invocare creaturam in relatione ad DEUM, hoc eſt, deificare creaturas in ordine ad DEUM (3.) quia diſtinctiuncula illa Scholaſtica inter relativum & abſolutum jurandi modum, eſt in theoriâ ſubtilior, quàm utilior in praxi. Quod attinet loca *Geneſ. XLII. 15. cap. XXXI. 53. &c.* illa non ſufficiunt rei, quæ in quæſtione præſenti eſt, probandæ,

bandæ, Plura repete ex *B. Dürrii Comp. Theol. Moral.* cit. loc. ut & *Notis* ejusdem *posthumis* nuper à nobis editis pag. 26. seqq.

Ibid. Juramenta fallacia seu perjuria:] Perjurium aliud *apertum* & manifestum, aliud *palliatum* est : illud apertè & directè falsum jurat ; hoc æquivocationibus ludit & reservationibus mentalibus fallit. Utrumque contra DEUM & Societatem civilem graviter delinquit, & meritò pœnas æternas, ecclesiasticas & civiles incurrit. *B. Dürrius* pag. 103. Compendii sni triplex Perjurium constituit (1.) cum quod falsum est, & tale esse constat juranti, jurejurando confirmatur. (2.) Cùm quis juramento promittit, se istud præstiturum, quod tamen præstare non habet in animo. (3.) Cùm quis quod se facturum jurando seriò dixerat, tamen postea retractat, nec reapse præstat.

Pag. ead. §. III. DEI mandatum :] Juramentum Religiosum per nomen suum præstandum præcepit DEUS *Deut. VI. 13.* X. *20. Exodi XXII. 11.* nec prohibuit Christus, ut paulò antè ad paragr. præced. fusius ostensum fuit.

Ibid. Juramenti ipsius gravitas:] Tremenda res est illa invocatio Testimonii & judicii divini, quæ leviter non est cogitanda, nedum suscipienda. Certè non impunè feret, qui nomen DEI profanè tractat.

Ibid.

Ibid. Rectè præstiti juramenti acceptatio benigna apud DEUM:] Exempla habes juramentorum à DEO gratiosè acceptatorum *Josuæ XIV. 9. II. Paralip. XV. 14. &c.*

Ibid. Oppositorum culpa & noxa:] Temerarii juramenti funestum exemplum dedit Saul *I. Sam. XIV.* Perjurii Zedekias, Regum Judæ ultimus *II. Chron. XXXVI. 13.* Confer. *Ezech. XVII. 16. 18. Amos. I. 9. Malach. III. 5. 1. Tim. I. 10.* Plura vide apud *Hornbeccium* cit. loc. pag. 367. ubi funestum exemplum *Vladislai Poloniæ & Hungariæ regis*, fidem juramenti Turcis præstiti, magno suo malo violantis enarrat.

Pag. ead. §. IV. Timor DEI:] Qui enim DEUM timet, ejusque Sanctitatis, Veritatis & Justitiæ memor vivit, is nihil temerè in tàm arduo invocationis negotio suscipiet.

Ibid. Charitas DEI & Proximi:] Finis juramentorum rectè præstandorum est Gloria DEI & proximi utilitas: Ergo ex utriusque amore uti fluit juramentum religiosum, sic ad idem rectè præstandum impellimur & adducimur eodem amore.

Ibid. Candor & Sinceritas morum & vitæ quotidianæ:] Quibus fides & candor magni fit in vita communi, illi non possunt non religiosi esse in tractandis juramentis. Hinc magnum olim decus erat & gentis nostræ gloria, *Germana Fides.*

Ibid.

Ibid. Præjudicia varia auctoritatis humanæ in sententiis erroneis:] Auctoritas humana in doctrina de Juramentis præjudicia parit, si audiverimus *vel* Quackeros & Anabaptistas, quibus omnino religioni est juramentum præstare; *vel* Scholasticos & Pontificios, qui juramenta per creaturas probant, *vel* Jesuitarum sequamur vestigia de Reservationibus mentalibus, & id genus alios errores.

Ibid. Aut exemplis pravis:] Eorum nempe, qui vel temerariè jurant, vel perjuria committunt, vel æquivocationibus juramenta eludunt &c.

Ibid. Contemtus DEI:] Athei Practici & Empæctæ, qui nulla religione in DEUM feruntur, non possunt religiosè tractare juramenta. Qui enim DEUM contemnit, quomodo is religionem præstabit invocationibus testimonii & judicii divini?

Ibid. Inordinatum studium honoris aut opum &c.] Perjuria multa committuntur propter opes & pecunias vel acceptas, vel non acceptas, solutas vel non solutas. In ejusmodi enim casibus & controversiis, finem tandem facit juramentum Domini, *Exodi XXII. 11.* ubi quidem, hodie præsertim, multi perjuriis sese purgant, & à præstatione liberant. Sic multi ut honori seculari suo consulant, juramentis falsis sese purgant. Avarus enim, vel gloriæ & famæ

suæ

ſuæ ſtudioſus, uti quidvis propter opes vel gloriam, ita perjurium etiam ſæpius præſtat. *Eſt* enim *ſtudium pecuniæ radix omnium malorum*, dicente Paulo *I. Tim. VI. 10.* & ut verſu præcedente dixerat, facit *ut qui volunt diteſcere, incidant in tentationem & laqueum & cupiditates multas, quæ demergunt homines in exitium & interitum.*

Ibid. Metus malorum temporalium:] v. gr. pœnæ civilis aut capitalis cujuscunque. Hæc perjuria in hodiernis judiciis, & maximè Academiis, non ſunt infrequentia; ubi metu pœnæ, vel ne amittat beneficia, aut alia incommoda ſubire cogatur, haud rarò temeraria juventus perjuriis ſeſe implicat.

Pag. ead. §. VI. Doctrinæ præſentis juxta auctoritatem DEI revelantis ſolicita conſideratio &c.] Errores à doctrina & Praxi Chriſtiana non poſſunt aliter removeri, quàm per ſcrutinium attentum Scripturarum, quæ ſolæ nos faciunt ad omne opus bonum perfectè apparatos *II. Tim. III. 16. 17.*

Ibid. Si quæ a contemtu DEI abſtrahunt:] Talia ſunt (1.) liber Naturæ, ex quo diſcimus & DEUM eſſe, & eſſe eundem omnium auctorem. & juſtum, & ſapientem, & omnipræſentem, omnipotentem &c. qui adeo eſt, ut DEUS, glorificandus & timendus ſuper

omnia

omnia. (2.) Quotidiana experientia justorum judicorum DEI in perjuriis puniendis, *nunc* aperte, uti hoc obtigit Vlatislao Polonorum & Hungarorum Regi; *nunc* tectè, tum ordinariè quicquid perjuriis impetratum est, dissipatur & male quæsitis non gaudet tertius hæres. (3.) Liber Scripturæ seu Lumen Revelationis supernaturalis, ejusque diurnum nocturnumque scrutinium, utpote quo ipso in nobis excitatur sacer horror & religiosa reverentia in DEUM & ejus statuta, *Psalm. CXIX. 120.*

Ibid. Ab avaritia, ambitione &c.] Talia sunt, quæ B. Auctor suggerit inferius cap. IX. Sect. III. ubi de Officio Hominis circa fortunæ bona agitur.

Ibid. Omnium malorum maximum, ex offensa DEI nasci :] Opponitur hoc consilium Metui malorum temporalium, quo sæpius homines ad perjuria seducuntur. Vis ejus consistit in eo, quod in Scyllam incidimus, dum vitare conamur Charybdin, secundum illud *Ebr. X. 31. Horrendum est incidere in manus DEI viventis.* Conf. *Thren. I. 14. Galat. VI. 7. &c.*

AD

AD

CAP. VIII.

SECT. V.

De

VOTO RELIGIOSO.

Pag. 464. §. I.

AD cultum DEI externum spectat votum:] Certè ut partem cultus sibi debiti exigit DEUS Solutionem vel Redditionem Votorum *Psalmo L. v. 13.* Celebramus autem in Voto Religioso DEUM, ut omnis boni auctorem, cui omne bonum, vel quod accepimus, vel quod accipere gestimus, unicè acceptum sit ferendum. Huic ergo fini destinamus nostra vota; non quod aliquid possimus dare DEO, sed ut testemur gratitudinem, atque ad eam omnimodo præstandam nos eò magis astringamus & excitemus. Conf. *Psalm. LVI. 13. Super me, Domine vota Tua, Laudes Tibi persolvam.* Conf. *Hornb. cit. loc. cap. XIIX. p. 357.*

Ibid. Pollicitatio religiosa:] *Votum* minus est *Juramento*; majus *Oratione* & simplici animi *proposito*. Est enim Votum talis Oratio, qua DEO spondemus aliquid & promittimus nos præstituros, ad singularem ejus cultum. Hinc Moralistæ requirunt ad Votum (1.) deliberationem, (2.) propositum voluntatis;

(3.) Promissionem, in qua perficitur ratio voti. Conf. *B. Dürrium* in Theol. Moral. Comp. pag. 106. & in *Notis* posthumis p. 32. in priore loco ex pontificiis adducuntr *Thomas* & *Azorius*, in posteriore, *B. Martinus Chemnitius* & *Hornejus*, nostrates. Votum ergo non est, nisi proposito voluntatis accesserit Pollicitatio vel promissio Religiosa, quæ ultimum complementum voto addit. Porro pollicitatio illa est *vel* communis, ut fit in Baptismo; *vel* specialis occasione vel mali avertendi, vel boni obtinendi, vel boni obtenti, aut mali depulsi intuitu. Conf. B. D. *Osiandr.* Theol. Moral. Part. Special. pag. 367. & *Hornbecc.* p. 359. *Dürr.* c. l. p. 111.

Ibid. DEO:] Objectum, cui vota nuncupari debent, solus DEUS est, quippe solus καρδιογνώστης, & solus invocationem & voti violati pœnam sibi vendicans. Ipsi etiam Pontificii hoc agnoscunt, sed præter vota immediatè DEO facta fingunt vota mediatè, puta per Sanctos, DEO facienda, *quasi Sancti quodammodo Dii sint participativè*, ut ex *Sayro* docet *B. Dürrius* cit. loc.

Ibid. De re possibili:] tàm physicè, quàm moraliter. *Physicè* possibile est, quod vires voventis non excedit: *Moraliter*; quod non excedit licentiam, sed quod fieri potest per leges & honestatem.

Ibid. Deoque grata:] h. e. De re tali, quæ convenit cum verbo DEI & voluntate ejus

ejus patefacta. Vid. *Dürr.* cit. loc. pag. 110. & in Notis p. 33. Sunt autem talia, *vel* quæ sunt cultus divini, *vel* ejus adminicula; & hæc iterum, *vel* Positiva, *vel* Negativa. Vid. *Hornb. Theol. Pract.* c. l. *p. 558.* &, qui brevius hæc tangit, B. D. *Osiandr.* cit. loc.

Ibid. Ex libera voluntate:] Spiritus enim spontaneus in votis regnare debet. Hinc *Levit. VI. 16.* נדר seu *votum* & נדבה, *voluntarium*, *voluntaria oblatio*, *voluntarium munus*, conjunguntur. Cave tamen putes, inde sequi, quòd votum non possit esse nisi de non præceptis, ut quidam Scholasticorum volunt, quos refutat B. D. *Osiander Theol. Moral. Part. Spec. p. 374.* Certè David. *Psalm. LVI. v. 13.* vovit DEO gratiarum actionem, item Jacobus vovit *Genes. XXIIX. 20. Erit mihi Jehova in DEUM &c.*

Ibid. Facta ad DEI gloriam, & voventis ipsius, proximique utilitatem:] His verbis indicatur Finis Voti Religiosi, qui triplex est (1.) respectu DEI (2.) respectu voventis (3.) respectu proximi. *Respectu DEI* est ejus Gloria: & hæc quidem finis est ultimus atque primarius, cùm votum sit pars cultus divini. *Respectu voventis* est *partim* exercitium pietatis in DEUM, & Charitatis in Proximum; *partim* mortificatio carnis, & prohibitio à pravis cupiditatibus. *Respectu Proximi* tan-

dem aliquando intenditur ejus sublevamen, aut certè ædificatio.

Pag. ead. §. II. Sanctis, quasi religiosè factum:] Hic votorum abusus est apud Pontificios, qui non soli DEO, sed etiam sanctis vota nuncupant, quos supra notavimus ad §. præcedentem ex B. Dürrio,

Ibid. Vel physicè vel moraliter impossibili, vel turpi Deoque ingrata:] Talia vota sunt (1.) de re impossibili, si quis voverit omnis omnino lapsus evitationem; transcendit enim nostras vires & conditionem hujus vitæ: (2.) de re turpi Deoque ingrata; quale votum erat illorum Judæorum de occidendo Paulo *Actor. XXIII. 14.*

Ibid. Vel alias temere & absque justa deliberatione facta:] Talia vota sunt Jephtæ *Judic. XI. 10. seqq.* de quo pluribus vide *B. Dürrium cit. loc. p. 107. seqq.* Saulis *I. Sam. XIV. 24. seqq.* Huc pertinent vota Monastica Pontificiorú, votum præcipuè Continentiæ, Obedientiæ & Paupertatis. De his multa disputat *Dürrius cit. loc. pag. 114. seqq.* Adde *Notas posthumas p. 32. 33.*

Ibid. Non tendentia ad gloriam DEI, sed nostram:] Ut quando quis pias prætendens in voto suo causas, revera nominis sui splendorem & famam intendit; quod quidem sæpius usu venit.

Ibid. Voti validi violatio:] Validum

lidum votum est, quod omnes voti religiosi conditiones habet. Violatur, quando non præstatur quod vovebatur. Notanter *Ecclesiastes cap. V. v. 3. 4.* ait: *Cùm voveris votum DEO ne tardes reddere illud: quia non est voluntas in stultis. Quæ voveris redde. Melius est, quod non voveas, quàm quod voveas & non impleas.* Plura hanc in rem loca collegit *Hornbecc. cit. loc. p. 359. 360.* Admittitur tamen aliqua in dispensandis votis ἐπιείκεια, ita ut Pontificios hoc nomine B. *Chemnitius* in *Exam. Concil. Trid. part. III. pag. 139.* castiget, quòd nullam in votis ἐπιείκειαν admittant.

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:] Puta de voto nonnisi legitimè faciendo & de legitimo facto servando. Aliàs absolutè loquendo, observatu dignum est, quòd in Nov. Test. nos nullum sive mandatum sive promissum habeamus de votis DEO faciendis. Adde, quòd Exempla sint rariora & ferè nonnisi ea, quæ à divinæ voluntatis præscripto abeunt. Conf. B. *Dürrium* pluribus hæc ostendentem *cit. loc. p. 112. 113.* De reliquo mandata de votis circumspectè faciendis & solvendis exstant loca *Deut. XXIII. 21. 22. 23. Psalm. L. 14. Actor. V. v. 3. seqq.*

Ibid. Voti ipsius in relatione ad eum, cui fit, facta gravitas:] Videlicet DEUS non irrideatur *Galat. VI. 7.* aut, *num homo spoliet DEUM? Malach. III. 8.*

Ibid. Secus facientium ignominiæ & pœnæ:] Stulti enim sunt, qui vovent & non implent *Eccles. V. 4.* Pœna voti violati patet exemplo Ananiæ & Sapphiræ *Actor. V. 3. seqq.*

Pag. ead. §. IV. Virtutes, quæ ad cultum DEI internum pertinent:] Puta DEI amor, timor & similes, de quibus capite præcedente.

Ibid. Libertate CHRISTIANA circa adiaphora:] Adiaphora sunt res naturâ suâ indifferentes, quæ per se nec bonæ sunt, nec malæ, adeoque liberè vel usurpari, vel omitti possunt, v. gr. discrimina temporum, ciborum, vestimentorum, ritus sacri, ordo lectionum, cantionum, precum &c. De his omnibus tenenda est doctrina Pauli *ad Coloss. II. 16. 17. seqq. I. Timoth. IV. 8. &c.* Interim tamen caveamus, ne turbemus ἡσυχίαν & tranquillitatem ecclesiæ, aut scandala faciamus juxta illud Pauli *Rom. XIV. 19. 20.* Prout igitur ex hypothesi adiaphora fieri possunt talibus in casibus necessaria; ita etiam per votum DEO factum vim necessitatis induunt. Sed caveatur, ne putemus, hæcce talia in se nos commendare DEO: Commendabunt autem, si foveantur propter ædificationem vel nostram, vel alienam &c. Sic votum abstinendi à vino, quò tanto aptior sies ad perpetuam sobrietatem, cæteris paribus, bonum

num est. Huc quoque pertinent consilia Pauli de Cœlibatu *I. Cor. VII.*

Ibid. Status nostri præsentis, idemque futuri cognitio & meditatio sufficiens:] Multa inter os & offam intervenire possunt, & sæpius accidit in puncto, quod non speratur in anno. B. *D. Balduinus* proinde dedit hoc consilium *in Casibus Conscient. l. 2. c. 8. Cas. 1.* ut, maximè in difficilioribus, *votum faciamus cum conditione, si DEUS voluerit, vires que præstandi largitus fuerit.* Quod si tamen votum per imprudentiam feceris, non erit ei ita morosè inhiandum & inhærendum, ut nullus planè sit locus pœnitentiæ. Vide quæ hanc in rem docet *B. Dürrius cit. loc. pag. 113. 114.* Adde *B. Chemnit.* in *Exam. Concil. Trid.* cit. loc. ubi egregiè ostendit, DEUM ne quidem in Veteri Testamento tales, quos Pontificii nectunt, laqueos ob vota injecisse hominibus, sed dispensationi & commutationi aliquem reliquisse locum.

Pag. 456. Exempla sanctorum religiosè voventium & vota servantium:] Talia exempla sunt Hannæ *I. Samuel. I. 27. 28.* Naemani *II. Reg. V. 17. seqq.* Pauli *Actor. XVIII. 18.* & præcipuè David in votis solvendis excelluit, vid. *Psalm. LXVI. 13. 14. CXVI. 14. 18.* &c.

Pag. ead. §. V. Neglectus virtutum,

quæ medii locum habent:] Videlicet Amoris, Timoris DEI &c.

Ibid. Præjudicia in doctrina de votis:] Sic Pontificii votis non monasticis suis tantam vim adscribunt, ut credant homines posse per illa impetrare peccatorum suorum remissionem & quæ id genus plura recenset *B. Dürrius* cit. loc. p. 115. itemque B. *Auctor noster* in *Collat. Doctr. Pontif. & Protest. Disp. XXIV. thes. & Antithes. VII. seqq.* Alia quædam Pontificiorum de votis præjudicia adducit & confutat *B. D. Osiander* in Theol. Moral. cit. loc. p. 374. &c.

Ibid. Deque adiaphoris:] Sunt qui in excessu, sunt qui in defectu peccent Anabaptistas & quosdam alios si audierimus, sæpissimè infans cum sordibus erit ejiciendus. Pontificiorum superstitio ob excessum etiam hic in Theologia Polemica vapulat.

Ibid. Avaritia & philavtia quælibet inordinata:] Avaritia sæpius impedit, quô minus solvas, quod voto destinâras. Hæc indoles illorum erat, de quibus legimus *Malach. I. 14. Maledictus dolosus, in cujus grege est masculus, sed vovet & immolat corruptum Domino.* Similiter Philavtia sæpius efficit, ut ne agas, quod voveras, quia molestiarum plus sentis, quàm primitus credideras, ex voto. Ita votum baptismale nostrum de abnegatione Satanæ, mundi & carnis, vel suffocando Adamo veteri, sexcenties violamus ex philavtia inordinata.

Pag.

Pag. ead. §. VI. Virtutum memoratarum:] Amoris & Timoris DEI, Gratitudinis & Fiduciæ &c.

Ibid. Fugam vitiorum:] Philavtiæ, Avaritiæ & similium.

Ibid. Characteres, quibus vera sententia de votis atque adiaphoris a præjudiciis oppositis distingvitur:] Charactares istiusmodi sunt 1. Aurea mediocritas inter excessum & defectum, si nempe & superstitionem, & tumultuarium contemtum evitaverimus. 2. Constans respectus ad Gloriam DEI & ædificationem tàm nostram, quàm proximi. 5. Cauta & circumspecta votorum tractatio &c.

AD

CAP. VIII.

SECT. VI.

De

JEJUNIO RELIGIOSO.

Pag. 465. §. 1.

REferri potest ad cultum DEI externum:] Jejunium enim voti species est, quo utimur, tanquam adminiculo pietatis & pœnitentiæ coram DEO. Conf. *Höpfner. in Dispp. Theol.*

Theol. in unum fasciculum collectis, Disp. XI. pag. 324. 325.

Ibid. Jejunium religiosum :] *Jejunium* idem est Latinis quod *inedia*, & jejunus vocatur, qui nondum pastus est. Similiter Græcis νηστεύειν est quasi μὴ ἐσθίειν. Vid. B. D. *Henr. Hopfnerus cit. loc. p. 316. Religiosum* dicitur, ut distinguatur non modò ab *inedia coacta*, sed etiam à *voluntaria vulgari*, quæ aut valetudinis recuperandæ & tuendæ causa suscipitur, estque *jejunium medicum*; aut reipubl. gratia, ut cœpta negotia celerius perficiantur, tale jejunium esse dicunt auctores illud à Rege Saule indictum *I. Sam. XIV. 24.* Vocaturque *jejunium Politicum.* Conf. B. *Hopfnerum* cit. loc. *p. 317. 318.* Idem videatur pag. 334. 323. ubi Jejunium Religiosum in *publicum* & *privatum*, & illud denuo in *consvetudinarium* & *indictivum* distingvit: De quibus speciebus jejunii h. l. distinctius agere non licet.

Ibid. Abstinentia a cibo potuque vel omnimoda, vel secundum quid:] Abstinentia *omnimoda* est, quando ad aliquod tempus nihil omnino vel potus vel cibi sumimus. Idque vel *ordinariè*, quando nempe religionis ergo tamdiu abstinetur à cibo & potu, donec naturæ vis non inferatur; vel *miraculosè*, quando jejunium tale supra & præter naturæ humanæ conditionem sustinetur. Talia jejunia miraculosa erant Mosis *Exodi XXXIV. v. 28.*

Eliæ

Eliæ *I. Reg. XIX. 8.* Christi *Matth. IV. 1.* Porro *secundum quid* abstinemus, quando non quidem ab omni omnino cibo, sed tamen tàm à delicatiore & exquisito alimento, quàm à solita quantitate, nobis temperamus. Tale jejunium erat *Danielis cap. X. 3.* Hoc sensu Johannes Baptista dicitur *Matth. XI. 18.* nec edisse nec bibisse, quia scil. comederat nil nisi locustas & mel sylvestre *cap. III. 4.* nec biberat vinum & siceram *Luc. I. 5.*

Ibid. Ratione quantitatis:] Quantitas in eo sita est, ut jejunantes non modò *moderatè*, sed omnino *parcè* vescamur. Prius enim Temperantiæ est; posterius Jejunii. Illa virtus est Christiana, quæ omni tempore nos decet; hoc ad certum tempus fieri potest & solet. Quod si tamen aliquando Temperantia Jejunii nomine venerit, appellatur discriminis ergo *Jejunium ethicum.*

Ibid. Qualitatis alias usitatæ:] *Qualitas ciborum medicorum ita comparata esse debet, ne sint nimis exquisiti & calore insito sanguinem ad ignaviam, petulantiam & libidinem inflamment, sicut Daniel dicit, se tempore jejunii panem desiderabilem non comedisse, & carnem & vinum non introisse in os suum cap. X. 3.* verba sunt B. *Dürrii cit. loc. p. 117.*

Ibid. Libere ac religione susceptа:] *Coacta* jejunia sunt, quando aut non habetur, quod edatur, aut defectus occasionis cibum interdum

tercipit, ut *Actor. XXVII. 33.* Talis inedia coacta dicitur *fames & sitis II. Corinth. V. 27.* Sed hæc jejunia coacta non sunt hujus loci. Additur *religiosè*, ut distingvatur ab aliis jejuniis voluntariis, quæ non tàm religionis, quàm v. gr. sanitatis causa fiunt.

Ibid. Ad excitandam majorem devotionem:] h. e. ardentiorem attentionem ad preces, & alia pietatis exercitia, v. gr lectionem & auditionem verbi &c. Exempla habes *I. Samuel. I. 8. 15. Jerem. XXXVI. 9. 10. Esther IX. 31. Dan. IX. 3. Actor. XIII. 2. I. Corinth. VII. 5.*

Ibid. Ad DEI gloriam:] Finis ultimus hic esse debet jejuniorum religiosorum, cui reliqua omnia sunt subordinanda.

Ibid. Nostramque ædificationem:] *Partim* per exercitium pœnitentiæ, & luctum de nostris peccatis; *partim* edomando nostram carnem subtractione fomentorum: huc referunt illud ὑπωπιάζειν *I. Corinth. IX. v. 27. &c. partim* excitatione Spiritus ad ardentiorem DEI cultum, ut paulo ante diximus. De finibus variis jejuniorum religiosorum videatur *B. Hopfner.* cit. loc. *pag. 321. seqq. B. Dürrius cit. loc. pag. 118.* ita de finibus jejuniorum loquitur. *Finis jejunii* unus *est, ut animi intentio & devotio ad sanctas meditationes & alia pietatis exercitia acuatur, unde in Scripturis*

sæpe

sæpe jejunium & oratio conjunguntur Matth. XVII. 21. Luc. II. 23. I. Corinth VII 5. Alter, *ut pabulum lasciviæ carni subtrahatur & spiritus imperio subjiciatur exemplo Pauli I. Corinth. IX. v. 27.* Tertius, *ut externo hoc signo interior animi humilitas declaretur.*

Pag. ead. §. II. Cum quis aliis ex instituto Ecclesiæ jejunantibus, sine necessitate &c] Dantur homines profani, qui ecclesiam DEI contemnunt, cum illis *Corinthiorum*, quos Paulus *I. Epist. XI 22.* castigat. Hinc locô jejuniorum, exercitio pœnitentiæ dicatorum, ipsi suis cupiditatibus indulgent, & adeo non jejunant, ut etiam in contrarium currant & comportationibus sese dedant, non sine scandalo sæpius publico. De reliquo excipiendos esse infirmos, qui non contemtûs, nec intemperantiæ, sed valetudinis causâ, à publicis jejuniis sese excipiunt, facilè agnoscitur: Satis quippe afflicti sunt, quibus cum medicis res est; nec his jejunium, sed robustis & sanis indicitur. Digna sunt *B. Hopfneri* verba cit. loc. pag. 336. quæ huc transferamus. *Cum legitima causa adest jejunium solvendi, non peccat, qui non jejunat, dummodo scandalum non præbeat. Tunc enim demum offenditur DEUS, & læditur conscientia, si leges istæ vel ex contemtu, vel neglectu ministerii, vel ex petulantia aut ambitione ad Ecclesiam turbandam, aut contentionis vel novitatis studio & cum offensione infirmorum violen-*

tur

tur: non quidem ob neglectum mandati humani aut Ecclesiæ; sed ob neglectum causarum, quas sui mandati Ecclesia habuit, nec non ob causas eas, ex quibus neglectus proficiscitur. Plura vide cit. loc. ubi solidè ostendit, nostros Doctores non simpliciter omnes Ecclesiæ de jejuniis constitutiones rejicere, sed tantùm despoticas & quæ conscientiis laqueos injiciunt, atque obligant ad necessarium & superstitiosum cibi delectum. *B. Chemnitius* ait: Loquor de legibus, quæ opinione necessitatis proponuntur: *Quando autem ordinis gratia propter pias causas finales jejunia indicuntur, tunc alia ratio est.*

Pag. 466. §. eod. Jejunio valetudini vim facit:] Paulus ad *Coloss. II. 23.* ἀφειδίαν seu læsionem & nimium neglectum corporis vocat, & expressè damnat.

Ibid. Cum delectus ciborum, qualiscunque, admissis etiam lautioribus cibis aut potu, vero jejunio substituitur;] Delectus ciborum à Paulo vehementur taxatur passim, præcipuè *I. Timoth. IV. 3. ad Coloss. II. 20. seqq. &c.* Nihil autem magis repugnat Jejunio Religioso, quàm Jejunium hypocriticum cleri pontificii & aliorum opulentiorum inter eos, qui loco carnium utuntur cibis longè delicatioribus & cupediis. Eleganter de iis Alanus apud B. *Hopfnerum cit. loc. p. 342. Hodie gulæ vitium profundius se exporrigit in dominos & prælatos, qui Salomones, luci-*

lucios, cæterosque pisces æquipollente generositate insignes, variis decoctionum cruciant martyriis, balneantes officio sacri piperis, ut multiformem soporis gratiam consequantur.

Ibid. Cum superstitione aut opinione meriti:] Jejunia *superstitiosa* sunt, in quibus occurrit (1.) καινοζηλία quadragesimalis jejunii Mosis, Eliæ & Christi. *Severinus Binius*, præter alias causas instituti jejunii quadragesimalis, hanc vel in fronte adfert, *ut Christum, qui est caput nostrum quadraginta diebus jejunantem, nostri causa patientem, nos quoque, quantum possumus quidem,* quadraginta diebus jejunando, *corpus nostrum affligendo imitemur.* Decimationem animarum peculiari computo in Quadragesimali jejunio Græcorum ostendit *Christoph. Angelus* de *statu & ritibus Græcæ Eccles. cap. IV.* (2.) Superstitiosum jejunium est, quod magis delectus ciborum & carnisprivium, quàm religiosum jejunium est. *Pharisaicum* autem, & cum opinione meriti conjunctum jejunium est itidem Pontificiorum jejunandi ratio. Tribuit enim Bellarminus jejuniis meritum de congruo, quo possit justificationis gratiam mereri impius, nec non meritum de condigno, cui respondeat merces, nempe salus & vita æterna. Plura vide apud *B. Höpfner. cit. loc. pag. 347.* Notari etiam meretur, quod *Lightfootus* in *Horis Hebraic. ad Matthæi cap. IX. v. 14. p. 317.* monet de Jejuniis Pharisaicis pro insomniis felicibus,

bus, vel aliis desideriis suis consequendis : Quæ jejunia superstitiosis merentur accenseri.

Ibid. Non ad unius DEI gloriam tendens :] Talia sunt jejunia eorum, qui non DEO, sed sibi, h. e. suæ gloriæ jejunant *Matth. VI. 16.* Item eorum, qui Sanctis jejunia vovent & præstant; nec minus illorum, qui jejunia religiosa per leges jejunales hominum agunt, contra illud Pauli *Colloss. II. 20.*

Pag. ead. §. III. Præcepta DEI :] Judæis jejunium unicum quotannis celebrandum divinitus præscriptum habetur *Levit. XVI. 29.* In novo autem Testamento nullum est divinitus mandatum jejunium, sed libertati Christianæ relictum. Sunt tamen præcepta divina circa jejunia v. gr. *Matth. VI. 17. 18.* quòd jejunia non sint hypocriticè instituenda. Item quòd non sint superstitiosè agenda ad *Coloss. II. 20.* &c. De reliquo adeo non improbantur in N. T. jejunia rectè facta, ut potius commendentur *Matth. XVII. 21. I. Cor. VII. 5. &c.*

Ibid. Jejunii rectè celebrati decor & usus :] Utrumque patet ex Jejuniorum rectè celebratorum (1.) Causis impulsivis v. gr. luctu de peccato *Joël. II. 12. seqq. Jon. III. 5. 7. &c.* Condolentia erga proximum afflictum *Psalm. XXXV. 13. &c.* (2.) Causis finalibus, v. gr. edomatione carnis, accensione animi ad preces & alia pietatis exercitia &c. (3.)

(3.) Ex effectibus aut potius præmiis, quibus DEUS Jejunia rectè instituta ornavit. *Jon. III. 10. Matth. VI. 18. Marc. IX. 29. &c.*

Ibid. Turpitudo & pœna peccantibus destinata:] Videantur hanc in rem *Esaiæ cap. LIIX. v. 3. 4. 5. Jeremiæ cap. XIV. v. 12. Matth. VI. 16. &c.*

Pag. ead. §. IV. Virtutes ad internum DEI cultum spectantes:] De quibus capite præcedente per sectiones plures.

Ibid. Temperantiæ cultura frequens & attenta:] Temperantia est virtus Christiana, quæ semper & omnes omninò & ubique decet. Vid. *Luc. XXI. 34. Ephes. V. v. 18.* &c. At verò qui temperantiam sedulò colit, ei jejunium piè & religiosè celebrandi vires nunquam deerunt: quod suô exemplô Christiani & homines pii in utroque Testamento pridem ostenderunt.

Ibid. Doctrinæ de Adiaphoris cognitio recta & sufficiens:] Ut videlicet nobis & à superstitione & petulantia vitæ dissolutæ & inordinatæ cavere queamus. Nec enim jejuniorum secundum Scripturæ ductum institutorum alii ferè deprehenduntur hostes, quàm qui dissolutæ vitæ student.

Ibid. Reverentia erga Ecclesiam':] Ecclesiæ est, publica indicere jejunia, quemadmodum alia quoque, quæ ad ordinem & honestatem, cultusque religiosi decens exercitium faciunt,

ciunt, ex Ecclesiæ pendent dispositione & constitutione. Hanc ergo qui non contemnit, sed audit, non potest irreligiosè tractare jejunia publica secundum Scripturæ sium instituta: qui tamen abusus & ruditas disciplinæ passim viget.

Ibid. Exempla rectè jejunantium:] Talia sunt v. gr. *Danielis cap. IX. 3.* Cornelii, Centurionis *Actor. X. 30.* Hannæ *Luc. II. 37.* &c.

Ibid. Preces pro directione mentis & actionum nostrarum ad sanctum finem:] Certè enim ut omnia dona & bona spiritualia, non sunt aliunde, quàm à luminum patre; ita quoque hoc donum rectè per preces petitur à DEO, sine cujus gratia caro nihilominus luxuriat & subactionem frustratur. Confer, quæ hanc in rem docet & dicit *B. Höpfnerus cit. loc. p. 323. 324.* Qui autem suis viribus fidunt, nec precum nituntur ardore, facillimè labi possunt, imo non possunt non suæ temeritatis dare pœnas justas.

Pag. ead. §. V. Irreligiositas:] Qualis est Empæctarum, qui juxta proprias concupiscentias ambulant *II. Petr. III. 3.*

Ibid. Intemperantia:] Hæc est illorum, qui cum Helluone illo *Luc. XVI.* quotidianis voluptatibus diffluunt, & de mandato Christi *Luc. XXI. 34.* parum cogitant, multo minus illud exercent.

Ibid.

Ibid. Præjudicia de adiaphoris:] Sive in excessu, sive in defectu peccent; h. e. sive superstitiosè adiaphororum usum determinatum admirentur, sive libertatem Christianam in licentiam carnis & ἀταξίαν convertant.

Ibid. Irreverentia erga ecclesiam:] Qualem proterviam castigat Paulus *I. Corinth. XI. 22.* imò Christus ipse *Matth. XIIX. 17.*

Ibid. Prava exempla:] Sive superstitiosè & hypocriticè jejunantium, sive jejunia etiam publicè & piè indicta contemnentium & temere negligentium.

Ibid. Ambitio & studium singularitatis:] Quo malo laborabant illi, quorum causa damnatur *Matth. VI. 16. Luc. XIIX. v. 12. 14. &c.* Idem malum in plurium regnat animis, qui alto supercilio omnia jejunia, publicè etiam instituta, fastidiunt & contemnunt.

Pag. ead. §. VI. Mediorum usum commendant:] Talia sunt, quæ *partim* capite præcedente, cùm de cultu divino interno ageretur, enumerata sunt; *partim* meditatio causarum impellentium & finalium, itemque divinarum constitutionum de jejuniis.

Ibid. Disconvenientiam cum statu Christiano & periculum ostendunt:] Christiano statui disconveniunt quàm maximè Irreligiositas, Intemperantia, Irreve-

rentia erga Ecclesiam &c. Nihil enim horum cum fide & in habitatione Spiritus Sancti perstare potest. Periculum patet ex ipso illorum & oppositorum & impedimentorum præcipitio, unde pronus est in conscientiæ vulneratæ morsus & scandala plurima lapsus.

AD CAP. VIII. SECT VII.

De CELEBRATIONE SABBATHI ET FESTORUM ALIORUM.

Pag. 467. §. I.

AD cultum DEI externum pertinet:] Equidem Sanctificatio Sabbathi importat cultum DEI *internum* & *externum* non divellendos hoc die, sed arctissimè connectendos. Refertur tamen Sabbathi celebratio ad cultum Dei externum, quia hoc die cumprimis interior cultus debet externâ solennitate fulgescere, & verbi externâ prædicatione, auditione, sacramentorum administratione, publicis precibus, hymnis, eleemosynis &c. publica ædificatio Ecclesiæ & celebratio DEI quæri & procurari.

Plura

Plura vide in hanc rem apud *B. D. Osiandr. Theol. Moral. Part. Special. pag. 400. 401.*

ibid. Sabbathi seu diei dominicæ:] Sabbathum, Ebraicè שבת, *Quies* est: quod nomen primitus adhibitum legitur *Genes. II. 2. 3.* de septimo die, cui DEUS post sex dies creationis benedixit. Deinde cujusque septimanæ septimus dies in relatione ad illam quietem DEI, Sabbathi nomen consequebatur; unde in Decalogo quoque hujus quietis fit mentio *Exodi XX. 11.* quanquam *Deuter. V. 15.* alia quoque allegetur ratio, cur Sabbathum sit præscriptum Israëli, scil. eductio ex servitute Ægyptiaca. Nec negari potest, quod huic præcepto sint quædam legis ceremonialis conditiones immixtæ, quæ erant exspiraturæ cum reliquo cultu Levitico. Orta hinc est quæstio, quousque sese illa Moralitas extendat? Sunt qui distinguant inter *Naturale, Morale, Ceremoniale*, imo & *Politicum* tertii præcepti. *Naturale* dicunt esse cultum DEI externum, cui indefinitè sit aliquod tempus impendendum. *Morale*, quòd septimus quisque dies ex circulo hebdomadario, etsi indefinitè & vagè exigatur. *Ceremoniale*, quòd ex circulo hebdomadario definitus habeatur præcisè dies ultimus. *Politicum*, quòd quies propter jumenta & homines, sabbatho legatur præscripta. Vide B. D. *Osiandr. cit. loc. p. 395. seqq.* Certè nec omnia Sabbathi judaici, nec nulla esse servanda, ex oraculis N. T. satis con-

stat. Paulus *ad Coloss. II. 16. 17.* scribit: *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut* SABBATHORUM: *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Ergo saltem secundum quid Sabbatha judaica in N. T. cessant. Quòd autem non cesset omne illud, quod in tertio præcepto legimus præscriptum, sed quòd cultus DEI externus sit in cœtibus publicis, fixis diebus, celebrandus, ex praxi constat Apostolica. Confer inter se, præter alia, hæc cumprimis loca, *I. Corinth. XI. 17. 18. cap. XVI. 2. Ebr. X. 25. Apocal. I. 10.* in quem locum posteriorem plura commentatur *Hornbeccius* in *Theol. Pract. lib. IX. cap. XX. pag. 368. seqq.* Nec facilè quis dubitarit, illam diem, quam Johannes in *Apocal. I. 10.* dixerat *Dominicam diem*, esse eandem, quam Paulus *I. Cor. XVI. 2.* dixerat μίαν σαββάτων, *unam*, aut Ebraismô resolutô, *primam Sabbathorum* h. e. diem septimanæ primam. Confer *Marc. XVI. 2.* cum *v. 9.* capitis ejusdem, ubi *una Sabbathorum* per *primam Sabbathi*, ab ipso explicatur Evangelista. Quemadmodum ergo ex documentis sacris patet, quòd jam Apostolorum tempore, Dominica Dies fuerit exercitiis divinis sacra; ita certum est, quòd Veteres Christiani Sabbathum Judæorum magno cum honore sepelierint, & huic per plura secula multum honoris decreverint. Vide *B. Dürrium loc. cit. pag. 122 seqq.* ubi plura hanc in rem reperies.

Ibid.

Ibid. Festorumque aliorum :] Etsi Christus & Apostoli non legantur instituisse peculiaria festa Christianorum; certum tamen est, quòd Christiani ab origine Christianismi celebrarint *Paschatos* & *Pentecostes* festa. *Epiphaniæ* solennia itidem antiquissima sunt, quæ Christi Nativitatem simul celebrabant. Successerunt festa Passionis, Ascensionis, denique quoque memoriæ Maryrum & Sanctorum. Vide *B. Dürrium* c. l. p. 145. *Matthæum Dresserum* libro peculiari *de Festis*, in quo non tantum nomina & historias, sed usum etiam dierum festorum in vita Christiana indicat. Adde quæ ex Anglo quodam Scriptore *Wilhelmo Cave* recensent *Acta Eruditorum Anno 1686. p. 166.* &c.

Ibid. Non solum in congressibus publicis :] Huic fini quidem sunt Festi dies maximè destinati, ut populus in publico loco ad cultum DEI publicum confluat & sacris solennibus vacet. Hos congressus publicos non vult à nobis negligi Apostolus *Ebr. X. 25.* Egregium Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum est, quod debemus *Justino Martyri*, qui antiquos Christianorum conventus sacros sub finem *Apologiæ II. pro Christianis* (edit. 1686.) *pag. 98.* ita depingit : *Solis qui dicitur, die, omnium, qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundum locum conventus fit : & commentaria Apostolorum aut Scripta Prophetarum quoad tempus fert, leguntur. Deinde*

lectore quiescente, præsidens orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes & precationes profundimus: & sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur & vinum & aqua: Præpositus itidem, quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit; & populus faustè acclamat, dicens: Amen. Hactenus Justinus.

Ibid: Verum etiam privatis:] Huc pertinent Ecclesiæ Domesticæ, & in his susceptæ exercitia pietatis, per verbi auditi repetitionem, Scripturarum & aliorum bonorum librorum lectionem, precum ardorem & hymnorum decantationem &c.

Ibid. Per actus ad usum verbi divini & glorificationem nominis divini pertinentes:] Tales actus sunt, quos ex *B. Thummio* pluribus recenset *B. D. Osiander cit. loc. pag. 402. seqq.* Pertinent quippe huc (1.) *Prædicatio verbi divini & per hanc propagatio doctrinæ veræ*; Id quod fit catechisatione & concionibus. Vid. *Ebr. V. v. 12. 13. 14.* (2.) *Administratio Sacramentorum*; (3.) *Invocatio & celebratio Dei*; (4.) *Collectio Eleemosynarum*: (5.) *Repetitio verbi divini domestica*, (6.) *Catechesis domestica* & id genus plures. Confer nostrum *Nucleum veri Christianismi Part. II. p. 184.* & prolixius *Part. III. tract. II. per totum.*

Ibid.

Ibid. Tantisper ab operibus quotidianis secularibus abstineatur:] B, D. *Osiander* scribit cit. loc. pag. 404. *Præter sanctificationem hujus dici aliquid etiam* morale *deprehendimus, quod* moralitati sanctificationis *connexum*, Quietem *scil.* imperatam, *sive cessationem à labore, vel vacationem ab officiis, non quidem ab omni opere, etiam sacro, sed aliàs per sextiduum consueto & ordinario.* Talia opera sunt non modò *opera servilia*, v. gr. Rusticorum, Opificum, Artificum, qui manibus laborant, sed etiam omnia *opera nostra*, quatenus operibus divinis & sacro cultui dicatis contradistinguntur. Omniũ maximè autem pugnant cum Sabbathi celebratione compotationes, lusus, idque genus exercitia, quæ ne profanis quidem diebus satis probari possunt. Sed de hac re nonnihil distinctius agemus ad §. sequentem.

Pag. ead. §. II. Quando sacra publica vel privata temere negliguntur:] Negliguntur temere sacra, quando iis vel plane non adsumus, & adeo nostros negligimus conventus, vel quando non adsumus justo tempore; & hæc quidem omnia perpetramus nostrâ culpâ quâcunque, sive directâ, sive indirectâ. Sic Mosis & Prophetarum lectionem, quæ singulis Sabbathis à Judæis peragebatur, neglexerant quondam quinque fratres illius Divitis, *Luc. XVI. v. 29 30. 31.* Plura huc pertinentia

videri possunt apud *Hornbecc.* in *Theol. Pract. lib. IX. cap. XXI. pag. 607. 608.*

Ibid. Aut frigidius tractantur:] Frigidè tractant Sacra publica & privata (1.) illi, qui pedem non custodiunt, ingressuri domum Dei, h. e. qui imparati, sine præmeditatione, sine precibus, sine religione, pleni curis secularibus & profanis meditationibus sacra involant. (2.) Qui non veniunt, ut audiant & obediant, sed qui vel veniunt spectatum, vel fabulatum, vel risum, &c. conf. *Hornbecc.* cit. loc.

Ibid. Opera secularia & civilia extra casum necessitatis:] Sanctificatio Sabbathi & festorum exposcit opera divina & sancta: Secus, profanatio est. De Nundinis die Dominico institutis vide *B. Dürrium* cit. loc. p. 135. Fieri interim possunt opera civilia licita (1.) urgentibus necessitatis casibus, 2. Flagitante insigni & moram non facilè admittente proximi utilitate, sic tamen, ut non impediatur ministerium. (3.) Si serviant aliàs gloriæ DEI. Vid. *B. Dürrium* cit. loc. pag. 134.

Ibid. Otio inerti vel voluptatibus impuris:] Graviter B. *Sigismundus à Birken* in libro eleganti & pio, cui immortuus est, Heiliger Sonntags-Handel und Kirch-Wandel/ p. 21. num. 13. Man siehet ja leider! wie alle Boßheit auf den Sonntag gesparet wird; wie man ingemein die gantze Woche nie mehr Sünden/

den/als an diesem Tage begehet. Gott wird nie mehrers erzürnet/ als an diesem Tag/ da er von uns will geehret seyn. Ach! die Teuffel sehen zu/ spotten unserer Feirtage und lachen in die Faust/ daß wir ihnen so gehorsam und Gott ungehorsam sind! Sed dixerint Empæctæ nostri, qui sibi nihil scelerum non indulgent tempore Sabbathi, ferè prout olim apud *Malachiam cap. I. 6. 7.* Judæi: In quonam sumus DEO inobedientes? Respondetur, in eo, quòd opera sabbathica DEI transmutatis in venitates carnales, v. gr. compotationes, luxuriam, ludos, saltationes, confabulationes otiosas, excursiones profanas & alia id genus delicta, quæ vel in se mala sunt, vel innumeris malis occasionem præbent, vel saltem meditationes pias impediunt & distrahunt animum, quò minus opera DEI ritè peragere possit, vel Spiritui Sancto operaturo locum relinquat. De istiusmodi Sabbathis exstat Domini verbum *Malach. II. v. 3. Ecce corrumpo vobis semen & dispersam stercus super vultus vestros, stercus solennitatum vestrarum, & assumet vos ad se.* De reliquo rectè castigat Judæorum *culinarem & patinariam*, quam vocat, *Glossam* in illud Prophetæ *Esaiæ LVIII. v. 13. vocabis Sabbathum oblectamentum, Lightfootus in Horis Hebraic. ad Matth. c. XII. 1.* Luxuriari enim, & ter de die epulari, non modò pro licito, sed etiam pro merito, & parte religionis habuerunt.

Ibid.

Ibid. Cum superstitiosius agitantur feriæ :] Superstitiosæ feriæ sunt in papatu plures, quæ fabulis aliquando meris, aliquando ineptiis nituntur. Talia festa sunt, *Ascensionis Virginis Mariæ, Omnium Animarum, Omnium Sanctorum &c.* Superstitiosa etiam celebratio est, quando plus honoris deferunt festis, quæ Mariæ & Sanctis dicata sunt, quàm ipsi diei Dominicæ. Sic superstitionem sapit, quando opera necessitatis & charitatis interdicuntur diebus festis, contra Christi exemplum & institutionem *Matth. XII. 1. ad 14. Marc. II. 23. seqq. Luc. XIV. 3. seqq.*

Pag. ead §. III. Mandatum DEI:] Præter præcepta plurima de Sabbatho sanctificando in Scripturis Veteris Testamenti occurrentia, etiam habemus constitutiones in Testamento Novo, v. gr. de non deserendis nostris congressibus *Ebr. X. 25.* de sedulò audiendis concionibus & iis præferendis omni negotio domestico *Luc. X. 39. seqq.* de Sacramentis rectè administrandis *I. Corinth. XI. 20. seqq.* de colligendis eleemosynis *cap. XVI. 2. &c.*

Ibid. Æquitas naturalis :] Non solùm enim sana ratio jubet, ut tempus aliquod destinemus celebrando Nomini divino, à quo tot & tanta singulis momentis accipimus beneficia; sed etiam eadem dictat ratio, par esse, ut animæ nostræ demus diem ad meditanda divina, immor-

mortalia, æterna, nec adeo anxiè immergamur curis terrenis.

Ibid. Decor & jucunditas atque utilitas rectæ celebrationis :] *Decor* inde patet, quòd Sabbathum rectè celebrantes, pectora nostra damus veluti officinas Spiritus Sancti, & Christum inter nos habemus medium. Vide *Matth. XIIX. 20. Apoc. I. 10.* Adsunt etiam sacris istis Angeli *I. Corinth. XI. 10.* Imo nihil agimus aliud, Sabbathum rectè celebrando, quàm quòd Sabbathum æternum & glorioſum illud, cujus Sabbatha hæc divina quoddam velut pignus sunt, anticipamus, & cœlitibus quodammodo jungimur. *Jucunditas* patet partim ex svavitate & dulcedine conjunctionis nostræ cum DEO, qui summum bonum est, partim ex ipsa amabilitate, præstantia, facilitateque actuum sabbathicorum. Hinc David nihil magis expetiit, quàm Delicias Sabbathicas *Psalm. XXVII. 4. XLII. 5. XXCIV. per totum*, *Psalm C. v. 4. 5. &c.* Supereſt *Utilitas*, quæ itidem multò maxima est. Ex re & verò *B. Sigismundus à Birken* cit. loc. p. 31. Gleichwie die Sonne den andern sechs Planeten das Liecht giebet: also heiliget und verhellet der Sontag/ wann er recht geheiliget wird/ die andre sechs Wochen-Tage. Einer erleuchtet sie alle. GOtt hat den Sabbath geheiliget und gesegnet: auf die Heiligung folget der Seegen/ auf den Glantz die Wärme.

Wer-

Werden wir an diesem Tag heilig leben/ so werden wir Wochen-über des Seegens genieſſen/ den Gott darüber gesprochen. Und haben wir die Sonne/ so dürffen wir nicht um Licht sorgen. Ach ja! Eines/ dieses ist nöthig. Alle unsere irrdische Arbeit und Ergötzung ist eitel und nichts/ und dienet allein dem Leibe/ dem Erdklumpen. Die Verrichtungen der Wochen-Tage sind sechs Nulla oder nichts bedeutende Zahlen.

000000

Sollen sie vor GOtt etwas gelten und uns ersprießlich seyn/ so muß man Eins/ die andächtige Sonntags-Feyer/ voran setzen: alsdann wird eine grosse Zahl

1000000

daraus werden/ die uns mit vielen Seegen überschütte. Commoda eorum, qui rectè Sabbathum celebrant, nec ipsa Scriptura Sacra reticet. Vid. *Esaiæ LVI. 3. Beatus Vir, qui facit hoc, & filius hominis, qui apprehendet istud, custodiens Sabbathum, ne polluat illud.* Conf. *Jerem. XVII. 24. 25. &c.*

Ibid. Pœna transgressorum:] Capitalem pœnam huic peccato olim destinaverat DEUS *Exodi XXXI. 14. 15.* Publicæ autem profanationi denunciavit & irrogavit Desolationem *Jerem. XVII. 27. II. Paralip. XXXVI. 21. Maleach. II. 3. &c.*

Pag. ead. §. IV. Ex parte intellectus:] Quatenus nempe hic est illuminandus

dus & rectè ad hoc officium Christianum instituendus.

Pag. 468. In verbo DEI :] Utriusque Testamenti, tàm Veteris, quàm Novi; cùm præceptum tertium, præter cremonialia, etiam moralitatem omnes homines obligantem in se contineat.

Ibid. Ab ecclesia rectè tradita sunt :] Rectè tradit Ecclesia res ad Sabbathum & Festa pertinentes, (1.) si sequatur præcepta, exempla & monita Scripturæ; (2.) Si nulla instituat festa, nisi in honorem & gloriam solius DEI, cui omnis cultus religiosus soli debetur. Quòd autem occasione memoriarum Apostolicarum, etiam nostræ Ecclesiæ festa habent, hoc fit non in honorem & cultum Apostolorum, sed occasione memoriæ ipsorum, celebrantur beneficia divina, Deoque aguntur gratiæ, pro donis Ecclesiæ, per illa organa præstitis. (3.) Si circa Sabbathi & Festorum celebrationem ita omnia ordinet atque disponat, ut ordo & decor ille compareat, qui conspiret cum Scripturis & doctrina secundum pietatem &c. Ex antiquis constitutionibus sabbathicis, laudari merentur illæ, quæ habentur in *Synodo Laodicæna, Canonibus XV. XVI. & seqq.* Uti enim tota hæc Synodus antiquissima, canonibus LX. constans, non tàm de fide, quàm de disciplina Ecclesiastica suas definitiones reliquit : ita plura quoque habet, quæ ad cultum DEI publicum rite

ritè ordinandum faciunt. Nec sunt indignæ Notæ *B. Gundlingii*, quibus hoc concilium ornatum anno 1684. edidit, quæ consulantur. Hodiernæ Nostrarum Ecclesiarum particularium constitutiones, omnium optimè addiscuntur ex Liturgiis & Agendis.

Ibid. Ex parte voluntatis:] Quatenus videlicet illa est movenda & concitanda ad officia, quibus Sanctificatio Sabbathi & aliorum Festorum absolvitur.

Ibid. Virtutes illæ, quibus homo ad cultum DEI internum & externum inclinatur:] Hæ virtutes sunt Pietas in DEUM, Humilitas, Verbi divini studium, Gratitudo, &c. Qui enim his virtutibus ornatum pectus habet, ei nunquam non erit voluntas rectè utendi illo tempore, quo quàm convenientissimè licet laudatas virtutes exercere.

Ibid. Ad obsequia ecclesiæ præstanda:] Inclinatur nostra voluntas ad præstanda obsequia Ecclesiæ (1.) meditatione dignitatis, qua Christus suam donavit Ecclesiam, ut quando illam constituit *columnam & stabilimentum veritatis I. Tim. III. 15. cui* etiam *non* debeant *prævalere portæ inferorum Matth. XVI. v. 18.* quam non vult contemni *I. Corinth. XI. 22.* sed audiri *Matth. XIIX. 17.* (2.) Consideratione finium piorum, præcipuè ædificationis nostræ & proximi, ut & Gloriæ Divinæ. Huc enim

enim tendunt festa rectè & legitimè à vera & pura Ecclesia Christi instituta, quæ *nihil valet contra veritatem*, prout Apostolus de se & suis constitutionibus ait *II. Corinth. XIII. 8.* (3.) Movemur ad obsequium studiô pacis, concordiæ, decoris & ordinis in Ecclesia, secundum illa Pauli, *Rom. XIV. 19. I. Corinth. XIV. 40. Ephes. IV. 3. &c.* (4) Inclinat voluntatem ad obedientiam sedula consideratio Turpitudinis, Malorum & Scandalorum, quæ ex inobedientia, singularitatis affectatione & contemtu Ecclesiæ Dei fluunt &c.

Ibid. Exempla Sanctorum sabbathum & festa recte celebrantium :] Talia sunt in Vet. Test. Davidis *Psalm. XLII. 5.* Conf. *Sirac. XLVII. 12.* Exstat inter Psalmos, numerô *XCII.* מִזְמוֹר שִׁיר לְיוֹם הַשַּׁבָּת h. e. (ut habet Vulgata) *Psalmus Cantici in die Sabbathi.* Festi Paschatos Solennia magnificentissimè curante Josiâ, celebrata, in exemplum describuntur *II. Chron. XXXV. à. v. 1. ad 19.* Nehemiæ exemplum legitur *Nehem. X. 31. cap. XIII. 15. seqq.* In N. T. exempla exstant illarum Matronarum, *quæ Sabbatho quieverunt secundum Præceptum*, *Luc.* XXIII. *56.* Johannis Theologi, qui *fuit in Spiritu in Dominico die*, *Apocal. I. 10.*

Pag. ead. §. V. Velâ cultu DEI interno :] Abstrahuntur homines à cultu DEI interno variis modis, præcipuè amore seculi &

rerum, quæ sunt in illo, h. e. concupiscentiæ carnis, oculorum & fastus vitæ. Reliqua huc facientia impedimenta repete ex capitis præcedentis sectionibus X. ubi singulorum officiorum internorum præcipua impedimenta enumerata fuerunt.

Ibid. Vel externo, eoque imprimis publico :] Talia impedimenta sunt. Avaritia nundinantium, serentium & metentium; præter necessitatem, itinerantium, exspatiantium, commessantium, compotantium, ludentium, voluptates &c. In fronte horum impedimentorum collocavimus Nundinas die Dominico institui solitas. Multi enim, imò plurimi impediuntur per hunc profanissimum abusum, qui certè Christianis indignus est. Quasi iste esset dierum festorum finis, ut homines possent commodius mercaturam exercere, vacare nundinis, &, quod his adjungi solet, liberalius edere, bibere, ludere, saltare &c. Vide hanc in rem B. *Dürrium cit. loc. pag. 135. 136.* & quos ibi laudat, B. *Balduinum, Cas. Consc. l. 2. c. 13. cas. 7. Keslerum Theol. Cas. Consc. cap. II.* Prostat *libellus Germanicus*, Halæ Magdeburgicæ editus, in quo auctor ex Scripturis, præstantiorum Theologorum Scriptis, & Constitutionibus Magistratuum Politicorum ostendit, *quòd nuptiæ, convivia, nundinæ & similia, quibus homines ab auditu & meditatione verbi divini, & cultu DEI abstrahun-*

huntur, diebus Dominicis & festis Solennioribus non debeant concedi.

Ibid. Præjudicium de celebratione festorum ipsiusque Sabbathi, quæ sit mere ceremonialis:] Hôc præjudiciô laborant, ceu ex Polemicis constat, *Photiniani* recentiores. Notat hunc eorundem errorem *B. D. Osiander in Theol. Morali cit. loc. p. g. 427.* eumque castigat *p. 430. seqq.* Idem *pag. 428.* ob eundem errorem dicam scribit *Anabaptistis* eosque castigat *p. 432.* Habent enim etiam hi ipsi, tertium præceptum, non aliter atque Sociniani, pro merè ceremoniali & typico, quod penitus per Christum sit abrogatum.

Pag. ead. §. VI. Ex supra dictis:] Puta capite præcedente, in quo de cultu DEI interno agebatur, & per Sectiones decem ostendebatur modus removendi obstacula. Faciunt etiam huc plura eorum, quæ in Sectionibus præcedentibus hujus capitis octavi dicta fuerunt v. gr. de usu externo verbi divini & Sacramentorum, de Glorificatione DEI externa &c.

Ibid. Vel eadem ratione, vel ΚΑΤ' ΑΝΑΛΟΓΙΑΝ locum habentibus:] Applicari ex supra dictis huc *eadem ratione* possunt, v. gr. quæ Noster monuit *cap. præced. Sect. I. §. VI. p. 282.* de removendo neglectu orationis & exercitiorum publicorum & privatorum,

per cognitionem habitudinis necessariæ mediorum illorum ad Agnitionem DEI salutarem. Sed κατ' ἀναλογίαν huc commodari possunt ac debent, v. gr. quæ idem tradidit de removendis præjudiciis ex heterodoxorum scriptis vel conversatione, contra DEI Agnitionem, concipi solitis, eod. cap. VII. sect. I. §. VI. num. 2. & 3. pag. 282. 283. Uti enim illa heterodoxorum præjudicia, quæ Agnitionem DEI salutarem impediunt, removeri possunt ac debent; ita simili modo possunt ac debent repelli præjudicia *Photinianorum*, *Anabaptistarumque* de sanctificatione Sabbathi & aliorum festorum &c.

AD

CAP. IX:

De

OFFICIO HOMINIS RENATI ERGA SE IPSUM.

SECT. I.

De

OFFICIO HOMINIS CIRCA ANIMAM SUAM.

pag. 468. §. I.

CUm certum sit ex superioribus obligari hominem ad officia sibi

sibi ipsi exhibenda :] Reflectit beatus auctor oculum his verbis ad ea, quæ superius dixerat *Part. III. cap. VI. §. II. & ejus Notis pag. 259. 260.* ubi ostenderat, esse etiam officia hominis renati, quæ hominem renatum ipsum directè spectent. Conferri possunt, quæ idem docuit *Part. III. cap. I. §. IV. pag. III.* ubi ibidem actiones hominis renati, pro diversitate objectorum, digesserat in tres classes scil. (1.) in actiones circa DEUM (2.) erga Renatum ipsum, (3.) circa Proximum occupatas. Neque caret hæc observatio fundamento in scripturis. Prorsus enim eleganter huc applicatur dictum Pauli *ad Titum II. 12.* ubi de gratia DEI salutifera dicitur, quòd erudiat nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, vivamus in præsenti seculo (1.) σωφρόνως, *sobriè* vel *temperanter*; (2.) δικαίως, *justè*, & (3.) εὐσεβῶς, *piè*. *Sobrietas* vel *temperantia* injicit frenum consvetæ nostræ Philavtiæ, qua omnes malumus nobis bene esse, quàm alteri; adeoque nobis fistit officia erga nos ipsos, *ne arroganter sentiamus de nobis, supra quàm oportet sentire.* Frenô quippe in hoc officiorum genere, h. e. temperantia & sobrietate, opus est potius, quàm calcari. At verò calcar addendum est in officiis *Proximo* & *DEO* debitis, quorum hic *Piè*, ille *Justè* tractandus. Hîc enim torpemus, & nisi incitemur, planè deficimus. Hinc Apostolus justitiam & pietatem, summam officiorum DEO

& proximo debitorum, velut bigam calcariam constituit.

Pag. 469. §. eod. Primum quidem est, ut erga animam suam recte se gerat:] Ita non modò Philosophi, v. gr. *Epictetus in Enchiridio cap. LXIII.* de rebus corporis ait: *Hæc quidem facienda sunt obiter; cura autem omnis ad animum est transferenda*; sed etiam ipse Christus edocet, palmariam rationem & curam animæ haberi debere, *Matth. XVI. 26. Quid prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit; animæ verò suæ jactarum fecerit? aut quid dabit homo, cujus permutatione redimat animam suam?* conf. *cap. X. 28. &c.*

Pag. ead. §. II. Naturalia ex parte intellectus:] CONNATA quidem sunt dona, *Ingenium, Memoria, Judicium* &c. Hæc enim huc solent referri, etsi negari haud possit, quòd fabrica corporis, maximè cerebri, & conditio spirituum animalium, multum momenti hic habeat. ACQUISITA dona intellectus atque facultatum inferiorum huc pertinentium sunt, quæ studio & labore impetrantur per culturam lingvarum, disciplinarum & artium; aliquando etiam consiliis medicis, præsertim memoriæ intuitu. Excellunt hæc inter dona, virtutes intellectuales.

Ibid. Et voluntatis:] Habet quoque voluntas dona peculiaria tàm *connata*, quàm *acquisita*. Ad *illa* referuntur non ineptè diversitates

fitates morum & inclinationum, quibus homines plures à puerô distingvuntur, dum alii naturâ mitioris, alii fervidioris animi deprehenduntur; alii ad avaritiam & tenacitatem, alii ad luxum; alii ad castitatem, alii ad incontinentiam &c. naturali quodam impetu feruntur. Quanquam nihil repugnemus illis, qui in hac morum diversitate itidem quàm maximè ad spirituum animalium & vitalium conditionem, ad humores, illorumque συγκρασιαν, respicere nos jubent. *Acquisita* voluntatis dona sunt virtutes morales, quibus rectæ rationis ductui obtemperantes, per præcepta philosophica animum perficere sustinemus. Hoc pacto profecerunt inter Gentiles plurimi, quorum virtates etiam plerosque Christianorum hodiernorum confundunt & in ruborem dare possunt. Senecam dico, Socratem, Epictetum & similes

Ibid. Defectus oppositos:] Quales sunt, & quidem *connati*, stupor mentis, judicii imbecillitas, Memoriæ debilitas, Inclinationes naturales ad varia vitia moralia, Incontinentiam, intemperantiam, iram, invidiam &c. *Acquisiti* defectus tàm intellectus, quàm voluntatis sunt vitia, tàm intellectualia, quàm moralia, v. gr. Calliditas, inertia, insscitia, morositas, timiditas, audacia, superbia, avaritia, acedia, incontinentia, habitus mentiendi, exsecrandi, perjerandi &c.

Ibid. Exploret] Exploratio hæc consistit in Scrutinio piô, attentô, quoquis in semet ipsum descendit, conscientiam suam excutit: periculum virium & profectuum suorum semel iterumque facit, adjunctis perpetuis precibus ad DEUM, & adhibitô cordatorum hominum consiliô, eum in finem, ut semet ipsum rectè, & citra philavtiæ glaucomata æquè, ac citra desperabundæ impatientiæ tumultus, perdiscat, & quid valeant humeri, quid ferre recusent, intra semet ipsum experiatur.

Ibid. Atque illa quidem:] Intellige, dona naturalia intellectus & voluntatis tàm connata, quàm acquisita, de quibus paulò ante.

Ibid. Studio sincero & continuo:] *Sincerum* est hoc studium, quando integrâ mente, citra vanitatis, philavtiæ, aut alius rei profanæ studium, itemque omni conatu, & animi contentione, te & tuas vires excolis. *Continuum*, quando non semel tantùm vel altera vice, sed jugiter & exercitiô non interruptô mentem & dona divinitus concessa perpolire fatagis, illamque diem perditam credis, qua non profeceris.

Ibid. Per media legitima:] Legitima media sunt, Preces, Meditatio, Lectio, Scriptio, Usus & Experientia, quæ in omni re dominatur. Adde consilia cordatorum hominum, imo etiam aliquando consilia medica non modò quoad dietam, sed etiam quoad congrua medicamenta, quibus

quibus naturam juvare vel emendare nonnunquam possumus. Confer quæ inferius dicenda erunt ad §. V.

Ibid. Hos emendet:] Puta defectus animæ tàm connatos, quàm acquisitos, de quibus itidem paulò ante diximus.

Ibid. Utrinque ad DEI gloriam & proximi utilitatem:] Hic finis geminus tàm mentis nostræ culturæ, quàm emendationi nostrorum defectuum præfixus esto. Etsi enim virtutes & animæ perfectiones sint per se dignæ, quibus studeamus; attamen cùm mens nostra sit ex numero Entium, non per se & propter se existentium, sed relatorum ad certos suos fines essentiales; hinc mentis cultus, per ipsam hanc mentis nostræ naturam, non potest in se ipso acquiescere, sed debet referri ad illos fines essentiales, ad quos est ipsa mens nostra condita.

Pag. ead. §. III. Neglectus scrutandi dona animæ naturalia:] Ingens flagitium & plus quàm supina negligentia est, si quis ausit hominis prætendere nomen, & tamen negligat expendere dona, quæ sibi concessit DEUS, cui hoc nomine olim rationem reddere tenetur. Nam (1.) In donis naturalibus, maximè connatis, latitat vocatio DEI, quàm *Naturalem* vocant; cùm sine dubio ad id quisque fit à DEO destinatus, ad quod ipsi DEUS vel proportionatas, vel singulares concessit animi cor-

porisque dotes. Nec mediocriter delinquunt, qui citra sui scrutinium, temere magis, quàm consiliô, &, si consiliô, tamen magis honore, divitiis & similibus illecebris illecti, quàm vocatione naturali ducti, aliquod vitæ genus amplectuntur. *Epictetus* cit. loc. *cap. LIV.* delicti hujus magnitudinem egregiè sic depinxit: *Sic quam personam, quæ vires tuas superat, indueris: tum eam indecorè geres; tum eam, quam sustinere posses, negliges* (2.) Donorum naturalium negligentes defodiunt cum illo servo nequam, talentum divinitus acceptum, pœnam olim cum eodem communem habituri. Vid. *Matth. XXV. 24 seqq.*

Ibid. Eorumque defectus:] Negligentia in scrutinio suorum defectuum tàm connatorum, quàm acquisitorum, priore vitiô, ne hilo melior est. Sine dubio enim qui hôc malô laborant, de sui emendatione & cultura ne cogitant quidem, adeoque vitam sine ratione omni, sine omni virtutis studio, transigunt, veluti pecora.

Ibid. Neglectus culturæ studiosæ & constantis:] Qui cultum sui negligunt, nihilô sunt iis meliores, qui etiam scrutinium sui intermittunt. Imo cortô modô sunt iis pejores. Cùm enim per scrutinium sui sint lumen majus consecuti, quàm isti, qui sine scrutinio sui pereunt; hoc ipso cumulant sibi iram, in die iræ. Conf. *Luc. XII. 47.*

Perti-

Pertinent ad hanc classem ingenia præstantia, qui bonitate naturæ freti, luxui & pigritiæ se dedunt, eò quòd unâ horâ efficere sustineant tantum, quantum alii quandoque vix integro die.

Ibid. Mediorum illegitimorum in excolendis donis naturalibus adhibitio:] Media illegitima sunt (1.) *Magia*, quâ plures cupiunt, exemplô Simonis Magi emergere, & aliquâdo cum diabolo certa ineunt pacta in lingvas varias, item artes & disciplinas &c. (2.) *Medicamenta quædam*, quæ naturam magis destruunt, quàm juvant. Sic obvia sunt exempla illorum, qui memoriâ artificiali aliquandiu eminentes, tandem omnem memoriam amiserunt. Simili modô Conrinentiam exsectione sui sibi parasse vulgò perhibetur Origines. (3.) Mediis illegitimis mentem in naturalibus excolere annituntur, qui cum *periculo doctrinæ salvificæ*, se se immiscent irreligiosis hominibus, aut hæreticis: vel etiam planè abnegant veritatem cœlestem, ut proficiant in rerum naturalium cognitione &c.

Ibid. Neglectus emendationis defectuum licet cognitorum:] Tali neglectu infectum *Epictetus* in *Enchiridiô cap. LXXV.* ita alloquitur: *Quousque tandem differes præstantissima quæque tibi vendicare, & nullatenus distinctionem rationis violare? Accepisti præcepta, quæ amplectenda tibi fuerunt, eaque amplexus es. Qualem igitur adhuc doctorem ex-*

exspectas, cujus in adventum, tui correctionem differas? Et certè tali monitore subinde opus est. Vitium carnalis hominis est, ut meliora videat quidem & probet, sed deteriora sequatur. *Cras, cras, semper cras, & sic elabitur ætas*, antiqua fabula est. Sed graviter peccant, qui ita peccant. *Epictetus* cit. loc. dictat iis pœnam, ut nihil proficientes, tandem homines plebeji vivant & tales moriantur. *Jacobus* autem ait *cap. IV. 17. Qui noverit rectè facere, nec facit, hic peccato tenetur.*

Ibid. Non ad genuinum finem, sed propriam vanamque gloriam:] Delictum hoc sæpius mortalium pectora deformat. Sic Pharisæus *Luc. XIIX.* jejuniis se exercuit. Sic Judæi νομοδιδάσκαλοι castigantur *Rom. II. 18. seqq.* conf. *Coloss. II. 8. 23. I. Tim. I. 4. cap. VI. 3. 4. 5. &c.* In hos quadrat illud Pauli *Rom. I. 22. Cùm se sapientes crederent, stulti facti sunt.* Conf. *I. Corinth. II. 20. seqq.*

Pag. ead. §. IV. Mandatum DEI:] Partim *implicitum*, quod colligitur ex ipsis donis divinitus collatis, quæ non vult à nobis abscondi, sed excoli *Matth. XXV. 26. 27.* ut ex lumine & libro Naturæ, non frustra, sed propter cultum animi nostri nobis dato, ceu colligere licet ex *Rom. I. v. 19. 20. 21.* Partim *Explicitum*, ut *Psalm. XXXII. 9 Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Conf. *Esaiæ I. 3. Jerem. IIX. 7.* Pertinet huc illud Pauli, *ad Philipp.*

lipp. IV. 8. *Quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque accommoda. quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus, hæc cogitate.*

Ibid. Ipsa animæ præstantia & cultus ejus decor:] Est enim essentia spiritualis & immortalis, quæ non potest occidi, majoris ideo facienda, quàm corpus, *Matth. X. 28.* Præcipuus autem ejus ornatus est sapientia, vid. *Sapient. IV. 9. Sirac. X. 34. cap. XI. 1. cap. XX. 29. &c.*

Ibid. Oppositorum turpitudo & damnum:] Opposita sunt *Neglectus Scrutinii, Culturæ, Emendationis*, & è contrario *studium Vanitatis*, aut *cultura per media illegitima.* Horum TURPITUDO patet, quia *partim*, oritur ex stupore, pigritia, malitia & aliis vitiis; *partim* important collusionem cum Satana, omnis turpitudinis auctore. DAMNUM eorundem itidem constat *partim* ex ipsa infelicitate intrinseca & formali dictorum oppositorum; *partim* ex effectibus, qui sunt Paupertas, contemtus, inertia, odium, metus, invidia, tristitia, mors denique ipsa & æterna damnatio.

Pag. 470. §. V. Informationis alienæ & monitorum egregiorum:] Non solùm enim oculi plus vident, quàm oculus; sed etiam alii citius nostros observant defectus, quàm nos ipsi solemus. Porro DEUS pro-

pro informatione noſtra inſtituit non modo in matrimonio educationis leges, ſed etiam patriam poteſtatem. Videlicet homo natus, non ſtatim homo eſt, ſed longa educatione & informatione eget. Hinc tota minorennitas cedit in mentis noſtræ formationem, cùm formationi corporis ſuffecerint novem in utero menſes. Atque hanc informationem & mentis noſtræ formationem, oſtendimus alibi, eſſe fundamentum non contemnendum, ob quod homines, genus humanum propagaturi, teneantur, non ut bruta in coitum, ſed in matrimonium conſentire. Præterea proba eſt illorum obſervatio, qui contendunt, DEUM præcipuè ob informationem poſterorum, dediſſe Patriarchis, maximè, antediluvianis admirandæ longævitatis donum; ut videlicet, deficientibus maximè adhuc literarum ſubſidiis, poſteros ſuos vivâ edocerent informatione, quicquid ipſi artium & diſciplinarum invenerant. Tandem nulla gens tam barbara eſt, quæ non quæſiverit informationis alienæ beneficium. Sunt autem informatorum & monitorum virtutes (1.) ſolida rerum cognitio, quæ nunquam ſine experientia eſt perfecta. Hinc *Siracides cap. IIX. 11. 12.* ſcribit: *Ne deſpicias narrationem ſeniorum ſapientum. & in proverbiis eorum converſare, ab ipſis enim diſces ſapientiam &c.* (2.) Monitores decet ſincera pietas & juge in hac exercitium. Hæc enim demum vera ſapientia eſt, quæ ex pie-

pietate profluit. *Proverb. I. 7. Psalm. CXI. 10. &c.*

Ibid. Exemplorum præstantium, præsertim in viris sanctis observatio:] *Epictetus* in *Enchir. cap. LXIIX. LXXIV.* & alibi Socratis exemplum commendat & allegat. Nos longè præstantioribus sumus instructi exemplis. *Tolerantiam Jobi audivistis, & finem Domini vidistis*, ait *Jacob. cap. V. 11.* Ad audiendam sapientiam Salomonis venit Regina Austri *I. Reg. X. 1. II. Paral. IX. 1. Matth. XII. 42. &c.*

Ibid. Preces ad DEUM pro successu:] Omnis sapientia & omne donum perfectum è supernis est, & datur à patre luminum, sed non nisi per preces impetratur. *Jacob. I. 5. 17. Sirac. I. 1. &c.* Neque hinc excludi potest sapientia naturalis, quæ & ipsa DEI beneficium est. Hoc agnoverunt Gentiles. Celebris vox est *Ciceronis lib. II. de Natura Deorum.* sub finem: *Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.* Aurea autem sunt & planè insignia, quæ Theander *Lutherus* hanc in rem differit in divino suo ad *Psalmum CI.* Commentario, qui exstat *Tom. VI. Jenens. Germ. fol. 135. seqq.*

Pag. ead. §. VI. ΦΙΛΑΥΤΙΑ inordinata:] Ordinata philautia nihil quærit, quàm sui emendationem, & cum DEO per media salutis unionem. Sed philautia inordinata se ipsam admiratur, adorat, & omnia ad se & sui gloriam

riam potius, quàm ad DEUM refert. Hinc emendationem sui se indignam æstimat; monitoribus aspera est; imo stercus suum pro auro aliis obtrudere gestit. Non igitur mirum, si inter impedimenta emendationis, & sanioris culturæ animorum reponatur.

Ibid. Persvasio jam acquisitæ perfectionis:] Multi ad sapientiam pervenirent, ni crederent se ad eam pridem jam perveniſſe. Horum indolem, maximè quoad Aulicos, vividissimè ita descripsit Lutherus loc. cit. fol. 137. a. Alle Historien sind solcher Exempel voll / und wer zu Hofe ist / der soll freylich bey allen Königen und Fürsten täglich solcher Exempel gnug erfahren. Denn da sitzt der König oder Fürst für sich selbst weise und klug / und hat die Sache gefaßt bey allen fünff Zipffeln: dazu kommt denn ein Jurgist oder Jurist / mit seinem Buch / und findet das Recht häuffig darinnen beschrieben / gewiß und klar / das nicht feilen kan. Darnach ein grosser Hanß / dem das Häupt viel zu klein ist / für grosser Vernunfft und Weißheit / der findets im natürlichen Recht so fest gegründet und tieff gewurtzelt / daß alle Welt nicht könne umreissen: Zuletzt läuten sie zusamen / und bombt die grosse Glocke mit zu / das ist / ein Bischoff / Prälat / Theologus / Er sey selbst gewachsen / oder sonst gemacht; der bringt GOttes Wort und die Heilige Schrifft. Hie muß der Teuffel selbst

selbst weichen/ und die Sachen recht/ billich/ gut auch göttlich dazu seyn lassen. Da sitzen die vier Seulen des Königreichs/ oder Fürstenthums/ die wohl den Himmel auch tragen könnten / wo Gott ihrer Weißheit solches befehlen wolte. Hie ist ihr keiner / der hinauf gen Himmel seufftzete/ und suchte Rath und That bey Gott / denn sie sind entweder so gottlose Leute / daß sie ihr Gewissen nicht beten noch anruffen läst ; oder sie sind ihrer Weißheit und Sachen also gewiß und sicher/ daß sie es verächtlich vergessen/ als die es nichts bedürffen ; oder sind sonst also gewohnt zu rathschlagen/ in ihrem Unglauben verstarret. En ! Quo non dementia ducat ! Tenta. Φιλαυτίας vis est!

Ibid. Exempla hominum in hoc cultu negligentium , aut alias peccantium : [Maximè si quis exterior successus illorum rebus adesse videatur. Scelera enim, si fausta sint , plerumque pro virtutibus habentur. Sic luxuriem, crapulas , digladiationes & id genus flagitia , multi culturæ animi longè præferunt , quòd videant , vitiorum illorum cultores passim emergere.

Ibid. Cupiditas opum aut voluptatum :] *Avaritia* proinde passim venit sordium nomine. Paulus *I. Tim. V, 19.* ait, opum cupidatem homines demurgere in exitium & in interitum. Sic culturam sui negligunt , qui malunt parcere sumtibus , quam hos, utut neces-

larios, impendere in præceptores, libros, aliaque instrumenta necessaria. Porro *voluptates* impediunt & animi cultum, & sui scrutinium & omnem emendationem. Exemplo esse possunt filii Eli sacerdotis *1. Sam. II. 22. seqq.* Pertinet huc, quod de Empæctis legimus *II. Petr. II. 12. seqq. cap. III. 3. 4. seqq.* Præcipuè verò notatu digna sunt verba Epistolæ *Judæ v. 10. Quæ naturâ ceu animantia rationis expertia sciunt, in his corrumpuntur.*

Pag. ead. §. VII. Discernere inter ΦΙΛΑΥΤΙΑΝ ordinatam & inordinatam:] Quid intersit inter utramque hanc *φιλαυτίαν* ad §. præcedentem dictum fuit.

Ibid. Attendere potius quid perfectionis hactenus desit:] Qui suo immerguntur lumini, aut si mavis, phantasiæ, nihil magis æstimant, quàm quod sibi vel inesse, deprehendunt, vel saltem putant. Uti enim terram visus, vicinitate delusus, cœlo, tanquam alteram mundi partem, æquiparat; sic nostra, quia vicina sunt, deperimus, & delusione opticâ maximis non modò comparamus, sed etiam anteponimus. Ast ubi remotiora penitus acie mentis perlustramus, & à nobis quodammodo evolamus; tunc demum intelligimus, quantum nobis desit, & quòd Stellæ remotæ sint corpora fulgidissima æquè, ac obscurâ nostrâ terrâ infinitis modis majora.

Ibid.

Ibid. In exemplis non tam quid fiat, quam qualiter:) Secnndum canonem tritum: *Non exemplis, sed legibus est judicandum:* quæ de re superius passim.

Ibid. Cupiditatum illarum vanitatem, turpitudinem & noxam ostendere:) Hoc abundè edocent ipsa illa, quæ ad §. præcedentem indicavimus loca.

Ibid. ead. §. VIII. Cum sanctificantia tum administrantia:) Dona spiritualia solent auctores in has duas digerere classes. *Sanctificantia* dona sunt, quæ omnibus piis sunt communia, & ad salutem necessaria, ut Fides, Spes, Charitas, donatio Spiritus Sancti &c. *Ministrantia* dona sunt, quæ non sunt omnibus fidelibus ex æquo necessaria, sed aliquibus tantum ex speciali gratia concessa. Tale donum est continentia, fides miraculosa, donum linguarum, Eloquentiæ gratia &c.

Ibid. In se & ratione suæ originis:) *In se* considerantur hæc dona, quando earundem indolem & formam rectè expendimus. *Ratione originis* spectantur, quando diligenter cogitamus & causam efficientem principalem, Spiritum Sanctum *I. Corinth. XII. 4. seqq.* & Instrumentalem, Verbum, Sacramenta, preces, pietatis exercitium &c.

Ibid. Defectus, qui conjungi solent:) Notum verbum est de donis hujus vitæ: *Omne Præsens est Imperfectum, Perfectum*

& Plusquamperfectum, est Futurum. Confer cum primis illud Pauli *II. Cor. XIII. 9.*

Ibid. Illa quidem sincera & quotidiana opera:] Secundum illud *II. Petr. I. v. 5. ad 11.* conf. *I. Tim. IV. 14. 15. II. Tim. I. 6. 7. I. Cor. XIV. 1. &c.*

Ibid Adhibitis mediis a DEO suppeditatis:] Inter hæc eminet Scriptura Sacra *Joh. XX. 31. II. Tim. III. 13. ad 17. Rom. XV. 4. &c.* Scripturæ jungantur Preces *Proverb. II. 3. Luc. IX. 9. seqq. Jac. I. 5. seqq.* Item Pietatis exercitium. Bona enim terra sunt hi, *qui in honesto ac bono corde, audientes, sermonem retinent & fructum afferunt per patientiam Luc. IIX. v. 15.* conf. *I. Tim. IV. 7, 8. II. Petr. I. 5. seqq.* &c.

Ibid. Quoad licet, perficere nitatur:] Exemplo Pauli ad *Philipp. III. 13. Fratres, ergo memetipsum nondum arbitror assequtum esse: unum autem illud ago, ea quidem, quæ à tergo sunt obliviscens, ad ea verò, quæ à fronte sunt, enitens, juxta præfixum signum insequor ad palmam superna vocationis DEI per JEsum Christum.* Conf. *Ephes. IV. 12. 13. 14. 15.* item *Luc. IX. 62.*

Ibid. Quantum in se est, corrigat:] Non tàm per vires naturæ, quàm gratiæ, quas accipimus à DEO per Verbum, Sacramenta, preces, ipsôque in studiô pietatis exercitiô

citiô jugi, ſecundum ea, quæ ſuperius dicta ſunt.

Ibid. Promovendæ Gloriæ divinæ & utilitatis proximi cauſa:] Gloria DEI ſuprema lex in hoc etiam ſtudii genere eſt. Ad hanc, tanquam ultimum finem, omnia collineent, neceſſe eſt, ſecundum illud Pauli *ad Coloſſ. III. 17. Quicquid egeritis ſermone aut facto, omnia in nomine Domini JEſu facite, gratias agentes DEO & Patri per illum.* Add. *Matth. V. 16.* Utilitas Proximi promovetur partim noſtrô exemplô, dum eundem hoc pacto allicimus ad æmulationem & imitationem; partim actu ipſo adjuvamus in variis tàm corporalibus, quàm ſpiritualibus indigentiis, nunc noſtris apud DEUM interceſſionibus, nunc ipſo opere miſericordiæ, nunc ratione alia. Chriſtiani enim inter alia dicuntur ovibus comparari, quia nihil eſt in iis, quod non uſum præſtet tn vita humana, lana, corium, caro, lac, ipſa etiam adeo excrementa. Sic omnia Chriſtianorum verorum utilia ſunt. Expende indolem charitatis Chriſtianæ à Paulo *I. Cor. XIII. 4. ſeqq.* deſcriptæ.

Pag. 471. §. IX. Quando homines renati:] In ſtatu decidentiæ poſiti. Aliàs hæc negligentia cum indole Chriſtianiſmi veri ſtare non poteſt. Viatores enim ad metam præfixam ſtrenuè tendunt & incrementa moliun-

liuntur, non autem negligunt dona DEI, ut *Petrus* docet *II. Epist. I. 8. 9. 10.*

Ibid. Attendere ad ea negligunt:] Sive ex stupore carnali, sive ex triumphante, aut saltem accrescente malitia. Negligentia talis donorum supernaturalium, (etsi non ut renatis, sed ut integrè conditis inessent) notari potest in Protoplastis nostris; specialiùs in Saule Rege, imo omnibus omnino παραβάταις, qui quod acceperant, non servant, vel custodiunt, sed negligunt.

Ibid. Cultum eorum debitum & quotidianum omittunt:] Negligendo media divinitus ordinata, scil. Verbi meditationem, Sacramentorum usum, preces, pietatis exercitium &c. Hinc deliquia oriuntur ejusmodi, qualia apud Davidem, Petrum, Angelos Ephesinum, (*Apocal. II. 4.*) Sardensem (*cap. III. 1. 2.*) Laodicensem (*cit. cap. v. 15 seqq.*)

Ibid. Per media divinitus non suppeditata tendunt:] Verbi gratia per cultus electitios, & merita vel sua, vel Sanctorum: prout in Papatu frequenter fit. Vitium hoc castigat Paulus *ad Coloss. II. 18. seqq. I. Tim. IV. 8. &c.*

Ibid. DEI gloriam & proximi ædificationem non quærunt:] Distinguatur inter prætextum & causam veram, ne nos ipsos decipiamus in hoc vitio, quod frequentissimum est. Prætendimus DEI cultum & proximi

mi utilitatem sæpius, sed non sincerè. Exempla sunt Saulis *I. Sam. XV. 20. 21.* Pharisæi illius *Luc. XIIX. 11. 12.* Item Scribarum dicentium, *Corban Marc. VII. 11.* conf. *Matth. XV. v. 6.* Huc pertinent omnes actiones hypocritarum in negotio religionis susceptæ.

Ibid. Operibus malis qualibuscunque se polluunt:] Maximè scientes & volentes, idque vel directè & per consequentiam. Pertinent huc præter Davidis & Petri lapsum, etiam Aaronis factum *Exodi XXXII. 21. seqq.* Thomæ temeritas *Joh. XX. v. 24. seqq. &c.*

Ibid. Secularia sacris, indifferentia necessariis præferunt:] Ita labebatur Martha, quam notavit Christus *Luc. X. 41. 42.* Item Pharisæi, taxati à Christo, quòd reliquerint quæ graviora sunt legis, & decimarint mentham, anethum, cyminum &c, *Matth. XXIII. 23. 24. seqq.*

Pag. ead. §. X. Mandatum DEI:] De donis supernaturalibus excolendis extant mandata plurima. *Scrutamini Scripturas Joh. V. 39. Audiant Mosen & prophetas Luc. XVI. 29. Orate & Vigilate Marc. XIII. 33. Luc. XXI. 36. Sectemini Charitatem, æmulemini spiritualia I. Corinth. XIV. 1. Quæcunque boni nominis sunt, si qua virtus & si qua laus, hæc cogitate, ad Philipp. IV. 8. Exerce temet ipsum ad pietatem I. Tim. IV. 7.* conf. *v. 14. seqq. cap. VI. 11. 12.*

II. Tim. II. 16. cap. III. 14. Jac. I. 5. II. Petr. I. 5. &c.

Ibid. Præstantia profectuum :] Scil. unum hoc est necessarium, & bona pars, quæ non auferetur *Luc. X. 42.* Confer Parabolam de servis lucrantibus *Matth. XXV. 16. seqq.*

Ibid. Turpitudo & damnum oppositorum :] Gravis vox est Christi *Matth. XIII. v. 12. Quisquis non habet, etiam illud quod habet, tolletur ab eo.* Confer *cap. XXV. 29.* ubi eadem verba recurrunt, addito fulmine, *v. 30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus & stridor dentium. Petrus II. Epist. I. 9.* ait de nectu donorum spiritualium, *cui non adsunt hæc, is cæcus est & manus viam tentans, oblitus sese à veteribus peccatis suis fuisse purgatum.* Imo *cap. II. 22.* pergit : *accidit illis, quod vero proverbio dici solet, canis reversus ad suum ipsius vomitum : & sus lota ad volutabrum cœni. &c.*

Pag. ead. §. XI. Usus legitimus ac diligens verbi & sacramentorum :] Sunt enim media divinitus ordinata, prout ex Positivis, ut & iis, quæ sæpius inculcavimus, constat. Notetur autem, non sine causa dici *Usum Legitimum & Diligentem.* Et verò *Usus Legitimus*, quando verbum & Sacramenta, secundum DEI constitutionem, tanquam salutis media, piè, solicitè, ardenter, h. e. ex DEI præ-

præscripto adhibemus. Secus si fiat, adeo non proficimus mediis istis, ut potius, tanquam secundi præcepti transgressores, oppositis pœnis, h. e. excœcatione, induratione, reprobo sensu, imo tandem æterna damnatione, afficiamur. Conf. *Matth. XIII. 13. 14. 15. I. Corinth. XI. 30.* Non solum autem Legitimus, sed etiam *Diligens* usus requiritur, *Psalm. I. 2. I. Timoth. IV. 13. 16. II. Tim. III. 14. seqq.*

Ibid. Exempla Sanctorum &c.] Talia exempla in usu verbi divini sunt, Davidis *Psalmo I.* & præcipuè prolixo *Psalmo CXIX. Timothei II. Epist. III. 14.* Beroënsium *Actor XVII. 11.* &c. Silvam exemplorum collegimus in *Nucleo veri Christ. part. II. p. 334. ad 353.*

Ibid. Preces:] Juxta illud Christi *Luc. XI. v. 9. 10. Jac. I. 5. &c.*

Ibid. Observatio casuum:] Si placeat, conf. *Nucleum nostrum veri Christianismi Part. III. Tract. I. à pag. 496. ad 501.* item *Tract. IV. à p. 202. ad 210.*

Pag. ead. §. XII. Præjudicia de perfectione in spiritualibus jam impetrata:] Luculentum hujus præjudicii exemplum habetur in juvene illo *Matth. XIX. v. 20.* item in Pharisæo *Luc. XIIX. 11. 12. &c.* Notatu dignum est exemplum cujusdam Monachi in *Vitis Patrum*, ex editione *Georg. Majoris pag. 14. seqq.*

Ibid. De perfectione ne quidem secundum quid impetrabili :] De perfectione vitæ sanctæ, quatenus impertabilis est in hac vita, egit beatus *Auctor Part. I. cap. I. §. IIX. IX. X. pag. 39. & seqq.* Turpiter autem errant & carni serviunt, qui omnem perfectionem Christianam negant, & sic omnem sanctificationem nostram pessundant. Quod si enim nullus perfectionis gradus est in hac vita; nulla erit justitia nostra inchoata, sed nos seriemus peccatis, quibus tamen nos mortuos esse decet.

Ibid. Exempla hominum in hoc studio deficientium, qui tamen salventur :] Est hoc præjudicium perquam vulgare. Nihil enim magis nostræ prætendimus socordiæ & carnalitati; quàm ingentem copiam & dignitatem illarum, quos habeamus socios, de quibus nostrum non sit præsumere, DEUM eosdem damnaturum esse. Porro prætendimus aliquando nostros majores, vel superiores, vel pares, gloriandô, nos æquè ac ipsos adspirare ad vitam æternam, etsi utrinque ignoremus emendationes abusuum & errorum tàm in fide, quàm in vita. Huc possunt reduci Judæorum proceres *Joh. VII. 47. 48. 49.* Ex hoc fundamento Reformationem doctrinæ corruptæ recudiant Pontificii hodierni; & empæctæ insultant Reformationi morum.

Ibid.

Ibid. Temporalium & vanarum rerum amor:] Confer exempla Scribarum & Phariſæorum *Joh. XI. 48. cap. XII. 42. 43. cap. V. 44.* præcipuè *Matth. XXIII. per totum.*

Pag. 472. §. XIII. Etiam in his, qui ſanctiores videntur:] Huc pertinent varii non modò nævi, ſed graves lapſus *Davidis*, v. gr. *I. Sam. XXV. 21. 22. II. Samuel XI. cap. XXIV. &c.* Petri, *Matth. XVI. 22. cap. XXVI. 33. 51. 69. ſeqq.* ad *Galat. II. 11. 12. &c.* Quid Paulus de ſe ipſo ſcriptum reliquerit, novimus ex *I. Corinth. XV. 9. II. Corinth. XII. 9. Rom. VII. 14. 15. 23. 24. &c.* Repeti huc debent dicta Scripturæ plura, quibus etiam de Sanctorum infirma conditione monemur v. gr. *Pſalm. XXXIII. 6. II. Corinth. IV. 7. &c.* Præcipuè meretur notari illud Pauli *I. Corinth. X. 12. Qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat.*

Ibid. Sed quantum a plena perfectione abſimus:] Scilicet conatus noſter debet adverſus anteriora, non in poſteriora dirigi. *Luc. IX. 62. Philipp. III. 13. 14.* Qui enim ſe ipſos admirantur, & ſibi placent, ſunt profectibus ſuis impedimento, ſi quidem haud tendunt ad ulteriora, ſed cum virginibus ſtultis tandem ubi defecerunt, ſuum damnum intelligere incipiunt. Hinc eſt, quod jubemur in via ſalutis ἀγωνίζεσθαι *Luc. XIII. 24.* πᾶσαν σπουδὴν ποιεῖσθαι *II. Petr. I. 5. &c.*

Ibid.

Ibid. Saltem ad aliqua incrementa:] Secundum ea, quæ B. Auctor docuit *Part. I. cap. I. §. IIX. IX. X.*

Ibid. Alios quidem suo domino stare aut cadere:] *Rom. XIV. 4.* conf. *Joh. XXI. 21. 22. &c.*

Ibid. Nobis de talento nobis concesso:] Conf. Saluberrimum Pauli monitum *Galat. VI. 4.5. Opus suum probet unusquisque, & hinc in semet ipso tantùm gloriationem habebit, & non in alio. Unusquisque enim propriam sarcinam bajulabit.*

Ibid. Omnem alium cultum vel noxium:] Videlicet si cultus fuerit profanus, prout illius Divitis *Luc. XVI. 19. &c.* Huc pertinent ludi &c.

Ibid. Vel ex se parum utilem:] De tali cultu inutili loquitur Paulus *I. Timoth. IV. 8. Corporalis exercitatio parum habet utilitatis.* Conf. *Coloss. II. 18. 22. 23.* Notabilis locus, qui huc pertinet, exstat in præfatione *Theologiæ Moralis Dn. D. Maji*, de cultu noxio & inutili, cui Studiosi Theologiæ plures pro dolor! se tradere in Academiis solent. Locum ipsum huc transferre placet: *Plurimi hactenus, experientiâ teste*, exercitationibus *non solùm* corporis, *neque tamen iis, quas Paulus (I. Tim. IV.) designat, quasque ad pauca utiles esse pronunciat, sed planè inutilibus, ut sunt saltationes & pugilationes, verùm etiam prorsus impiis totos sese tradiderunt,*

runt, ac tempus sumtusque commessationibus & compotationibus, aleis & chartis, quas vocant, lusoriis, aliisque id genus damnatis exercitiis tribuerunt.

Ibid. Vel omnino tandem cessaturum:] Ut si quis talia discat, quæ vel dediscere olim oportet, ubi ad ipsum, quod sibi destinaverat, officium pervenerit; vel quæ ipsa seculi inconstantiâ & arbitrio subinde mutantur, finguntur & refinguntur &c.

Ibid. Animæ in spiritualibus cultum unice necessarium esse observemus:] Hæc nempe bona portio *Luc. X. 42. Psalm. XXCVI. 11.* Si nimirum per spiritualia intelligas Dona Sanctificantia. Quod si ministrantia, delectu est opus secundum illud Pauli *I. Corinth. XIV. I. seqq.*

AD

CAP. IX.

SECT II.

De

OFFICIO HOMINIS CIRCA CORPUS SVVM.

Pag. 472. §. 1.

IN cura corporis:] Corporis cultus tanquam debitus injungitur à Paulo ad *Coloss. II. v 23.*

v. 23. conf. *I. Corinth. VI. 19.* etsi sedulo cavendum, ne carnis cura agatur ad concupiscentiam. *Rom. XIII. 14.* conf. *I. Thess. V. 23.*

Ibid. [Quoad actiones spirituales & civiles recte & quoad usque fieri potest, inserviat :] Paulus *Rom. VI. 19.* hoc officium sic exprimit : *Præbete membra vestra serva justitiæ ad sanctificationem.* Corpus animæ nostræ adjunctum est, tanquam organum actionum externarum. Actiones nostræ, quæ per corporis concursum fiunt, sunt vel spirituales, h. e. à viribus gratiæ & Spiritus Sancti impulsu pendentes, vel civiles, quæ viribus naturæ præstantur. In utroque actionum genere ut membra faciant, ad quod ordinata sunt, annitendum est.

Ibid. Ut abstinentia sobrietate & castitate ornatum reddatur :) Virtutes hæ sunt sexti præcepti. *Abstinentia* refertur ad cibum ; *Sobrietas* ad potum ; *Castitas* ad veneris usum. *Illam* exercemus jejunando ; *istam*, si vel omnino nobis temperemus à potu generosiore, vel parum bibamus, nec facilè ad poculum hilaritatis, quod vocant, procedamus, à quo in ebrietatem pronus est lapsus ; *Hanc*, si tàm in cœlibatu, quàm in conjugio studeamus sanctitati cordis, gestus, oris & operis, adeoque tàm nostro, quàm alieno pudori. B. D. *Osiander* in Theol. Moral, pag. 104. *Castitatem Cœli-*

Cœlibem describit, *quòd sit virtus vitans omnes vagas libidines extra conjugium.* Porro *Castitatem conjugalem* dicit *esse in conjugio servante ordinem mirando DEI consilio institutum.* De Castitate ex professo egit *B. Dürrius* in *Theol. Moral.* per integrum *caput pag. 206. ad pag. 211.* unde plura hùc repeti possunt.

Ibid. Simul valetudinis :] Nec enim temere est corpus nostrum affligendum, vel ejus valetudo infirmanda, nisi officii nostri ratio apertè hoc postulet, ut cum valetudinis, imo & aliquando ipsius vitæ discrimine muneris nostri numeros expleamus. Habemus igitur valetudinis rationem Christianam, quando in rerum externarum, maximè cibi, potus, somni, veneris, iræ & similium affectuum usu & impetu, virium nostrarum conservationi studemus, consiliaque medica saniora sequimur. Conf. *Dürrii Theol. Moral. p. 252.*

Pag. 473. §. eod. Etiam quoad vestitum :] Vestes equidem ratione suæ originis non tàm nobis decori, quàm opprobrio sunt. Ex lapsu enim primorum parentum sunt *Gen. III. 7. seqq.* & hinc rectè Ebræis בגדים à *Perfidia* nuncupantur. Post lapsum tamen duplicem habent usum, scil. (1.) ut nostro pudori consulant, (2.) ut nostrum corpus ab injuria aëris protegant. Addi potest fortè (3.) ut quodammodo ordines & status hominum distinguant. Officium proinde hominis Christiani est, ut in vesti-

vestium usu respiciat ad illos tres fines, nec quicquam admittat, quod cum istis non satis congruat. *Pudori* consulimus, quando solicitè obvelamus membra, quæ venerem movent: unde meritò omnibus honestis vapulant illa vestium genera, quæ mulierum ubera denudata fistunt. *Injuriæ aëris* sive tempore æstiva accensi, sive tempore hiemis, urentis, sive humidi &c. opponimus meritò illa vestium genera, quæ sunt temporibus, ita tamen commodata, ne pudori vis inferatur. *Decor* denique servatur, si quæ uniuscujusque regionis, ordinis, vitæ generis &c. receptæ & modestæ vestes sunt, etiam à nobis citra vel singularitatis affectionem, vel levitatis culpam, usurpentur.

Pag. ead. §. II. Modus excediturr:] In cibo & potu, quando modum excedunt homines, vitii fiunt rei, quod ἀκρασίας seu *intemperantiæ* nomine venit *I. Corinth. VII.* Paulo ad *Ephes. V. 18.* ἀσωτία audit. Idem *Rom. XIII. 13.* κώμων καὶ μεθῶν *commessationum* & *ebrietatum* stigmate hoc vitium notat. Latinis *Gula* dicitur, quæ est voracitas & nimius delicatorum ciborum appetitus. *Prodigalitas* huc quoque pertinet, de qua vide *Schuppium* in *Eusebia prodeamb. p. 85. 86.* cujus locum integrum infra ad §. V. dabimus.

Ibid. In re geniali:] Excessus in re geniali dicitur generali nomine ἀκαθαρσία seu *Impuritas*, *Ephes. IV. 19.* item ἀσέλγεια seu *Lascivia*

Fivia cit. loc. nec non *I. Petr. IV. 3.* Species hujus sunt, *Sodomiâ*, quando masculi in masculos fœditatem perpetrant, ut Paulus circumscribit *Rom. I. 27.* hinc qui tali se polluunt modo, ἀρσενοκοῖται seu *cinædorum* nomine infames sunt. *I. Corinth. VI. 9.* Huic sceleri vicini sunt, qui cum animantibus brutis coëunt, unde etiam vulgò illi *Sodomitarum* nomine veniunt. *Adulterium, Scortatio, incestus* & quæ id genus alia opera tenebrarum sunt, quibus polluitur corpus. Notandum porro est ex *Matth. V. 28.* quòd ad has pollutiones corporis non præcisè requiratur opus ipsum externum, sed sufficere voluntatem & appetitum libidinosum.

Ibid. In vestitu:) Quando quis more illius divitis, dona & bona fortunæ divinitus concessa, cum neglectu Pauperum in vestimentorum splendorem convertit. Vid. *Luc. XVI. 19.* vel vestium usum in materiam lasciviæ adhibet, aut alios fines illicitos admiscet. Vide Herodis exemplum *Actor. XII. 21. 22. 23.* qui vestitu regiô divinitatem vel affectabat, vel acceptabat.

Ibid. Corpus citra necessitatem affligit:) Flagellationibus, jejuniis, vigiliis non necessariis, sed affectatis. De *Flagellationibus Pontificiis* exstat egregia *B. Auctoris* nostri dissertatio *Jenæ 1688.* habita. Conferantur Auctores, quos cit. loc. §. V. p. 3. magno numero hanc in rem allegat, B. *Jacobus Heilbronnerus*,

Zeamannus, *Balduinus*, *Hutterus* &c. Etsi enim non ignoremus, Carnis mortificationem in Scripturis divinis passim commendari; certum tamen est, non accipi illa dicta propriè, nisi dicere velimus, Scripturas nobis commendare *αὐτοχειρίαν*. Superest ergo, ut accipiamus carnem pro motibus pravæ concupiscentiæ. Ad hos autem impediendos & reprimendos quam habeant illæ flagellationes habitudinem, ostendendum esset. Certè nexum necessarium inter spirituale opus mortificandi carnem & externam illam disciplinam sanguinariam non esse, experientia simul & res ipsa docet. Egregiè *Hilarius* in *Psalmum CXVIII.* scripsit: *Corporalis illa disciplina non prohibet, quò minus in corde cogitemus stupra, injurias, odia, aliaque scelera & flagitia.* Reliqua repetantur ex laudata disputatione. De *Jejuniis* diximus ad capitis præcedentis Sectionem VI. *Vigiliis* corpus citra necessitatem affligunt, qui, ut in literis proficiant, somno se subducunt debito, atque ita Spiritibus animalibus subtrahunt, quod eorum reparationi necessariæ dandum erat. Omnium gravissimè autem delinquunt *αὐτόχειρες*, seu qui semet ipsos interficiunt. Turpitudinem hujus actionis ostendit *Hornejus in Theol. Comp. libr. III. cap. V. §. II. III. seqq. p. 702. 703. seqq.*

Ibid. Aut decente cultu privatur:) Decens corporis cultus præcipuè in Victu & Amictu conveniente consistit. Privatur ergo

ergo corpus cultu decente, quando eidem amictus & victus necessarius negatur, vel aliàs illud temere negligitur. Huc pertinet, quando corporis vulnera, morbi, mundities, negliguntur, & inde damnum eidem attrahitur.

Pag. ead. §. III. Mandata DEI:) Eminent inter hæc mandata non modò ipsum *præceptum sextum decalogi*, sed facit huc quoque locus illustris *I. Thess. IV. 3. 4. Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra: abstinere vos à fornicatione: scire unumquemque vestrum suum ipsius vas possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderii, sicut & gentes nescientes DEUM.* Huc pertinet naturalis æquitas, quam Paulus urget *Ephes. V. 29. Nullus unquam suam ipsius carnem odio habuit: imo enutrit & fovet eam, sicut & Dominus Ecclesiam.* Speciatim cultus *abstinentiæ, sobrietatis & castitatis* enixè in Scripturis præcipitur. Vide *Luc. XX. 34. Ephes. V. 18.* ad *Tit. II. 2. 3. 4. I. Petr. I. 13. Rom. XIII. 14. I. Corinth. VI. 18. &c.*

Ibid. Dignitas corporis humani:) Est enim homo ad imaginem DEI conditus, quæ etiam suo modo fulget ex corporis dotibus. Hinc *Ovidius* lib. I. Metamorph.

Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum,
Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublimi dedit, cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Dignitas hæc eadem vel gentilibus observata, relucet egregiè ex *Gen. IX. 5. 6.*

Ibid. Speciatim hominis Christiani:] De corporis Christiani excellentia & dignitate, notatu digna sunt verba Pauli *I. Corinth. VI. 15. An nescitis, quòd corpora vestra membra sunt Christi?* item *v. 19. An nescitis quod corpus vestrum templum est habitantis in vobis Spiritus Sancti, quem habetis à DEO?*

Ibid. Nexus hujus officii cum eo, quod ad animam spectat, arctus plane:) Inter animam & corpus analogice tale est vinculum, quale inter maritum & uxorem: uti enim hi sunt una caro, ita corpus & anima unum suppositum humanum constituunt. Quicquid ergo cultus convenientis datur, vel negatur corpori, id ob nexum illum non potest non redundare in animam. Adde, quæ notavimus ad sectionis præcedentis §. II. cum de donis naturalibus intellectus & voluntatis ageremus.

Ibid. Officii ejusdem decor & præmia:) *Sobrietatis gloria* longè maxima est, ita ut virtus cardinalis dici mereatur, & non modò habeatur in laude, quando propriè sumitur, sed etiam ab ejus analogia laudentur reliquæ virtutes & habitus animi, disciplinæ, artes &c. Quicquid enim sobrium dicimus, id probamus & extollimus. De *Castitate* nonti sunt versus:

Casta

Casta DEUS mens est, castâ vult mente vocari;
Et castas pondus jussit habere preces:

Item illi *Philipp. Mel.*

Ut, cùm de statua facies formosa remota est
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores spreti sine honore jacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiæ.

Præmia Officii hujus ritè expleti sunt sanitas, habilitas ad officii numeros explendos, bona fama, saltem apud bonos, conscientia læta, confirmatio in bono, & suo modo ipsa vita æterna *Matth. V. 8.*

Ibid. Oppositorum dedecus & damna varia:) *Dedecus* oppositorum vel inde patet, quia de grege Porci dicuntur, qui voluptatibus corporis student & his sese polluunt. Vide *II. Petr. II. 12. 13. Judæ v. 10. Apocal. XXII. 15. &c.* Hominum ergo nomine judicantur indigni, qui Sobrietatem, Castitatem, Pudicitiam & similes huc pertinentes virtutes negligunt, oppositisque vitiis operam navant. *Damna* varia, quæ ex intemperantia & veneris cultu oriuntur, plura sunt & majora, quàm ut recenseri omnia possint. Videri possunt interim loca *Proverb. II. 16. seqq. cap. V. 3. seqq. cap. VII. 7. seqq. cap. XXIII. per totum. I. Cor. VI. 10. 18. Gal. V. 19. 20. 21.* Nec negligenda sunt dicta *Siracidis* elegantissima, & damna commessationum & scortationum ex re & vero enu-

merantia, *cap. XIX. 1. 2. 3. cap. XXXI. 24. cap. XXXVII. 33. 34. &c.* Adde *Sapient. V. 8. seqq.*

Pag. ead. §. IV. Consideratio diligens suæ cujusque naturæ & status :) Sanum certè consilium est *Siracidis cap. XXXVII. 30. 31.* quod ita transtulit B. Lutherus: Mein Kind / prüfe was deinem Leib gesund ist / und siehe was ihm ungesund ist / das gib ihm nicht. In textu Græco verba sic habent: τέκνον ἐν ζωῇ σου πείραζον τὴν ψυχήν σου &c. *Fili, in vita tua tenta animam tuam &c.* Videlicet vox ψυχὴ, respondens Ebræo נֶפֶשׁ, est significationis amplissimæ. Usitatius cum suffixo pronomine ponitur pro Pronomine reciproco *Ipsemet*, ita ut hôc modô, *Tenta animam tuam*, idem esset, ac *Tenta Te ipsum.* Est verò נֶפֶשׁ quandoque etiam idem, quod *corpus animatum*: cùmque contextus hoc svadeat, ut potius ad corpus, quatenus spiritibus animalibus & vitalibus præditum, adeoque corpus vivum & certô temperamento præditum est, quàm ad animam rationalem, alteram hominis partem essentialem, respiciatur; non erit contemnenda versio Germanica Lutheri. Cæterùm agendum esse, quod B. Lutherus, ex hoc loco dicit, discimus exemplo *Timothei*, ad quem Paulus *I. Epist. V. 23.* scripsit: *Ne posthac bibas aquam, sed vino paululo utere propter stomachum tuum & crebras tuas infirmitates.* Est porro etiam in cultu corporis, tàm

ratio-

ratione victûs, quàm intuitu amictûs, respiciendum ad cujusque *statum*, h. e. vitæ conditionem & genus vocationis. Alius enim cultus corporis requiritur in Magnatibus, alius in Episcopis & Presbyteris, quos præcipuè Temperantia & Continentia, tàm quoad ipsos, quàm quoad familiam, quam ipsi alunt, decet, docente Paulo *I. Tim. III. 2. 3. 4. 5. ad Titum I. 6. 7. 8.* Alius denique privatos homines ornat, & rursus alius viros, alius mulieres. Conf. *I. Corinth. X. 4. 5. seqq. I. Tim. II. 9. 10. &c.*

Ibid. Animi ad spiritualia propensio :] Nimirum uti externus DEI cultus, si genuinus & nativus esse debeat, omnino ex cultu DEI interno proficiscitur; ita cultus corporis verè sobrius & sanus demum est, si ortum traxerit ex cultu animi, virtutibus tàm civilibus, quàm Christianis exornati. Secus sobrietas & continentia & amictus, hypocrisis est, non verò officium Christianum. Unde nemo miretur, quòd inter media, quibus ad hujus officii exsolutionem tenditur, ipsa illa Animi exculti propensio nominetur.

Ibid. Exempla sanctorum præceptis officii conformia:) Præcepta officii hujus indicavimus ad §. præcedentem. Sancti sunt, quos Scriptura ob sanctitatem laudat. Cum autem hi etiam homines fuerint, & sæpius lapsi, hinc notanter beatus Auctor non commendat illorum exempla promi-

seuè, sed tantum ista, quæ sunt præceptis officii conformia. Aliàs non ignoramus Noachi ebrietatem, Lothi & ebrietatem & incestum, Davidis adulterium, Patrum polygamiam simultaneam &c. Hæc exempla non sunt trahenda ad imitationem. Pertinent autem huc, quæ imitari & exprimere tenemur, exempla Josephi *Gen. XXXIX. 9.* Johannis Baptistæ *Matth. III. 4.* Pauli *I. Corinth. VII. 7. I. Corinth. IX. 26. 27.* Apostolorum in genere *I. Corinth. IV. 11. 12. 13. &c.*

Pag. ead. §. V. Segnior aut nulla consideratio suæ naturæ aut status :] Tales ob stuporem carnalem suum animantibus brutis comparant *Petrus II. Epist. II. 12.* & *Judas v. 10.* Hic autem stupor non potest non impedire officium, quod Christianus curæ sui corporis debet.

Ibid. defectus inclinationis ad spiritualia :] Illa inclinatio est veluti radix cultûs veri & sani, quem corpus nostrum exigit. Hinc non est mirum, deficiente radice, etiam cessare vitam & fructus arboris. Exemplo esse poterat Dives ille *Luc. XVI.* cum fratribus quinque.

Ibid. Cum sensus externi in objectis ad illicitas voluptates allicientibus intempestive hærent :] Prout visus Davidis in Bathsebam *II. Sam. XI. 2. 3. 4.*

vel

vel potatoris, in rubedine vini *Prov. XXIII. 13.* Sic Chrysostomus gulæ tribuit, quod populus *Joh. VI.* Christum, quem aliàs tot miracula facientem vidit, nunquam tamen aliàs tam luculento elogio prosecutus sit; tunc autem primum, cum exsaturatus esset, & Prophetam prædicarit & regem expetierit. Ipse Christus hoc exprobat *Joh. VI. 26.* Conf. B. *Calixt. Harm. Evang. p. 236. 238. 239. &c.* De reliquo sunt objecta talia, non modò res ipsæ, quibus peccata actualia contra sextum præceptum committuntur, ut fœminæ, viri maximè, formosiores, splendor vestium, cibi & potus elegantia, odor suavis &c. sed etiam imagines non satis pudicæ &c. Omnia enim hæc ad corporis, imo carnis luxum stimulant, & nos aliquando mira fascinant arte.

Ibid. Exemplum pravorum imprudens observatio:) Sæpissimè scil. habemus carnis delicias pro re indifferenti, maximè si videamus, magna nomina illis indulgere, & civilitatis morum titulò istas laudare. Sic successivè ab aspectu ad colloquium, ad contactum, ad osculum, & inde ad majora peccata descenditur, & quidem titulis honestis exterius, interius rarò. Sic exemplum Evæ secutus ust Adam. *Genes. III.* nec ullum majus est sobrietatis, continentiæ, vestitus modesti & similium officiorum Christianorum impedimentum, quàm trium literarum tyrannus, MOS. Hanc pestem notavit *Sapiens* Vir *cap. IV. 12.* Hanc labem in Republ.

Romana tàm eleganter *Livius* in *Præfat. Historiæ Romanæ* depinxit, ut non possim non excerpere quædam: *Aut me*, inquit, *amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam res publica, nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam sevère avaritia, luxuriaque immigrarint: nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit, adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pertundi perdendique omnia invexêre.*

Ibid. Familior cum hominibus intemperantibus & vanis conversatio:) Hoc impedimentum priori vicinum est, & proh dolor quotidianis exemplis notissimum, præcipuè in Academiis, ubi Intemperantiæ & Incontinentiæ magnus etiam honos est, & sæpe non licet modestiæ & temperantiæ studiosis ita esse, uti volunt, si societas non finit. Dandus hic est ille *Schuppii* locus, quem superius ad §. II. promisimus. *Præsertim*, ait Beatus Vir, *in adolescentibus turpem esse gulositatem, ostendit lex à DEO sancita* (Deut. XXI. v. 20.) *quæ ita habet: Filius vester, si comessationibus vacat & luxuriæ atque conviviis, lapidibus eum obruat omnis populus. Proh pudor & dolor! Si lex illa hodie observaretur, multis in locis non remaneret apis super lapidem, & in multis Germaniæ urbibus aut Academiis vix unica platea lapidibus stra-*

ta

ta remaneret. Non in Gallia tantùm, sed & in Germania multæ essent Lutetiæ, si Lutetia rectè dicitur à luti frequentia. Nam lutetias aut lutosas urbes redderent eruti lapides gulosis juvenibus lapidandis necessarii. Hactenus B. Schuppius.

Ibid. Præjudicium ex superstitione &c.) Hoc impedimenti genus in papatu cumprimis imperat, ubi locò verorum operum bonorum, istiusmodi ineptiæ, satisfactionum & operum supererogationis, magnorumque meritorum titulis divendi solent. Totus enim ille cultus electitius tandem in hanc superstitionem resolvitur; cui quid opponi debeat, ad §. sequentem videbimus.

Pag. 474. §. VI, Ut observemus ea, quæ scrutinium & cognitionem nostri variis modis commendat:) Talia sunt *Mandatum DEI, dignitas, utilitas, necessitasque* officii hujus &c, Confer quæ diximus ad §§. III. & IV. Observamus hæc talia, si non modò sedulò eadem meditemur, sed etiam ad praxin & juge exercitium applicemus.

Ibid. Præter A'NOMI'AN etiam vanitatem voluptatum:) Ἀνομία voluptatum ostendit earundem partim *culpam*, h. e. reatum illum, quo ipsæ illæ non solùm in se dignæ sunt DEI odiô & maledictione, sed etiam personam, cui insunt, DEO reddunt exosam & ream iræ divinæ, divinâ autem gratiâ indignam;

dignam: partim *pœnam*, h. e. reatum, quo voluptatum cultores tum temporali, tum æterna pœna digni redduntur. De culpæ malo vide loca *Rom. VIII. 7. I. Joh. II. 15. Jac. IV. 4. &c.* De malo pœnæ, quod premit voluptates, consule *Psalm. LXXIIX. 30. 31. Luc. XVI. 25. &c.* Quod ad *vanitatem* voluptatum attinet, illam nemo rectius meditandam dederit, quàm Salomo in *Ecclesiaste*, ubi hoc argumentum velut ex professo tractat.

Ibid. Fugiamus otium:) Otium Satanæ pulvinar est, ex veteri proverbio. Adeo enim evidens est, quòd otia dent vitia, ut etiam *Ovidius* lib. I. de Remed. am. scribat:

Otia si tollas, periêre cupidinis arcus,
Contemtaque jacent & sine luce faces.
Quàm platanus vivô gaudet, quàm populus undâ,
Et quàm limosâ cauna paluſtris humô:
Tàm venus otia amat. Finem quæris amori,
(Cedit amor rebus) res age, tutus eris.

Conf. *II. Thessal. III. 11. 12. I. Timoth. V. 13. &c.* Lapsûs ex otio exempla habemus *Genes. XXXIV. v. 1. 2. II. Sam. XI. 2. &c.* E contrario Maria iter suum exsequebatur *μετὰ σπουδῆς Luc. I. 39.* Paulus laborabat continuò *II. Thes. III. v. 7. 8. II. Corinth. XI. 23. & 28. &c.*

Ibid. Quæ penes alios se offerunt, maturiore judicio æstimemus:]

mus:) Ne scilicet nubem pro Junone, & fugienda pro imitandis amplectamur. Maturum autem judicium dicimus, quod non suffusis affectuum nebulis, mente serenâ, ex sacris scripturis, harumque pia & jugi meditatione, ut & hominum cordatorum consilio, experientiâ & circumspecta deliberatione formatum est.

Ibid. Ab ΕΘΕΛΟΘΡΗΣΚΕΙΑ distinguamus:) Cultus verus veri DEI est, quem ipse in suo verbo præscripsit. Electitius cultus est, quem hominis indoles adinvenit. De hoc notari debet illud Christi *Matth. XV. 9. frustrame, colunt, tradentes mandata hominum*; item illud Pauli *ad Colossens. II. 23. Verbotenus habent speciem sapientiæ per superstitionem &c.* conf. *I. Timoth. IV. 8.* ad *Ebr. XIII. 9. &c.*

AD
CAP. IX.
SECT. III.
De
OFFICIO HOMINIS CIRCA FORTVNÆ BONA.

Pag. 474. §. I.

CUra acquirendorum & conservandorum per media legitima bono-

bonorum fortunæ :] *Bona fortunæ* dicuntur, ad discrimen bonorum animæ & corporis, illa, quæ forinsecus nobis accedunt, ut honores, famæ splendor, munera, divitiæ &c. Nomen à *fortuna* habent, non, acsi cœcam istam Deam haberent vel auctorem, vel regem; cùm potius non minus, quàm reliqua nostra dona & bona, à DEO & ortum trahant, & conferantur & dispensentur, prout inter alia graviter docemur *Hoseæ II. 8. 9. Daniel. IV. 22. 23. 24. Matth. VI. v. 25. seqq. &c.* sed à Fortunâ retinuerunt nomen ex veteri Gentilismo ob suam inconstantiam & levem, qui inter nos & ista intercedit, nexum. Hæc bona licet non modò, si sponte obveniant, *possidere*, sed etiam per *media legitima*, h. e. laborem vocationis nostræ, merita publica, &c. *acquirere & conservare.* Vide *Genes. XXVI. 12. 13. 14. cap. XXXII. 10. Psalm. CXXIIX. v. 2. Proverb. XXIV. 30. seqq. Eccles. XI. v. 1. 6. Actor. V. 4. Ephes. IV. 28. II. Thess. II. 8. 12. Philipp. IV. 8. &c.* Quanquam in curandis & quærendis talibus bonis, subinde corrupta nostra natura frenô magis, quàm calcaribus indigeat, ac sedulò cavendum sit, ne ex inordinata affectu, v. g. φιλαυτία, avaritiâ, superbiâ, &c. ista appetamus, vel avidè iis inhiemus, vel palmarium vitæ nostræ scopum caduca hæcce constituamus.

Ibid. Speciatim honoris &c.) Honores atque dignitates jubemur agnoscere in iis,

iis, quibus competunt, *Rom. XIII. 8. Reddite omnibus quod debetur, cui honorem, honorem:* & *cap. XII. 10. Honore alius alium prævenite.* Imo Paulus *Actor. XXII. 37.* ad dignitatem & immunitates suæ civitatis Romanæ provocabat. Conf. *cap. XVI. 37.* Neque dubitabat gradum sui Apostolatûs defendere *I. Corinth. IX. 1.* ad *Galat. I. 11. cap. II. 6. & c.* atque præterea *I. Corinth. IX. 15.* scribere: *bonum est mihi mori potius, quàm ut gloriationem meam aliquis inanem reddat.* Quid? Timotheo honoris sui vindicias injungit *I. Tim. IV. 12. Nemo tuam juventutem despiciat:* & *Philippenses cap. IV. 8. si quæ laus est, eam* jubet *meditari.* Equidem videtur hactenus dictis obstare, quod legimus *Joh. V. 44. Quomodo vos potestis credere qui gloriam à vobis invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo DEO proficiscitur, non quæritis.* At verò facilis est responsio ex ipso contextu, cùm Christus in Pharisæis damnet, quòd gloriam humanam ineptè appetant & mutuò acceptent, neglectâ verâ gloriâ apud DEUM, cui tamen præ illa studendum fuisset, imo quæ fuisset, si sapere voluissent, unicè quærenda, & altera illa, velut res levis, in medio linquenda. Carpit ergo Jesus Pharisæos non simpliciter ob honorem mutuò exhibitum & receptum, sed ob vanitatem, quâ honoribus illis operam navabant, & quidem cum neglectu & contemtu honoris apud DEUM. Conf. *Joh. XII. 43. Rom. X. 3.* Pertinet huc (1.) Apologia justa

(2.) Glo-

(2.) Gloriatio vera & similes aliquot virtutes, de quibus videri potest B. D. *Osiander in Theol. Moral. Explicat. Præcept. IIX. pag. 147. 148.*

Ibid. Munerum:) Sectari licere, uti dona spiritualia *I. Corinth. XIV. 1.* sic quoque munera Ecclesiastica, constat ex *I. Timoth. III. 1. indubitatos sermo, si quis episcopi munus appetit, honestum opus desiderat.* Sed etiam de reliquis Statibus hierarchicis & muneribus eorundem, idem ex parte Speciali patebit. Modò adhibeantur media legitima, & ductus DEI non fingatur, sed piè exspectetur, in quantum videlicet sese per ordinaria & divinitus probata media prodit.

Ibid. Divitiarum:) Amplissimum hocce nomen, foris tamen tantùm splendens, sed intus miserum est. Dicuntur divitiæ Bonorum mobilium & immobilium apparatus. Hæ obtingunt hæreditate, donationibus, labore, & aliquando extraordinaria DEI benedictione, prout de Isaaco dicitur *Genes. XXVI. 12.* Conf. loca in nota prima hujus sectionis adducta.

Ibid. Tanquam Instrumentorum:) Hæc unica ratio est, sub qua rectè possumus illa dona & bona fortunæ acquirere & conservare, scil. *quatenus eadem sunt*, certè esse debent & possunt, *instrumenta ad exercendas operationes sanctas DEO placentes.* Cùm enim DEUS in regno Potentiæ & Gratiæ, varia instituerit

tuerit officia, *Epheſ. IV. 11. I. Corinth. XII. 28. Rom. XIII. 1. &c.* & non agat ſine apparatu mediorum, quæ variis officiis communibus & ſpecialibus Chriſtianorum adjunxit & ſubordinavit; utique par eſt, ut hanc œconomiam DEI ſapientiſſimam veneremur, & hæc bene operandi organa & acquiramus, & conſervemus, & prudenti conſilio uſurpemus. Sed, uti dixi, non aliâ, quàm unicâ iſtâ ratione. Nam quamprimum recedimus ab hâc metâ, turpiter erramus, & quæ bona antea erant DEI dona, in mera ſcelera & animæ peſtem convertimus. Vid. *Proverb. X. 16. Sap. V. 8. ſeqq.* Id quod magis pateſcet ex iis, quæ ad §. ſequent. dicenda reſtant.

Pag. ead. §. II. Plura aut majora, quam par eſt:] Menſura bonorum fortunæ eſt ille modò indicatus ſcopus, ut habeamus inſtrumenta bene operandi. Sufficientibus ergo bonis fortunæ credamus nos eſſe inſtructos, ſi illa adfuerint, quibus pro vocationis noſtræ modulô, poſſimus in DEI gloriam proximo inſervire. Plura autem & juſto majora ſunt, ſi, quæ nobis obtingunt, mentem diſtrahunt, à cultu DEI avocant, & officia proximo debita non tàm facilitant, quàm intercipiunt, adeoque in ſpinas illas degenerant, de quibus Chriſtus loquitur *Matth. XIII. 22. Luc. IIX. 14.*

Ibid. Ac fortaſſis anxie deſiderat:] Peccant, quicunque anxiè bona fortunæ quærunt, & vel ſibi, vel aliis neceſſaria defutura æſtimant,

mant, nisi ipsi sua anxietate suppleverint defectus. Christus tales curas pronunciat verè Ethnicas *Matth. VI. 32.* & adhortatur nos, ut potius regnum DEI, missis illis vanis rebus, quaramus.

Ibid. Aut præsentibus illis immodice se oblectat:] Exemplo Divitis illius, cujus ager uberes protulerat fructus *Luc. XII. 16. 17. seqq.* Nebucadnezaris *Daniel. IV. 27.* Belsazaris *cap. V. 2. 3. 4. 19. seqq.* Episcopi Laodiceni *Apocalypseos III. 17. &c.*

Ibid. Aut mediis illegitimis acquirere & conservare ea studet:) Exemplo Bileami, de quo videatur *Petrus II. Epist II. 15.* Gehasi, famuli Prophetæ Elisæ *II. Reg. V. 20. 21. seqq.* Herodis *Matth. II. 3. seqq.* Pharisæorum *Joh. XI. 48. cap. XII. 42.* Judæ proditoris *Matth. XXVI. 14. 15. Joh. XII. v, 6. &c. De conservandis, bene collocandis & erogandis fortunæ bonis ex professo* agit B. *Dürrius cit. loc. pag. 231. seqq. &c.*

Ibid. Aut non convertit in finem illum sanctum:) Scil. ut DEI gloriæ & voluntati inserviatur, simulque proximi utilitati succurratur; sed potius dona illa adhibentur in materiam flagitiorum, superbiæ, gulæ, oppressionis pauperum, tyrannidis, simoniæ &c.

Pag. 475. §. eod. Cum eadem illa bona

bona temere negliguntur:) *Temerè* ait B. Auctor, h. e. ita, ut vel oblata illa instrumenta bene merendi de Nobis, Nostratibus & Proximo, ex segnitie & tædio non acceptemus, vel quæ habuëramus, disperdamus & tanquam rem levem negligenter tractemus, prout ille servus nequam, qui talentum sibi commissum non usurpavit, sed abscondidit *Matth. XXV. 18.*

Ibid. Propria culpa amittuntur:] Prout suâ culpâ amisit Saul Regnum *I. Sam. XIII. 13. 14.* item Belsazar *Dan. V. 26.* Sic Judæi sese reddiderunt indignos beneficiis divinis & terrâ suâ, vide *II. Regum XVII. 7. 8. seqq. cap. XXI. 12. 13. II. Chron. XXXVI. 11 seqq.* Famam suam perdiderunt suâ culpâ filii Eli *1. Sam. II. 24.* item Judæi *Thren. I. 8. &c.*

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI, quoad honores non nisi modestæ appetendos:) DEUS in Salomone Rege singulari gratiâ commendat, quod hic petere aliquid jussus, non petierit *Honorem*, sed potius Sapientiam, & Prudentiam rectè gubernandi *II. Chron. I. 11.* Quô ipsô jubemur sequi illa modestiæ in appetendis honoribus vestigia Salomonea. E contrariò imperum filiorum Zebedæi & reliquorum Apostolorum castigavit Christus *Matth. XX. 22. 25. 26. Luc. XXII. 25. 26. &c.* Præcipuè huc pertinent mandata divina de modestiæ & humilitatis studio, v. gr *Rom. XII. 3. Ne quis arrogantèr de se sentiat, supra*

quàm oportet de se sentire, sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius. Item *v. 16. Nolite arroganter de vobis ipsis sentire, sed humilibus vos accommodate. Ne sitis arrogantes apud vosmet ipsos.* Conf. *Gal. VI. 3. I. Petr. V. 5. &c.*

Ibid. De bona fama rectè quærenda & tuenda:] v. gr. illud Christi *Matth. V. 16. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera.* Adde Paulum ad *Philipp. II 15. 16. cap. IV. 8. ad Tit. II. 8. I. Petr. II. 12. &c.*

Ibid. De utrisque divino honori postponendis:] Talia mandata divina sunt v. gr. ex *Matthæi X. 32. 33. Luc. IX. 29.* & similibus locis, facilè colligenda. Conf. *Jerem. XIII. 16. 17. I. Sam. II. 29. &c.*

Ibid. De divitiis rectè quærendis & utendis:] Divitiæ rectè quæruntur, quando non modò finis, sed etiam modus acquisitionis legitimus est. *Finis* rectè se habet, quando divitiæ acquiruntur, ut media & instrumenta bene operandi; *modus* rectus est, si media sint ordinaria & divinitus comprobata. *Usus* denique genuinus est, quando, ut instrumenta bene operandi actu usurpentur. De *Fine* & *Modo*, imo etiam *Usu* est notum mandatum Pauli *Ephes. IV. 28. laboret operando manibus, ut possit impartiri ei, qui opus habuerit.* Præcipuè de usu divitiarum plurima mandata divina exstant, v. gr. *Luc. XVI. 9. cap. VI. 36. I. Tim. VI. 17. 18. 19.*

Ebr.

Ebr. XIII. 16. I. Petr. IV. 9. 10. &c. Ex omnibus dignissimum est, quod hic legatur illud Pauli *I. Corinth. VII. 29. 30. 31. Cæterùm illud dico, fratres. tempus contractum est: superest, ut qui habent uxores, sint tanquam non habeant. Et qui plorant, tanquam non plorent: & qui gaudent, tanquam non gaudeant: & qui emunt, tanquam non possideant: & qui utuntur mundo hoc, tanquam non utantur. Præterit enim habitus hujus mundi.*

Ibid. A summo quidem bono, aut sanctis proprio differentia:] *Summum bonum* est DEUS Optimus Maximus, non modò in se, quatenus omnes perfectiones solus possidet, consideratus, unde *Matth. XIX. v. 17.* solus bonus dicitur; sed etiam intuitu nostri, quia ab ipso solo omnia unicè, seu mediatè, seu immediatè accipimus. *In ipso* enim *vivimus, movemur & sumus Actor. XVII. 28.* Conf. *Psal. CIV. 29. Apoc. IV. 11. &c.* Sed misera sors est bonorum externorum, sive in se considerentur, sive in ordine ad nos. Vel enim planè nullus, vel accidentarius tantùm inter illa bona & nos nexus intercedit. Unde ipsi etiam Philosophi saniores agnoverunt, illa bona hominem non posse beatum reddere. Porro etiam *Bonum sanctis proprium* multò est excellentius, quàm ut debeat huic cum externis bonis comparato palma dubia reddi. Sunt autem bona sanctis propria, *Pax Christi*, quàm ipse nobis, tan-

quam cornu copiæ omnis noſtræ beatitudinis, impetravit. Hæc *pax divina ſuperat omnem intellectum Philipp. IV. 7.* Partes ejus partim effectus & fructus, partim principia ſunt, inhabitatio DEI trinunius, Spiritus Sancti lumen, conſcientia tranquilla, peccatorum remiſſio, juſtificatio, ſanctificatio, Fides, Spes, Charitas &c. Conf. *Rom. V. 1. XIV. 17. Gal. V. 22. &c.* Conf. *Joh. XIV. 27. cap. IV. 13. 14. cap. VII. 32. 33. 35. &c.* Adde præcipuè quæ Chriſtus de Beatitudinibus Sanctorum loquitur *Matth. V. 3. 4. &c.*

Ibid. Habitudo autem ad bonum finem:] Licet Bona externa ſint infinitis modis viliora bonô ſummô & ſanctis proprió; ſunt tamen nihilominus utilia inſtrumenta ad varias actiones ſacras & opera miſericordiæ, pietatis &c.

Ibid. Hujus officii decor & utilitas:] Hoc motivum habet B. Auctor pro conſectario habitudinis, quam Bona opera, tanquam inſtrumenta ad bonum finem habent. Exempla huc pertinentia ſunt, Mulieris Chriſtum glorioſè ungentis *Matth. XXVI. 7. ad 13.* Joſephi & Nicodemi Chriſtum honeſtè ſepelientium *Matth. XXVII. 57. ſeqq. Joh. XIX. 38. ſeqq.* Tabithæ *Actor. IX. 36. ſeqq.* Joſephi Patriarchæ *Gen. XLV. 7. 8. 9. 10. ſeqq. &c.* In ſpecie uſum & decus hujus officii commendant Scri-

Scripturæ *Prov. XIX. 17. Ebr. XIII. 2. 3. Actor. IV. 34. seqq. Matth. XXV. 34. 35. seqq. cap. X. 41. 42. Gal. VI. 9. &c.*

Ibid. Oppositum dedecus & noxa:) Exemplo illius divitis *Luc. XVI.* & aliorum id genus impiorum *Matth. XXV. 41 seqq.* Confer *Proverb. XXI. 13. Psalm. XLIX per totum. Luc. XII. 20. 21. I. Tim. V. 8. Jacob. V. 1. seqq. &c.*

Pag. ead. §. IV. Bonorum fortunæ, ut donorum DEI:) Nimirum hæc consideratio effecit, ut in eorundem dispensatione cautè & circumspectè agamus. Huc collineant illæ parabolæ de Talentis variis variè elocatis, *Matth. XXV.* de Dispensatore prodigo *Luc. XVI.* &c. Conf. *I. Corinth. IV. 7. Quid habes, quod non acceperis? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quæ verba hanc meditationem plurimum juvant.

Ibid. Ut incertorum & facilè amissibilium:) Hoc medium etiam ex lumine naturæ notum est. *Epictetus* in Enchiridio cap. II. illa nuncupat ideo *infirma, obnoxia servituti, obnoxia impedimentis, aliena*, eò, quòd apertè sint οὐκ ἐφ' ἡμῖν seu *res non nostræ potestatis.* Præcipuè aureola sunt, quæ ex *Hipparcho Pythagoreo, de Animi Tranquillitate*, solent Tabulæ Cebetis attexi. Christus divitiarum vanitatem edocuit parabolâ eleganti *Luc. XII. à v. 16. ad 21.* Paulus *I. ad Tim. VI 17.* πλούτῳ ἀδη-

ἀδηλότητα *Divitiarum incertitudinem, fallibilitatem, inevidentiam* dixit. Experientia hujus veritatis magistra jugis est. *Irus enim est subitò, qui modò Crœsus erat.* Repete huc illud *Senecæ Thyest. act. III.*

Quem dies vidit veniens superbum,
hunc dies vidit fugiens jacentem &c.

Hinc fortunam, quam his bonis præfecerant gentiles, & cœcam & rotundo lapidi insistentem finxerunt Gentiles. Confer, quæ *Cebes* in *Tabula* sua egregiè hanc in picturam monet.

Ibid. Exempla Christi & Sanctorum:) Qui bonorum fortunæ defectum æquè tulerunt. De CHRISTO illustris locus est ad *Philipp. II. §. 6. seqq.* Conf. *Ebr. XII. 2. 3. Matth. IIX. 20. Luc. IX. 58. &c.* Inter Sanctos, vide exempla Pauli *ad Philipp. IV. 11. 12. 13.* Jobi *cap. I. 20. 21. cap. II. 10.* Davidis, *II. Sam. VI. 22. cap. XV. 25. 26. cap. XVI. 11. 12.* Salomonis *II. Chron. I. 11. 12. &c.* & similium, qui partim in adversis, partim in secundis, egregiè officia circa fortunæ bona impleverunt.

Pag. ead. §. V. Externorum amabilitatem & pretium, quod inter homines habent:) Pridem observarunt Philosophi rerum externarum pretium magis ab hominum opinione, quàm à rebus ipsis pendere. Vide *Epictetum* cit. loc. cap. X. *Hipparchum* citato fragmento de animi Tranquillitate &c.

Nec

Nec erravit à verô, qui de pretio Gemnarum dixerat, illud esse tantum, quantum definierit stultus dives. Præjudiciis istis sese opposuit Christus *Matth. VI. Luc. XII.* & alibi passim. Exempla hominum hoc pacto lapsorum, quòd pretium externorum magis ex vulgi, quam rei indole dijudicarent, quotidiana penè innumera sunt. Ex sacris huc pertinet fastus Michaëlis *II. Samuel. VI. 16. 20.* Scribarum *Joh. XII. 43.* Gehasi *II. Reg. V. 20. seqq.* Achanis *Jos. VII. 20. 21. &c.*

Ibid. Non tam juxta leges, quam secundum exempla :] Hoc ex motivo peccarunt Judæi Regem, ad morem gentium postulantes *I. Sam. IIX. 5. 6. seqq.* Ita lapsi sunt Discipuli toties ex vulgi præjudicio contendentes de primatu. Vid. *Matth. XIIX. 1. seqq. cap. XX. 20. seqq.* Imo ita seductus est populus infelix, ut Barrabam præferret Christo *Matth. XXVII. 20.* ac tandem *v. 25.* horrenda insania conclamaret, *sanguis ejus super nos, & super filios nostros &c.*

Ibid. Si singularitatem quandam temere affectemus :) Tali vitio laborant ii, qui præ omnibus, Opum, Dignitatis, Honoris, Famæque laudibus eminere cupiunt. Referri huc meretur audax facinus hominum Turrim Babylonicam struentium in æternam rei memoriam *Genes. XI. 4.* Imo ipse primus

lapsus Evæ *Genes. III. 6.* Conf. Herodis vanitatem *Actor. XII. 21. 22. 23.* Simonis Magi *cap. IIX. 9. 10. 11. &c.*

Ibid. Inter abusum & usum borum illorum distingvere nesciamus :] Hanc distinctionem facilius edocemus in theoria, quàm observamus in praxi, teste tristissimo Sapientissimi Regum lapsu. Quis magis edocuit rerum externarum miseram indolem, atque ipse in *Ecclesiaste* suo : sed heu quàm graviter defecit ab ipsa sua doctrina *I. Reg. XI. 1. 2. seqq.* Conf. *Sirac. XLVII. 21. seqq.* Sæpius igitur blanditiis rerum externarum decepti, licita putamus, quæ sunt ipsa ad graves lapsus via: Aut vice versâ, abusu offensi, usum ipsum simul tollimus, & ipsas divitias, honores, &c. contemnimus & condemnamus.

Pag. 476. §. VI. Indignum sit hominæ, presertim Christiano &c.] *Homine* indignum esse, pendere à rerum externarum, quas h. l. dicimus, h. e. à rerum fortunæ illecebris, præter alios ad oculum demonstravit Epictetus. Porro indignissimum esse hoc *Christiano*, ostendit *Johannes I. Epist. II. 15. 16. 17. Ne diligatis mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est Charitas Patris in eo &c.* Conf. *Matth. VI. 24. cap. X. 37. 38. Jac. IV. 4.*

Ibid. Exemplis undecunque occurrentibus larvam detrahere :) Detra-

Detrahimus larvam, si exegerimus eadem ad rectæ rationis & Scripturarum divinarum regulas, exemplo Petri *Actor. IIX. 20. 21.* Nicodemi *Joh. VII. 50. 51.*

Ibid. Inter temerariam imitationem morum vulgarium, & singularitatem non minus temere affectandam:) Antiqvum verbum est, *Medium tenuere beati.* Mores vulgares sunt, quos vulgus probat, seu *Turba*, quam *pessimi argumentum* egregiè *Seneca* dixit *de Vita Beat. cap. II.* Pessimum ergo sequitur, qui vulgum sequitur. *Seneca* cit. loc. cap. I. non minus egregiè ait: *Sanabimur, si modò separemur à cœtu.* Conf. Christi oracula *Matth. VII. 13. 14. Luc. XIII. 24.* Imo *Ecclesia* dicitur ἐκκλησία, *cœtus evocatus*, ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, ab *evocare*. Conf. *Joh. XV. 18. 19. cap. XVII. 14. 15. 16.* Alterum externum est *singularitas*, quando temerè vel ipsi nova excogitamus in doctrina & moribus, quò nihil habemus cum aliis commune; vel novaturientium sumus simii & eos sectamur, non quia vera, sed quia nova & non vulgaria jactant. Ab his Singularistis, tanquam Antichristis & PseudoChristis, nobis cavere debemus per illud Christi monitum *Matth. XXIV. 24. Luc. XVII. 23. &c.* Aliàs datur *Singularitas Sanctorum*, de qua *Hornbeccius* integro *capite XI. libri octavi* disseruit *p. 134. seqq.*

Me-

Medium ad hanc viam mediam tenendam est Lux verbi divini, secundum illud Davidis *Psalmo CXIX. v. 9. In quo mundabit juvenis viam suam? Custodiendo verba Tua.* Porro custodiam verbi divini discimus illustri exemplo Timothei *II. Epist. III.* de qua re alibi.

Ibid. Inter abusum & usum bonorum solicite & accurate discernere:] Hæc discretio non tàm theoretica sit, quàm practica. Discernunt *Theoreticè*, qui vel disputando & acumen ostentando, itemque pruritu cavillandi, multa hanc in rem dicunt potius, quàm faciunt, vel etiam qui subtiliora, quàm utiliora & ad praxin commodata, effingunt potius, quàm efficiunt. *Practicè* autem usum & abusum discernimus, quando *distinctionem rationis*, (τὸν διαιρέντα λόγον) ut *Epictetus cit. loc. cap. LXXV.* ait, *nullatenus violamus*, sed ordinem divinum & naturalem divinitus concredita dona & bona tractamus & unicè adhibemus.

AD

AD

CAPITIS X.

De

OFFICIO HOMINIS ERGA PROXIMUM.

SECT. I. GENERAL.

De

DILECTIONE PROXIMI.

pag. 476. §. I.

AD hominem alium seu ad proximum refertur:] *Proximus* seu *alius homo* est omnis homo, qualiscunque ille fuerit, sive amicus, sive inimicus, docente Christo *Luc.* X. *v. 30. seqq.* Fundatur hic significatus (1.) in communi natura humana, quâ nos DEUS omnes in creatione donavit *Actor. XVII. 16.* nec non (2.) in universali gratiâ & amore Patris, omnem mundum, adeoque omnes ex æquo ita diligentis, ut filium suum unigenitum daret *Joh. III. 16.* ut & in universali merito Christi, *qui est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi I. Joh. II. 2.* Imo (3.) fundatur

datur idem significatus etiam in communi sorte, fragilitate & miseria omnium hominum *Sirac. XL. 1. seqq. &c.* Conf. B. *Dürrii* notas posthumas ad Theol. Moral. pag. 41. 42. & B. D. *Osiandr. Theol. Moral. Præc. V. §. X. pag. 60. 61.*

Ibid. Uno dilectionis seu charitatis proximi nomine comprehenditur:] Juxta illud Pauli *Rom. XIII. v. 8. Qui diligit alterum, legem implevit. Siquidem illud, non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud præceptum, in hoc sermone, summatim comprehenditur, nempe: Diliges Proximum tuum sicut te ipsum.* Virtutes huc pertinentes sunt *Amicitia, Pax, Concordia, Mansvetudo, Humilitas*, de quibus integris capitibus egit *Horubeccius in Theol. Pract. libr. X. cap. II. III. IV. V. VI. B. D. Osiander Part. Spec. cit.* in explicat. quinti præcepti *§. X. pag. 60. 61.* octo virtutes præcepti quinti enumerat, *Dilectionem, Humanitatem, Lenitatem, Mansvetudinem, Beneficentiam, Concordiam, Patientiam, Misericordiam.* Alii etiam prolixiores sunt in Virtutum huc pertinentium catalogis. Vide *Chytræum* in *Regulis Vitæ* &c.

Pag. ead. §. II. Ut bona vera, sive sint animæ, sive corporis, sive fortunæ &c.) Vera bona dicuntur talia in ordine

dine ad falsum seu fictum, quod bonitatis specie fallit. Sic ficta & falsa bona sunt, si quis illecebras mundi, otia, ebrietatem, vindictam, venerem &c. pro bonis habeat & expetat. Sed hæc jure excluduntur à Bonis, vel proximo, vel nobismetipsis expetendis. Per vera igitur bona intelligimus (1.) illa, quæ sunt vel naturalia, vel supernaturalia dona animæ: de quibus diximus *cap. præced. IX. sectione I. §. II.* & IIX. (2.) illa, quæ corpus nostrum juvant, ornant; perficiunt, de quibus itidem egimus *cap. cit. sect. II. ad §. I.* (3.) illa, quæ sunt bona fortunæ v. gr. honores, bona fama, munera, divitiæ &c. de quibus dictum fuit *eodem cap. sect. III. ad §. I.* Porro tenendum est, quod hæc, etsi vera bona in suo genere, possint tamen fieri spuria, si præternaturaliter tractentur & ordo eorundem pervertatur, ut si quis studuerit bonis istiusmodi caducis, nec illa appetat, vel usurpet, tanquam instrumenta benè operandi, sed tanquam res per se amabiles &c.

Ibid. Qualia nobis rectè optamus & quærimus & conservamus:) Equidem dilectio nostri est mensura dilectionis proximi; non tamen dilectio nostri quælibet, sed illa tantùm, quæ sana est & rectè formata. Sæpius enim talia nobis appetimus, quæ noxia sunt: Ast uti hæc nobis appetendo & acquirendo peccamus; ita etiam sine dubio peccamus,

camus, illa appetentes vel acquirentes proximo. V. gr. Si quis proximum adjuvaret in veneris illicitæ usu, vel in furto faciendo, velletque prætendere Charitatem proximi, cujus vi obligemur, ad illa præstanda proximo, quæ nobis optemus; jam verò neminem, ejusmodi ille cebris deditum velle ut impediatur, sed ut juvetur: Si quis, inquam, ita argumentaretur, is graviter peccaret. Nam id genus adjutorium in peccatis nobis non rectè optamus, vel quærimus, vel conservamus. Ergo nec proximo.

Ibid. Etiam proximo cupiamus:] Fundamentum hujus officii est communis natura humana, communis dilectio DEI, communis sors & miseria, de quibus paulò ante. Jam de rebus naturæ & sortis ejusdem, eadem, si justi sumus, judicia feramus est necesse. Quod si autem de rebus iisdem non eadem dicamus vel judicemus, evidenter satis falsi & parum sani sumus. Hæc tamen accipimus de iisdem, quatenus eadem sunt, non autem quatenus admittunt diversitatem aliquam in aliis circumstantiis. Sic Imperator & rusticus, Pater & filius, Doctus & indoctus &c. etsi conveniant in communi natura & sorte humana, differunt tamen ratione officiorum & qualitatum aliarum, sub quibus differentiis non eadem, sed diversa singulis debentur. Pertinet huc quæstio vexata *de Charitate ordinata à se ipsa incipiente*, quam

quam uti passim asserunt; ita è contrario alii, ex regulis Charitatis, quæ Christianis in N. T. hinc inde inculcantur, exsculpere laborant, proximum in Charitatis officiis exsolvendis ante poni debere nobismetipsis. Huc revocant illa Pauli *I. Corinth XIII. v. 5, Charitas non quærit, quæ sua sunt*; item *Rom. XV. 1. 2. Non placeamus nobis ipsis, sed unusquisque placeat proximo in bonum, ad ædificationem.* Conf. ad *Philipp. II. v. 3. alium quisque se præstantiorem existimet.* Sic quoque *animam* quandoque *pro fratribus* nostris *ponendam esse* ex *I. Joh. III. 16.* observant. Pro conciliatione observamus ex B. *Dürrio cit. loc. pag. 148.* debere distingui inter genera bonorum, quæ in discrimen veniunt. Si enim in contentionem venerint bona spiritualia proximi, & nostra corporalia; sine dubio salus proximi æterna est anteponenda nostræ corporali. Ita singulariter tenentur vitam corporalem suam pro fratribus ponere sacerdotes & pastores tempore pestis, persecutionis &c. ne salus fratrum periclitetur æterna. Imo Charitatis Christianæ est, etiam in rebus corporalibus aliquando cedere de suo jure, nec nimis rigidè sua quærere, si viderimus maximè, majus aliquod bonum in proximum nostrum, ex nostra cessione derivari posse, quàm nos simus obtenturi, jus nostrum urgendo. Interim si bona sint paria, quæ in contentionem ve-

niunt,& præcipuè si bona fuerint æterna; vel si salus nostra æterna in discrimen adducenda esset, pro bonis proximi corporalibus, utique charitas rectè incipiet à se ipsa. Nec enim jubemur proximum plus diligere, *quàm nos*, sed *sicut nos*, ita ut amor nostri, quem DEUS amoris proximi mensuram constituit, non possit violari, nisi velimus simul violare mensurandum, h. e. proximi amorem. Quid? ipsum hoc de proximô ita, quemadmodum nosmet ipsos amamus, amandô, ostendit, Amorem nostri naturâ & ordine priorem esse debere amore proximi. Conf. *Epicteti Ench. cap. XXXI.*

Pag. 477. §. eod. Non tantum non inferamus proximo:) Mala, quæ nolumus nobis inferri, ne inferamus proximo. Ubi tamen nota (1.) quod nos oporteat distinguere inter ea, quæ rectè à nobis abesse optamus, & quæ malè instar malorum fingentes, fugimus & declinamus nostrô damnô. (2.) Inter ea, quæ homo homini, quà tali, infert mala tristia, & quæ homo, quà superior, infert inferiori suo, ex ratione officii: Non de his, sed de illis intelligendus est canon à B. Auctore adductus. Nam aliàs graviter delinquemus, si v. gr. nos fugientis disciplinam, nolimus hanc, (tanquam malum quoddam triste, vel potiùs malum tantùm apparens,) inferre proximo, etsi ratio officii hoc postulaverit.

Ibid.

Ibid. Sed pro virili arceamus aut depellamus :) Arcemus & depellimus mala à proximo *vel*, si ratio officii ita tulerit, nostra auctoritate & imperio; *vel* saltem nostra ope fraternâ, consiliô, precibus, admonitionibus &c.

Ibid. Non tam nostri, quam ipsius proximi causa :) Hic nempe valet demum illud Pauli, *Charitas non quærit, quæ sunt sua I. Corinth. XIII. 5.* Qui autem in officiis proximo præstitis suam causam agit, & v. gr. propter suam gloriam, suaque commoda vel directè, vel indirectè opera Charitatis exercet, is non tàm proximo, quàm sibimet ipsi servit, neque opera Charitatis Christianæ, sed Philavtiæ inordinatæ habet.

Ibid. Atque ad DEI gloriam:] Hæc finis ultimus nostrarum actionum omnium esse debet. Extra quem quicquid suscipitur, idololatricum est.

Pag. ead. §. III. Odium apertum:) B. D. *Osiander cit. loc. §. IX* Odium describit, *Aversionem animi à proximo cupientem ei quodvis malum.* Odium itaque apertum est, quando illam animi aversionem etiam gestu, ore & opere prodimus. Tale odium erat Esavi in Jacobum *Gen. XXVII. 41.* Fratrum Josephi *cap. XXXVII. v. 4.* Achabi Regis in Micham Prophetam

I. Reg. XXII. 8. &c. Porro obſervari meretur diſcrimen inter *Odium abominationis ſeu qualitatis*, & inter *odium inimicitiæ ſeu perſonæ. Illud* dicitur, quando non tam perſona habetur odio, quàm vitium perſonæ adjacens; *hoc*, quando ipſam perſonam ſecundum ſe aut bona illi inexſiſtentia averſamur. Conf. B. *Dürrii Theol. Moral. pag. 151.* Odio aperto opponitur *Tectum*, aliena ſpecie ſe occultans & nocens. Conf. *Hornbec. Theol. Pract. lib. X. cap. IIX.* quod eſt de odio *pag. 524. 525.* Ἐπιχαιρεκακίαν idem pag. 526. huc reducit, quæ conſiſtit in gaudio ob proximi malum. Vitium hoc vivis exemplis ſatis conſtat. Ex hiſtoria ſacra conf. *Thren. I. 7. 21. Matth. XXVII. 39. &c.*

Ibid. Quo & invidia ſpectat, ſicubi ſe prodit:) *Invidia eſt dolor ortus ex conſideratione alieni boni, quatenus invidentis vel honorem vel commodum imminuere videtur.* B. *Dürrius cit. loc. pag. 151.* Plura de invidia habet B. D. *Oſiander* cit. loc. *pag. 58. 59.* de diſcrimine Odii & Invidiæ videri poteſt *Hornbec. cit. loc. cap. IX.* quod eſt de Invidia *p. 526. ſeqq.* Prodit ſe Invidia geſtibus, ore & opere. Exempla huc facientia ſunt fratres Joſephi *Geneſ. XXXVII. 11. 18. ſeq.* Saul invidens Davidi *I. Samuel. XIIX. 28. 29. 30. cap. XIX. 1. ſeqq. &c.* Conf *Dan. IV. 3. 4.* Adde *Gen. IV. 5. cap. XXVI. v. 14. 15.* & alia loca plurima.

Ibid.

Ibid. Amor fucatus, odium clandestinum aut invidiam tegens:) Exempla hoc vitium & flagitium illustrantia, sunt *Saulis*, Davidem è mediô sublaturi spe fallacis matrimonii *I. Samuel. XIIX. 17. seqq. Joabi*, Abnerum perfidè interficientis *II. Sam. III. v. 26. 27. Herodis, Matth. II. 7. 8. &c.*

Ibid. Amicitia non innixa fundamento honesto & Christiano:] Hæc amicitia inhonesta per modum excessus opponitur Charitati proximo debitæ. Tales amicitiæ inhonestæ sunt, quæ describuntur *Proverb. I. 10. seqq. Sap. II. 6. seqq. &c.* De hisce Amicitiis scribit *Esaias cap. V. 18. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Exempla hujus generis amicitiæ sunt Pilati & Herodis in causa contra Christum *Luc. XXIII. 12.* Jasonis collusio cum paganis *II. Macc. IV. 7. 8. seqq.* Conjugium Salamonis cum fœminis exoticis *I. Reg. XI. 1. 2. &c.* Pertinent huc amores incasti, conjurationes, & omnia prava sodalitia.

Ibid. Aut ad DEI gloriam non tendens:) Peccaminosa est societas humana quævis, quæ non initur hoc fine, ut DEI gloria promoveatur, etsi ipsa aliàs in se fortè non prava, sed indifferens videri posset. Ratio est, quia quicquid ultimum scopum extra DEUM sibi præfigit, illud idololatriam & defectionem à DEO sapit, imo per se importat.

Pag. ead. §. IV. Mandatum DEI:] Mandata DEI huc pertinentia non sunt unius generis. *Alia* enim præcipiunt officia charitatis Christianæ; *alia* interdicunt opposita §. præced. enumerata. *Illa* sunt *Levit. XIX. 18. Exodi XXIII. 4. 5. Proverb. XXV. 21. 22. Matth. V. 44. cap. VII. 12. Joh. XIII. 34. I. Joh. II. 7. 8. cap. III. v. 23 &c.* *Hæc* sunt, quæ prohibent (1.) *odium* ut *Proverb. III. 30. ad Tit. III. 2. I. Joh. II. 11.* &c. Hinc Odium inter opera carnis cum cædibus jungitur *Gal. V. 21.* (2.) *Invidiam Rom. XIII. 13. II. Corinth. XII 20. I. Petr. II. 1.* (3.) Ἐπιχαιρεκακίαν, contra quam locus illustris exstat *Proverb. XXIV. 17. 18.* (4.) *Amorem fucatum, I. Joh. III. 18. Psalm. LII. 5. 6. LV. 13. 14 &c.* (5.) *Amicitias carnales* & collusionem cum seculo interdicit Scriptura *I. Joh. II. 15. Jacob. IV. v. 4. &c.* (6.) *Proditiones, conjurationes* & similia flagitia prohibentur passim *Prov. XXIV. v. 21. 22. Sirac. VII. 7. 8. &c.* (7.) *Incasti amores* vetantur *Proverb. VII. 24. seqq. I. Corinth. VI. 15. 16. &c.* (8.) In genere *sodalitia prava* prohibentur *Prov. XXIV. 11. cap. I. 10. 15. &c.*

Ibid. Rationes amandi ipsum:] Vide quæ diximus ad § 1.

Ibid. Rationes specialiores:) Specialiores rationes, quæ diversos pariunt gradus amoris, sunt (1.) FRATERNITAS IN FIDE. Gradus hicce amoris appellatur Φιλαδελφία *Rom.*

Rom. XII. 10. II. Petr. I. 7. Quippe per fidei communionem sumus *unum corpus, unus spiritus,* uti habemus *unam spem vocationis, unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, unum DEUM & Patrem omnium Ephes. IV. 4 5. 6.* De speciali vinculo hoc dicit Paulus *Galat. VI. 10. operemur bonum, cùm erga omnes, cùm verò maximè erga domesticos fidei.* (2.) VINCULUM CONSANGVINITATIS AUT CONJUGII AUT AFFINITATIS. Gradus amoris hujus naturalis dicitur στοργὴ, à στέργω, quod est *naturæ instinctu diligere & amare.* Ipsum officium Φιλοστοργία audit. De hac speciali ratione amoris accipiendum est illud *Pauli I. Tim. V. 8.* ubi scribit, *fidem eos negasse & esse infidelibus deteriores, qui propriorum, maximè autem domesticorum curam non habeant.* (3.) MERITA ET BENEFICIA SINGULARIA, quibus sumus obstricti v.gr. Præceptoribus, Magistratibus, Pastoribus, Patronis & Evergetis nostris. Hæc beneficia etiam sentiunt, publicani & peccatores, eademque compensare laborant, docente Christo, *Matth. V. 46. 47.* multo magis ergo decet Christianos ille amoris gradus. Paulus de eodem scribit *Galat. VI. 6. Communicet, qui catechizatur sermone, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.* Conf. *Rom. XIII. 5. 6. 7. Sirac. III. v. 14. 15. &c.*

Ibid. Decor dilectionis proximi:) Ex charitate proximi agnoscuntur Chri-

ti discipuli *Joh. XIII. 35. I. Joh. III. 10. 11.* & assimilamur Salvatori nostro *Joh. XIII. 14. 15. I. Joh. III. 16.* & ipsi DEO *Matth. V. 45. seqq.* Imo *omnis, qui diligit, ex DEO natus est*, adeoque est DEI filius *I. Joh. IV. 7.*

Ibid. Præmia recte amantibus proximum parata:) Maxima hæc virtus Paulo *I. Corinth. XIII. 13.* judicata, sibi non modò est pulcherrima merces, sed eadem etiam maximè in hostes nostros, declarat nos DEI filios *Matth. V. 45.* & ejicit timorem *I. Joh. IV. v. 18.* nimirum *timorem servilem, qui fidei opponitur, & fiduciam bonæ conscientiæ evertit: qualis timor in omnibus illis est, qui sciunt, se charitatis opera negligere & studiis factisque nocere proximo*, monente B. D. *Hunnio* ad h. l. Quid? Opera Charitatis tanti facit Christus *Matth. XXV. v. 34. 35. seqq.* ut illorum se in judicio extremo gloriosam mentionem facturum polliceatur, & opera Charitatis proximo exhibita, velut in semet ipsum collata, declaraturum dicat. Conf. *Matth. X. 40. seq.* Speciatim huc pertinet illud Christi *Matth. V. 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Conf. *Proverb. XIX. 17. Galat. VI. 9.* Paulus *I. Timoth. VI. 18. 19.* ideo edocet beneficos *sibi ipsis bonum fundamentum inposterum recondere, ut apprehendant æternam vitam.* Etsi enim non mereamur his operibus vitam æternam, placuit tamen

men munificentiæ divinæ hoc pacto vitam fidei exercentibus, polliceri *abundè introitum in æternum regnum Domini nostri & Servatoris Jesu Christi. II. Petr. I. 11.*

Ibid. Ignominia & pœna eorum, &c.] Ignominia inde patet, quia non amare proximum est non amare DEUM *I. Joh. IV. 20.* est manere in morte *cap. III. 14.* adeoque unô verbô, est nihil aliud, quàm Satanæ esse mancipium, & ex patre diabolo esse. Paulus inter fructus reprobæ mentis excœcatorum Gentilium numerat, quod fuerint repleti versutiâ, malitiâ, invidiâ, cæde, quòd fuerint alieni à Charitatis affectu, nescii fœderis, immisericordes *Rom. I. 29. 31.* Porro pœnæ sunt istiusmodi flagitiorum partim *corporales*, partim *spirituales*, partim *æternæ*. Vid. *Psalm. CIX. 7. seqq. Matth. XXV. 46. Jac. II. 13. &c.*

Pag. ead. §. V. Ipsa DEI dilectio:) Videlicet amor Dei est radix & fons veri & sinceri amoris, quem proximo debemus. Conf. *I. Joh. IV. 16. 20. 21.*

Ibid. Consideratio multorum illorum pignorum amoris erga nos divini:] Pignora illa sunt, si generales classes velimus recensere (1.) beneficia Creationis & Conservationis, (2.) beneficia Redemtionis, (3.) beneficia Sanctificationis; quæ omnia & singula non possunt enumerari. Hæc benefi-

cia si probè expendantur, nos convincent, quòd nosmet ipsos debeamus DEO, sive quòd toti, quanti quanti sumus, simus DEI beneficium, secundum essentiam & exsistentiam, secundum animæ dona naturalia & supernaturalia, secundum corporis partes, artus & artificium admirandum, secundum omnia bona & dona externa &c. Imo non solùm omnia, quæcunque habemus, deprehendemus DEI beneficia esse, sed etiam beneficia non minus indebita, quàm in indignos collata. His meditationibus non obiter admoveamus mentem, sed nos quotidiè immergamus. Deinde cogitemus, quantula sint, quæ sustineamus proximo nostro præstare, *vel* condonando eidem, eumque nobis reconciliando, *vel* bona aliqua in ipsum indigum conferendo. Cogitemus porro DEI mandata, quorum intuitu illa proximo debemus, cogitemus naturalem æquitatem & similia. Porro cogitemus, porportionem nullam esse inter DEUM & nos; sed inter proximum & nos esse paritatem sanguinis, gratiæ, infirmitatis, indigentiæ mutuæ & indignitatis: unde nullus hominum tam miser est, quin possit nobis aliquid commodi præstare & sic de nobis bene mereri, cùm DEUS prorsus nihil à nobis exspectare possit, aut velit, quod ejus commoda & beatitatem promoveret. Pertinet ad medii hujus applicationem & usum feliciorem illa celebris parabola *Matth. XIIX. à v. 23. ad 35.*

Ibid

Ibid. Exempla ipsius Christi & sanctorum quorumvis :) De Christo res plana est, quod adeo nos dilexerit, ut vitam suam poneret pro nobis *Joh. X. 15. seqq.* Conf. *cap. XIII. 14. 15. XV. 13. I. Joh. III. 16. Rom. V. 8. &c.* De Abrahami exemplo vide *Genes. XIII. 8. 9. cap. XIV. 14. XIIX. 23. seqq.* De Mosis ardore legatur *Exodi caput XXXII. 32.* De Davide *I. Sam. XXIV. 7. 8. seqq. cap. XXVI. v. 9. seqq. &c.* Exempla primitivæ Ecclesiæ *Actor. IV. 34.* Tabeæ *cap. IX. 36.* & similium, notiora sunt, quàm ut debeant hic demum colligi & indicari.

Pag. 478. §. VI. Irreligiositas aut animi profanitas :] Qui enim nulla in DEUM religione tangitur, multò minus officia Charitatis exsolvet proximo, cum minus periculi habeat delinquere in proximum, quàm in DEUM, vel Eli agnoscente & monente contra filios suos *I. Sam. II. 25.*

Ibid. Philavtia inordinata :) Hæc enim quicquid sibi arrogat, vel aliis eripit, aut invidet, si nequeat eripere. Confer *Galat. V. v. 26. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem nos provocantes, invicem invidentes.* Dicuntur, qui Philavtia laborant; *φυσιωμενοι, inflati, I. Corinth. IV. 19. cap. V. 2. & alibi*, eò quòd referant vesicas, vanô ventô vel aëre intus turgidas, extus autem nullius rei patientes. Nihil

hil enim sibi imponi patiuntur; cum nulla re se patiuntur componi; imo ne quidem substratis vel suppositis rebus firmiter adhærent; ubique rigidæ & intractabiles; donec leve foramen vento intestino exitum paret.

Ibid. Quæ displicere poterant aut offendere, nimis curiosè spectentur:) Indoles perversorum hominum est, imo stultorum, (quorum omnia plena vulgò dicimus) proprium, aliena vitia cernere, obliviscì suorum. Hinc nos in vitium credula turba sumus. Hinc aliorum urgemus festucas, interim de trabibus nostris parum soliciti. Sed hâc stultitiâ non modò leges charitatis Christianæ solvimus, sed etiam vitam communem concutimus, mutuis convitiis, opprobriis, cædibus, imo etiam anathematismis difficiles & horribiles. *Epictetus* in Enchir. cap. LXV. vocat hanc *ansam intolerabilem*, quâ nihil sit ab homine sanô prehendendum.

Ibid. Si morem seculi & exempla sectemur:) Mos, trium literarum tyrannus, multa mala imperat. Hinc qui etiam in officiis Charitatis eunt, quà itur, pessimè sibi consulunt, & in avia seducuntur horrida, non tàm officiorum debita, quàm defectuum omnes numeros explentes, maximè his ultimis temporibus, quibus fides deliquia patitur, & Charitas animam agit, imò intermortua penè est.

Pag.

Pag. ead. §. VII. Si turpitudinem & noxam irreligiositatis animo reputemus :) Conf. B. Auctorem *partis hujus III. cap. VII. sect. I. §. III. Notâ (m) pag. 177.* item *sect. II. §. II. pag. 291. 292. & §. III. Notâ (e) pag. 295.*

Ibid. Si nos non nobis solum natos esse cogitemus :) Remedium hoc opponitur Philavtiæ : id quod egregiè illustrat Paulus similitudine à mutuâ membrorum in corpore indigentiâ petita *I. Corinth. XII. 14. seqq.*

Ibid. Si abnegationis nostri & mortificationis &c.] Scilicet contraria contrariis sunt curanda, Philavtia abnegatione nostri, fastus carnis mortificatione. Hæc abnegatio fit scrutiniô sedulô nostrorum defectuum, eorumque consideratione haud perfunctoriâ. Confer quæ diximus de hoc officio, ad capitis IX, sect. I. §. II. & VIII.

Ibid. Non tàm illa, quæ offendunt &c.] *Epictetus capite citato LXV.* ait: *Unaquæque res duas habet ansas: unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Ergo, si frater injuriam fecerit, non ea prehende, quâ facit injuriam: ea enim ejus ansa non est tolerabilis. Sed illinc potius: esse fratrem, esse unà educatum. Sic prehendes rem, qua est tolerabilis.*

Ibid.

Ibid. Simul etiam noſtros defectus conſideremus :) Confer Chriſti monitum *Luc. VI. 41. 42.* item Pauli præceptum *Gal. VI. 4.*

Ibid. Non tàm ſecuri imitatores, quàm accurati judices aut cenſores :) Ne ſiniſtrâ arripiatur, quod dextrâ datum erat, & bonis verbis pravus affingatur ſenſus, ſciendum eſt, in hoc conſilio theologico obſervari cumprimis debere voces, *ſecuri*, *accurati*. *Securi* ſunt *imitatores*, qui ſine cura agunt, quod agitur, eunt, quà itur, & alieno vitio ſuam committunt ſalutem. *Accurati* ſunt *cenſores*, non qui aliorum vitiis ita involant, iisque innutriuntur, ut pediculi ſcabiei, ac non ſuarum, ſed alienarum rerum ſatagunt, quò habeant, quod traducant & cavillentur : Sed illi demum dicuntur B. Auctori noſtro accurati judices aut cenſores, qui in praxi Chriſtianâ, citra aliorum exagitationes, nulla exempla imitantur, niſi de quibus accuratè ex verbo divino didicerunt, quòd illa congruant cum verbi divini regula.

AD

AD

CAP. X.

SECT. II.

De

OFFICIO HOMINIS RENATI CIRCA ANIMAM PROXIMI.

Pag. 478. §. I.

Dilectio proximi in dilectione nostri fundatur :] Licebit ergo ex præcedentibus huc nullô negotiô κατ' ἀναλογίαν applicare, quæ de officiis Proximo debitis tenenda sunt.

Pag. 479. §. II. Bona animæ naturalia :) Huc repete quæ dicta sunt ad cap. IX. sect. I. §. II.

Ibid. Defectibus expletis aut correctis :) Vide quæ diximus loc. cit.

Ibid. Informatio in scientiis artibusque :) Pertinent huc generaliter omnia genera habituum, qui honesti sunt, & mentem humanam ornant ac perficiunt, simulque vitam humanam juvant; sive sint liberales, ut Scientiæ, Disciplinæ, artes &c. sive illiberales, ut opificia, res rustica &c.

Ibid

Ibid. Pro capacitate proximi:) Non enim ex quolibet ligno fit mercurius, nec nostræ potestatis est, ex quolibet homine facere quidlibet. Prudentiæ ergo Christianæ est, proximum ad illas scientias, artes, vel vitæ genera, (si quidem nostræ opis fuerit) perducere, quæ ipsius indoli & donis naturalibus quàm maximè conveniunt. Quod si non sustinemus proximo præfigere vitæ genus, faciamus, quod possumus, & quicquid fert ejus capacitas in eo vitæ genere, quod ipse sibi delegit, & in quo eidem auxilio esse valemus.

Ibid. Pro nostris viribus:) Non omnia possumus omnes: Ergo nec omnes possumus omnia docere. Faciamus tamen quod possumus, omni conatu & omnibus viribus nostris, nec patiamur quicquam, quod in nobis est, desiderari.

Ibid. Pro occasione:] Est aliquando proximo capacitas, nec desunt nobis docendi seu informandi vires: Deest autem nobis occasio, locus, tempus, instrumenta necessaria &c. Hinc deficiente occasione, deficit quoque obligatio ad informationem, quæ nunc demum valet, quando occasio adest.

Ibid. Instructio, svasiones, et monita in studio virtutum humanarum:) Virtutes humanæ sunt, quæ non modò

modò in Scholis Ethicorum edocentur, sed quæ in vita humana & communi vigere debent. Tales sunt, *Justitia*, *temperantia*, *castitas*, *fortitudo*, *humilitas*, *liberalitas*, *sedulitas*, *veracitas &c.* In his instrui potest proximus, vel literâ & scriptis, vel viva voce, vel exemplo nostro, pro ratione nostri officii, status, talenti, ætatis &c.

Ibid. Bonum exemplum proximo præbendum:) Est bonum exemplum species instructionis, & quidem non infimæ classis. Uti enim nihil rectè sine exemplo docetur & discitur; ita nihil rectius doceri aut disci potest, quàm vivo docentium exemplo. Hinc *Epictetus Enchir. cap. LXIX.* vult, ut ne tàm præcepta ostendamus imperitis, quàm opera, quæ præceptorum concoctionem sequuntur. De *Bono Exemplo* agit ex professò B. *Dürrius* in Theol. Moral. p. 155. seqq.

Ibid. Correptio fraterna:) De hac vide B. *Dürrium cit. loc pag. 152. 153.* ubi plura tàm de personis corripientibus, quàm corripiendis, itemque de ordine correptionis ipsius, ejusque modo annotavit. Huc pertinent dicta *Psalm. CXLI. 5. Prov. XXVII. 6.*

Pag. ead. §. III. Invidia, qua quis bona animæ naturalia proximi prosequitur:) Ut si quis odio & invidia prosequatur proximi ingenium, eruditionem,

virtutem &c. Quod quidem sæpissimè usu venit, secundum tritum illud, *virtus invidiam habet comitem.*

Ibid. ΕΠΙΧΑΙΡΕΚΑΚΙΑ super defectibus talium bonorum :] Ut, si quis gaudeat de proximi stupore, delictis, inertia, &c.

Ibid. Studium impediendi acquisitionem & incrementa illorum :) Ita delinquunt, qui Scholas & bonarum artium officinas diruunt, occludunt, vel præceptores habiles abigunt. Hoc nomine famosus erat olim *Julianus Apostata*, qui inter alia, vetuit Scriptores gentiles in Scholis, Christianorum pueris enarrari.

Ibid. Denegatio operæ ad illa acquirenda :) Maximè si quis ratione officii teneatur, ut in certo genere disciplinarum, artium, opificiorumque aliis informandis operam suam commodet. Conf. *Part. Spec. cap. I. sect. VI. §. II. pag. 522 523.* ubi de officio Præceptorum, horumque lapsibus ac vitiis ex instituto agitur. Unde quæ huc faciunt, peti & facilè commodari poterunt.

Pag. 480, §. eod. Præbeatur autem scandalum :] De Scandalo ex professo agit *B. Dürrius cit. loc. pag. 156. seqq.* Vulgò distingvunt inter Scandalum datum & acceptum. Illud, quod Datum item Activum dicitur, propriè

priè huc pertinet, & solùm absolutè & πρώτως Scandalum appellari solet.

Ibid. Omissio correptionis fraternæ, quæ & quando præberi poterat & debebat :) Quæ & quando adhiberi debeat correptio, circumstantiæ demum determinant. Sunt autem illæ ætas, officium, tempus, locus, &c.

Ibid. Si laudentur male patrata :) *Pejor peccante, qui peccatum laudat*, scribit ex Chrysostomo, *B. Dürrius pag. 155. cit. loc.* Conf. Pauli verbum *Rom. I. 32.*

Ibid. Correptio intempestiva :] Intempestiva correptio est, quæ fit vel non in loco, vel in tempore, vel non ab eo, cui competebat hoc officium &c.

Ibid. Cum zelo inconveniente :) Si nimirum excedatur modus, vel non observentur gradus admonitionis, quos Christus præscripsit *Matth. XIIX. 15. 16. 17.*

Ibid. Non tàm ad corrigendum, quàm turbandum aut exacerbandum proximum :) Sic delinquitur ratione finis. Nec enim ædificatio intenditur, ubi ut ægrè fiat proximo, difficilem bilem exoneramus in os ejus.

Ibid. Non ad DEI gloriam proximique veram salutem :] Tales sunt,

qui mercedem potius intendunt, quàm vel profectus proximi, vel gloriam DEI; item, qui honores, famam, & similia vana sibi finis loco in hujus officii præstatione præfigunt.

Pag: ead. §. IV. Auctoritas DEI præceptiva:) Sic Christus ait *Matth. XIIX. 15. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum*... Conf. *Galat. VI. 1. Matth. V. 16. &c.* Generaliter constat quoad officia huc pertinentia de mandato divino, ex injuncta nobis dilectione proximi, in qua omnia hæc officiorum genera includuntur, eorumque interdicuntur opposita.

Ibid. Bonorum animæ naturalis habitudo:) Secundum illud tritum: Omne bonum est communicativum sui.

Ibid. Officii hujus pulchritudo:) Nulla re magis nos commendare possumus & solidas mereri gratias, quàm si plures instruxerimus in variis bonis artibus & habitibus honestis. Parentum instar habentur præceptores, eò quòd mentem forment & veluti enutriant.

Ibid. Utilitas respectu nostri & boni publici:] *Utilitas*, quæ *in nos* alios instruentes redundat, vel inde patet, quod bona temporalia non modò sæpius inde in nos redundent, v. gr. bona fama, media sustentatio-

tationis honestæ &c. sed etiam spiritualia, v. gr. bona conscientia, in ærumnis refrigerium &c. Imo, si ex fide & nostræ vocationis Christianæ præscripto instructiones illæ profectæ fuerint, etiam bona æterna. Nam DEUS nec horum beneficiorum immemor erit, qui ne haustum frigidæ quidem aquæ oblivioni dabit, vel citra compensationem dimittet. *Utilitas respectu boni publici* non mediocris est; siquidem ita bono publico, in statu Ecclesiastico, Politico & Oeconomico, vel subministramus bene præparata subjecta & idoneos ministros, antistites, patronos &c. vel saltem symbolum conferimus nostram ad hanc virorum & hominum idoneorum formationem & præparationem. Hinc Scholæ Statuum hierarchicorum seminaria, & discipuli nostri spes patriæ vulgò salutantur.

Ibid. Oppositorum turpitudo & damna varia atque gravia :) *Turpitudo* est, *vel* nolle utilia membra bono publico parare, *vel* nolle servare, quem tuâ poteras admonitione è faucibus eripere inferni. Quo enim minoris constat nobis bonum ingens, proximo vel etiam bono publico præstandum, eò turpius deficimus, quando proximo vel bono publico desumus. *Damna* varia sunt in famæ amissione, itemque in bonorum fortunæ alio-

rum jactură. Accedit mala conscientia, & tandem abjectio in tenebras exteriores, *Matth. XXV. 30.*

Pag. 480. §. V. Quæ ad cultum DEI directe pertinent:) De cultu Dei interno & externo actum est prolixè *cap. VII. & IIX.* Habent media ad cultum DEI pertinentia rationem medii ad hæc officia, proximo, ratione animæ, præstanda; quia, dum disponimus animum nostrum ad amandum & cognoscendum DEUM, hoc ipso accendimur ad simile lumen accendendum in mente proximi.

Ibid. Studium charitatis proximi generalem:) De quo sectione præcedente.

Ibid. Meditatio triti illius: quod tibi vis fieri, alteri feceris:) Aristoteles naturâ edoctus dixit: *πάντας ἀνθρώπους τοῦ εἰδέναι ὀρέγεσθαι φύσει*, *Omnes homines natura avidos esse scientiæ*, initiò Metaphysicorum. Cùm ergo cupiamus naturâ proficere, & promoveri in scientiis; ne denegemus proximo, quod naturali æquitate expetimus nobis.

Ibid. Exempla Sanctorum:) Patriarchæ creduntur longævitate donati, ut posteros in disciplinis & artibus noviter detectis instituerent. De reliquo Daniel præceptor erat Sapientiæ inter Chaldæos, *Dan. II. 48.* Moses

ses instituebatur in omni sapientia Ægyptiorum *Actor. VII. 22.* Salomon de rebus physicis scripsit *I. Reg. IV. 33.* & instruxit populum *Ecclesiast. XII. 9. 10. &c.*

Ibid. Verum etiam à specie mali :) Sic Christus noluit negare tributum; ne quos offenderet *Matth. XVII. 27.* Et Paulus expressè scribit : *ab omni specie mala abstinete I. Thess. V. 22.* Conf. *Rom, XIV. 15.* Qui itaque in eô laborat, ut ne specie & suspicione temerè quem offendat, multo minus offendet malo exemplo.

Pag. ead. §. VI. Philautia inordinata :) Ex hac oriuntur occultationes inventorum præstantiorum; manuductio parum fidelis; jactatio vana &c.

Ibid. Præjudicia de donis animi sua raritate se commendantibus :) Talia sunt eorum, qui vel occultationibus raritatem procurandam esse autumant, vel quæ rara putant, mirum in modum jactant, & magni aliis obtrudunt, si quis informationem in iis petierit &c.

Pag. 481. Exempla eorum &c.) Horum magna seges in omni vita. Hinc Christus exclamat *Matth. XIIX. 7. Væ mundo ab offendiculis.* Invidorum magistrorum, insulsorum, impiorum & similium major subinde proventus est, quàm fidelium, piorum, facilium &c.

Ibid. Si quis occulte se peccare posse putet:) Hoc consilium fuerat Davidis *II. Samuel. XI.* Saulis *I. Samuel. XV. v. 30.*

Ibid. Si proximum teneriore amore, velut delicatuli, prosequamur:) Talis amor insanus viget sæpius inter Conjuges, exemplo protoplastorum *Genes. III. v. 6. 17.* Parentes & filios, exemplo Eli sacerdotis *I. Sam. II. 2.*

Pag. cad. §. VII. Quæ ΦΙΛΑΥΤΙΑΣ inordinatæ turpitudinem & damnum monstrant:) Turpitudo intelligitur æque ac damnum *Φιλαυτίας* inordinatæ; tàm ex causis ejusdem, quæ sunt error & ignorantia, stoliditas, malitia &c. quàm ex effectis, quæ sunt odium, invidia, æmulatio, infamia, contemtus &c.

Ibid. Non tàm raritate, quam usu:] Quod rarum carum est, proverbio quidem dicimus: sed hoc magis præjudicium nostrum indicamus, quàm rem laudandum. Sani aliter judicant. Hi æstimant res quaslibet non ex vulgi opinione sterili, sed ex finibus honestis, genuinis, & proportione ad DEI gloriam, proximi ædificationem, boni publici commoda, salutem æternam, solatia vitæ hujus &c.

Ibid.

Ibid. Exemplorum in oppositis officii hujus pravitatem & noxam ostendunt:) *Pravitas* exemplorum ostendetur, si hæc conferantur cum præceptis divinis, quæ officia illa nobis injungunt; adde æquitatem naturalem, quæ eadem exigit officia. *Noxam* edocent partim historiæ, partim experientia & eventus quotidiani, partim comminationes divinæ.

Ibid. Peccata, quantumcunque clam facta:) Confer (1.) exempla varia, quæ edocent res arcanas fuisse protractas in lucem publicam, v. gr. Homicidium à Caino dissimulatum *Genes. IV. 9. 10. seqq.* furtum Achanis *Jos. VII. 18. seqq.* Adulterium Davidis *II. Samuel. XII. &c.* (2.) Comminationes divinas, quæ etiam arcana revelatum iri graviter asseverant *Eccles. XII. ult. cap. X. 20. &c.* (3.) Omnipræsentiam divinam expende, de qua *Jerem. XIII. 24.* legi meretur. (4.) Pertinet huc conscientiæ infallibilitas & incorruptibilitas. Miserum hominem rectè dicunt eum, qui hunc testem contemnit.

Ibid. Proximum blandiendo corrumpi:) Hoc probant (1.) Exempla quotidiana. Ex antiquis rectè huc referimus funestum exitium filiorum Eli *I. Samuel. IV.* item Judæorum *Thren. II. 14. &c.* (2.) Testimonia sacra *Prov. XXIII. 13. 14. cap. XXIIX. 23.*

Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Item *cap. XIII. 24. Qui parcit virgæ, odit filium suum &c.* (3.) Ratio naturalis. Qui enim vulnera animæ atque mentis morbos non indicant & curant, sed dissimulant & tegunt, similes sunt imperitis Chirurgis, qui malunt vulnera dissimulare, quàm obligare, vel (ne dolorem excitent) cruda obligare, quàm mundare & decenter tractare.

AD CAPITIS X.

SECT. III.

DE OFFICIO HOMINIS RENATI CIRCA PROXIMI BONA ANIMÆ SUPERNATURALIA.

Pag. 481.

CIrca proximi bona animæ supernaturalia:) B. *Dürrius* in Theol. Morali per plura capita huc retulit officia sequentia: (1.) Correptionem Fraternam (2.) Communionem & pacem Ecclesiasticam (3.) To-

(3.) Tolerantiam fraternam (4.) Precationem pro aliis.

Pag. 482. §. I. Vel ad fidem salutarem perducatur:) Paulus adeo in hoc studio excelluit, ut *Rom. IX. 3.* scribat: *Optarim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Et *I. Corinth. IX. 19.* dicit: *Omnibus me ipsum servum feci, quò plures lucrifaciam.* Carent fide salutari, & adeo ad hanc perducendi sunt infideles, Hæretici, Hypocritæ. Illis fides omnino deest; istis fides pura, his fides viva.

Ibid. Lapsus autem aut infirmus, condolentibus nobis, restituatur:) Secundum illud Pauli *Galat. VI. 1. Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instaurate hujusmodi, spiritu mansvetudinis.* Item *Rom. XIV. 1. Eum qui infirmatur in fide, assumite.* Conf. *I. Thess. V. 14. Sublevate infirmos.*

Ibid. Unde etiam hic informatione, consilio &c. opus esse:) Pro cujusque officio, mensura fidei, tempore, locô, & reliquis circumstantiis. Nec enim etiam hic omnia omnes possunt, vel rectè tendant, sed dispiciendum est sedulò, quid conveniat nobis, quid proximo, quid locus, quid tempus ferat; ne ex nostra imprudentia loco ædificationis sequatur scandalum.

Pag.

Pag. ead. §. II. Cum his, qui informatione in doctrina fidei aut morum &c. opus habent, hæc denegantur :] Exemplo Jonæ, qui noluit suo ministerio succurrere Ninivitis, sed fugiebat, justam autem pœnam dans fugæ *Jon. I. 3. 10. 12.*

Ibid. Cum media notitiam fidei & profectus acquirendi subducuntur :) Ut cùm ministerium verbi ejicitur ex terris; catechisationes vel omittuntur, vel contemnuntur &c. De reliquo media huc facientia recensuit B. Auctor superius *cap. VII. sect. I. §. IV. pag. 278.* item *sect. III. §. IV. pag. 306.* unde plura huc repeti possunt. Delinquitur itaque in officia proximo quoad bonæ animæ supernaturalia, debita, quando illa media cit. loc. recensita intercipiuntur, sufflaminantur, evertuntur.

Ibid. Cum falsa doctrina illis instillatur :) Prout faciunt illi, quos damnat Paulus *Galat. II. 4. V. 7. seqq. II. Tim. II. 17. cap. III. 6. &c.* Tales sunt omnes Pseudo-Doctores, falsi Apostoli, falsi Christi, *qui diversam sequuntur doctrinam & non accedunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi*, ut Paulus loquitur *I. Tim. VI. 3.*

Ibid. Periculo seductionis Pseudo-Doctorum exponuntur :) Hoc vitio

tiô sese contaminant non modò Magistratus, qui falsas religiones introducunt, sed etiam ii Parentes, vel Heri, qui suos filios vel servos lucri causâ, vel aliis ex rationibus, immiscent cœtibus seductis, nec prius solidè instruunt in sana doctrina.

Ibid. Cum tentatis & anxiis solatium & fulcra spei denegantur :) Sic deficiunt *Reformati*, quando per sua de Gratia particulari dogmata impediunt fidei discursum. Quod si enim promissiones de Gratia DEI non sunt universales, nec ad omnes homines pertinent ; nemo hominum poterit tutò ad se descendere . & subsumere : Ego sum homo ; Ergo gratia DEI etiam ad me pertinet. Similiter tollunt *Pontificii* solatium solidum, quatenus contra justitiam fidei suorum operum justitiam erigunt. Rei sunt quoque peccati contra hæc officia charitatis proximo debita, qui in casibus specialioribus ita lege in excessu urgent conscientias, ut Evangelii nihil admisceant, adeoque ad desperationem potius, quàm ad seriam & ex filiali spiritu pendentem contritionem, tendant. Referri huc potest illud Pauli *II. Corinth II. 6. 7 seqq.*

Ibid. Cum caritatis incentiva aut directiva, aut exempla aliis non communicantur :) Incentiva & directiva Caritatis intelliguntur ex hujus *capitis*

tis X. sectione I. §. IV. V. pag. 477. & iis, quæ diximus, ad loc. cit. Exempla non tàm hìc intelliguntur aliena, quàm bona exempla, quæ nos ipsi, in proximi ædificationem operamur: de quibus diximus ad sectionis præcedentis §. II.

Ibid. Lapsi in viam non reducuntur:) Qui non conservat, cùm possit, occidit. Quantum ergo in nobis est, succurramus lapsis, condescendamus illorum captui, & videamus, quomodo illos possimus lucrifacere. Cæterum si quid ex nostra parte defecerit, moraliter evadimus causa damnationis alienæ.

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI de ædificatione mutua:) Talia mandata extant, *Matth. XIIX. 15. 16. 17. Galat. VI. 1. I. Thess. V. 14. I. Joh. V. 16. Ebr. X. 24.* præcipuè *Rom. XIV. XV. &c.*

Ibid. Officii hujus decor, tanquam ad spirituale sacerdotium pertinentis:) De hoc sacerdotio vide B. Auctorem superius *Part. I. cap. I. §. VII. pag. 38.* Refertur hoc officium ad sacerdotium illud spirituale, in quantum sic animas lucramur DEO, juxta illud *Jacobi V. ult. Sciat, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvam fecerit animam à morte: & operiet multitudinem peccatorum*

Ibid. Utilitas quoad præmia exhibentibus parata;) Huc pertinet illud

lud illustre *Daniel. XII. 3. Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti : & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Conf. *Psalm. XXCIV. Benedictionem dabit legislator*; vel, ut in fontibus legimus: גם ברכות יעטה מורה, *Etiam benedictionibus operietur Doctor*; quanquam ab aliis hæc verba aliter reddantur.

Ibid. Quoad salutem in societatem Christianam publicam redundaturam :) Uti salus populi in Republ. Politicis suprema lex est; ita in Republ. Christianâ Ædificatio culmen est, ad quam omnia sunt revocanda. Nullum ergo commodum majus in Ecclesia datur, quàm si animæ Christo lucrifiant & in bono confirmentur.

Pag. 483. §. eod. Oppositorum reatus, culpa & pœnæ:) Reatus maximus est, neglexisse illum, qui poterat servari, & noluisse tanto bono procurando. quale est salus proximi & ædificatio Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, commodare auxiliares manus. Qui adeo sunt immisericordes, judicium absque misericordia olim sustinebunt, *Jac. II. 13.* Christus *Matth. XIIX. 6. 7.* ait: *Qui offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur molâ asinariâ in collum ejus, ac demergatur in profundum maris. Væ mundo ab offendiculis. Neces-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0219
DFG

cesse est enim ut veniant offendicula: veruntamen væ homini, per quem offendiculum venit.

Pag ead. §. IV. Virtutes ad cultum DEI pertinentes:) Vide quæ diximus ad sect. præced. §. V.

Ibid. Exempla Christi & Sanctorum in his optime occupatorum:) Christi exemplum in hoc negotio urget Scriptura passim v. g. *Roman. XV. 3. ad Philipp. II. 4. 5. Joh. XIII. 12. 13. seqq.* Paulus ideo scribit *Galat. VI. 2. Invicem alii aliorum onera portate, & sic implete Legem Christi.* Præcipuè Christus omnes humanissimè ad se allicit *Matth. XI. 28.* conf. *cap. XXIII. 37.* Apostolorum exemplum vide *Actor. IV. v. 19. 20. cap. V. 41. 42. cap. VI. 2. 3. 4. I. Corinth. IV. 9 seqq,* præcipuè Pauli *II. Corinth. XI. XII.* conf. *I. Cor. IX. 19. seqq.*

Ibid. Si cogitemus hac ratione nos quàm maxime posse prodesse proximo:) Omnia alia, in quibus proximo utiles sumus, caduca sunt: sola bona animi supernaturalia æterna sunt, & verè proximum beatum reddunt. Quid? qui ita inserviunt proximo, *& se salvant, & eos, qui audiunt ipsos I. Tim. IV. 16.*

Pag. ead. §. V. Profanitas animi propria:) Qui enim malus est, quomodo poterit alios edocere bonos mores? Pertinet huc

huc illud Christi: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali? siquidem ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo è bono thesauro cordis depromit bona: & malus homo è malo thesauro cordis depromit mala. Matth. XII 34. 35.*

Ibid. Curam salutis animæ proximi solis Ecclesiæ ministris competere:) Etsi enim non negetur, quòd Ecclesiæ ministris speciatim incumbat cura animarum demandatarum; non tamen ideo excluditur planè cura, quam unus Christianus alteri etiam in conversatione privata debet. Sunt interim multi, qui non satis dignitatem sacerdotii spiritualis nostri expendentes, turpiter & huic suo officio & ædificationi, quam proximo debent, desunt.

Ibid. Exempla prava eorum, qui opposito modo agunt:) Etiam in hoc vitiorum genere uva conspecta ab uvâ livorem trahit: & quo pronior est nostra natura ad opposita Spiritualium Bonorum, eò frequentius hic itur, quâ itur, non quà eundem est.

Pag. ead §. VI. Quæ à studio vanitatis aut profanitate animos abstrahunt:) Talia sunt Meditatio Novissimorum, itemque ipsius vanitatis, quâ res seculi hujus laborant, Tractatio attenta Scripturæ sacræ, conversatio cum piis & religiosis &c.

Ibid. Opera, quæ & quatenus sun Ecclesiæ ministris propria, & quæ & quousque sunt communia fidelibus :) De operibus Ecclesiæ ministris propriis videri poterunt illa, quæ in *parte Speciali cap. I. sect. III. pag. 505. seqq.* partim ab ipso auctore beato dicuntur, partim à nobis, volente DEO monebuntur. Opera autem quæ omnes decent Christianos, sunt bonum exemplum, Correptio fraterna, intercessio apud DEUM &c.

Ibid. Ipsa agendorum regula :] Regula agendorum h. l. est præceptorum divinorum, æque ac Charitatis Christianæ dictamen.

Ibid. Exempla sancta :) De quibus paulo ante ad §. IV. dictum fuit.

AD

CAP. X.

SECT. IV.

De

OFFICIO HOMINIS CHRISTIANI CIRCA CORPVS PROXIMI.

Pag. 484. §. I.

Vitæ & sanitati ac vigori ejus, quantum in se est, consulat :) Con-

Consulitur sanitati & vitæ & vigori proximi variis modis. Uti Diæta & oratio optima medicina vulgò dicuntur; sic Christianus non habet præstantius medicamentum quo etiam vitæ & sanitati proximi consulat quàm preces. Huic succedunt nostra, (si qua nobis suppetunt) consilia & subsidia domestica & medica, quibus vitam, sanitatem, vigorem, proximo conservare, ex ordine naturali sustinemus. Faciunt huc *victus & amictus* egentibus subministrati, exemplo *Jobi cap. XXXI. 16. seqq.* Ita huc rectè referuntur *medicamenta*, tàm domestica, quæ vocant, quàm quæ in officinis pharmacevticis parantur, itemque *Consilia medica*, sive nostrâ nitantur arte, sive saltem nostrâ experientiâ &c. Porro huc pertinent *ministeria ægrotantibus* cum cura *præstita*, item *defensio* ab invasoribus violentis, vel à periculis aliis, mortem violentam minantibus &c.

Pag. ead. §. II. Omissio hujus studii:) Qui non conservat, cùm possit, occidit. Moraliter ergo homicidii reus est, qui officio, quod Proximo in conservatione vitæ, sanitatis, & vigoris, debet, deest. Confer quæ passim tradunt Moralistæ in explicatione quinti præcepti.

Ibid. Homicidium:) Homicidium, si sumatur vi vocis, est, quando homo occiditur. Propriè accipitur de opere externo, quo homini eripitur vita hæc temporalis, sive fiat mediatè,

sive immediatè, sive vi, sive fraude &c. Pluribus de Homicidio agit *B. Dürrius* in *Theol. Moral.* cit. loc. *pag; 184 seqq.* ubi rectè observat, quòd, cùm aliud homicidium sit *voluntarium*, aliud *casuale*; hic loci agatur non nisi de voluntario. Adde *B. D. Ostiandr. Theol. Moral. Part. Special. in Explicatione V. Præcepti, pag. 55. B. Horneium* in *Comp. Theol. libr III cap. V. §. XVII. p. 707.* qui tamen §. *XII seqq pag. 706. 707.* quinque casus exceptos enumerat, in quibus liceat occidere impune: in quorum ventilationem nolimus digredi.

Ibid. Læsio aut mutilatio corporis proximi extra casum mortis:) Ut si quis vel *organa sensoria*, oculos, aures &c. vel *artus* lædat, perdat, mutilet; vel per plagas inflictas corpus proximi offendat. Talis læsio & mutilatio dicitur *occisio inchoata & imperfecta* apud B. *Dürrium* loc. cit. p. 185. Huc pertinet lex divina *Exodi XXI. 18 19.* Sed nec alia læsione h. l. agitur, quàm quæ voluntaria est, & extra casum inculpatæ tutelæ perpetratur, & privato ausu, non autem publicâ fit auctoritate secundum ordinem juris. Huc referuntur meritò *Duella*, quæ sunt Homicidia, inchoata saltem, nisi reapse in Homicidium, quod sæpius fit, degenerent. Plura de his disputat B. *Dürrius in Theol. Moral pag 186. ad pag. 190.* & in Notis posthumis *pag. 59. 60.* Ad peccata contra hoc præ-

præceptum rectè quoque refertur *procuratio Abortus*, de qua B. *Dürrius loc. cit. pag. 191. &c.*

Ibid. Modum proximo quoquo modo conciliat :) Ut si quis laboribus, vigiliis, subtractione victus commodi, aut necessarii, exacerbatione frivola, medicamentis temerariis vel corruptis, afflictionibus & ærumnis proximo procuratis &c. efficiat, ut proximus in morbum incidat, vel ejus vigor decrescat, aut mala temperies jam præsens augeatur & intendatur.

Ibid. Conatus & intentio quælibet talium, etiamsi actus externus non perpetretur aut perficiatur :) Huc itaque pertinent Homicidia deliberata & animo agitata, etsi non actu ipso fiant. Theologi species peccatorum huc pertinentium distribuunt in Homicidia, quæ fiunt *gestibus vel lingua*; & in Homicidia, quæ fiunt *affectu & corde*. Homicidia *prioris generis* sunt, si cui, cum Cainô, concidat ex iracundia vultus *Gen. IV. 6.* item comminationes cædis & conjurationes *Actor. XXIII. 12. 13.* Imprecationes, quas prohibet Paulus *Rom. XII. 14.* Dicta acerba & contumeliosa, Judicia sinistra & condemnationes &c. vide *Psalm. LVII. 5. Prov. XXVI. 22.* Homicidia *generis posterioris* sunt, non modò Homicidia animo agitata, sed & ira, odium, invidia, vindictæ cupiditas. Conf. *I. Joh. III. 15. Matth. V.*

v. 21, 22. &c. Plura pete ex B. *Osiandr.* cit. loc. *p. 56. 57.*

Pag. ead. §. III. Præceptum DEI, quoad cavenda oppoſita :) Homicidium interdicitur à DEO expreſsè in *præcepto quinto Decalogi*, quod ita explicat Chriſtus *Matth. V. 22.* ut etiam Homicidium cordis & oris interdictum eſſe demonſtret. Conf. *Pſalm. LII. 7. Prov. XVII. 14. 19. cap. XXIV. 11. Matth. VII. 1. Galat. V. 20. 21. Eph. IV. 31. &c.*

Ibid. Quoad præſtandam poſitive operam :) *Hoſeæ VI. 6. Prov. XXV. 21. 22. Eſaiæ LIV. 7. Ezechiel. XLIX. 7. 16. Matth. XXV. 35. Rom. XII. 20. 21. Jac. II. 15. 16. Ebr. XIII. 2. 3. 16. I. Joh. III. 16. 17. Luc. X. 34. 35. 37. &c.*

Ibid. Dignitas hujus officii ex conſideratione ipſius corporis proximi:) Non ſolùm eſt Machina artificioſiſſima corpus humanum, cujus ſtupendam fabricam curare poſſe, non infima gloria eſt; ſed etiam porro idem corpus refert ſuo modo creatoris imaginem *Geneſ. IX. 6.* eſt Spiritus Sancti templum *I. Corinth. VI. 19.* imo corpora Chriſtianorum ſunt membra Chriſti, *I. Corinth. VI. 15.* Porro, DEUM referunt, qui Proximo egeno ſuccurrunt, & perituros conſervant, *Matth. V. 45. I. Joh. III. 16.* Imo pervenit ad Chriſtum, quicquid largiris egeno, ut ipſe docet *Matth. XXV. v. 40.*

v. 40. & nonnulli meruerunt per has virtutes hospitio excipere angelos, *Ebr. XIII. 2.*

Ibid. Præmia rectè agentibus parata:) Beati sunt, qui Misericordia, Pacis studio, lenitate eminent, *Matth. V. 5. 7. 9. Esaiæ XXXIII. 16. 17. Psalm. CXII. 5. 6. Matth. X. 42.* Plurima loca huc facientia collegit B. D. *Osiander cit. loc. p. 61. 62.*

Ibid. Pravitas & pœnæ oppositorum:] Vid. *Psalm. LII.* per totum *Matth. VI. 25. cap. XIIX. 28. 29. 30. seqq. I. Joh. III. 14. 15. &c.* Plura huc pertinentia leguntur apud *B. D. Osiander cit. loc. p. 56. 57. & seqq.*

Pag. 485. §. IV. Quæ ad caritatem DEI & proximi spectant:) De charitate DEI vide superius cap. VII sect. IV. De charitate proximi, egimus in capitis hujus X. sectione I.

Ibid. Exempla Sanctorum:) Illustre est exemplum *Jobi cap. XXXI. 16. 17. 18. Abrahami Gen. XIV. 14. seqq. Samaritæ Luc. X. 34. seqq.* & infinitorum aliorum. Quid? ipsius Christi, de quo legimus *Actor. X. 38. quòd obambularit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo*; unde etiam vocatur *Medicus*, *Matth. IX. 12. Marc. II. 17. Luc. IV. 23.* Conf. *Exod. XV. 26.* Præcipuè autem amor DEI est glorioſus, dum dedit pro nobis filium *Rom. V. 8. cap. VIII. 32. I. Joh. IV. 10. &c.*

Ibid. Si cogitemus, nos aut nostros

ſtros in ſimiles caſus indigentiæ facile delabi poſſe :) Cuique contingere poteſt, quod cuiquam. Hinc Paulus ſcribit *Ebr. XII. 3. Memores eſtote vinctorum, tanquam unà cum illis vincti, eorum qui affliguntur, veluti ipſi quoque verſantes in corpore.*

Pag. ead. §. V. Generalia illa, quæ dilectionem impediunt :] Recenſita fuerunt iſta ſuperius *ſect. I. §. VI. p. 478.* apud B. Auctorem.

Ibid. Ambitio ſive faſtus :) Ita neglexit Helluo Lazarum *Luc. XVI.* Nabal Davidem *I. Sam. XXV. 10. 11. 12.*

Ibid. Avaritia :) Vide quæ hanc in rem diſſerit *Amos cap. IIX 4. 5. 6. Habac. I. 15.*

Ibid. Præjudicia ab exemplis pravis :) Hoc malum præcipuè in vitiis, quæ quinto præcepto adverſantur, peſtilentiſſimum eſt; nihil enim frequentius, quàm ut noſtræ avaritiæ, immiſericordiæ, invidiæ, iræ, duellis, &c. magna & frequentia exempla prætexamus.

Ibid. Offenſæ privatæ :] Sic offenſi fratres Joſephi vendebant Joſephum, nihil morantes ejus anxietatem, ut ipſi poſtmodum confeſſi erant *Gen. XLII. 21.* Conf. Simei exemplum *II. Sam. XVI. 5. 6. ſeqq.* item Eſavi, Saulis & ſimilium.

Pag. ead. §. VI. Quæ generalibus impedimentis caritatis removendis inſerviunt :] Hæc vide capit. hujus ſect. I. §. VII. p. 478.

Ibid.

Ibid. Quæ homines natura pares esse:) Egregiè illam paritatem evincit meditatio mortis, quæ sceptra ligonibus æquat. Conf. *Sirac. X. 9. 10. seqq.*

Ibid. Opes non rectius impendi, quam quando in usum proximi cedunt:) Quicquid enim post mortem relinquimus, illud cedit in usum alienum; sed quod in usum proximi impendimus, illud præmisimus in vitam æternam. Conf. *Proverb. XIX. 17. Matth. XXV. 40. 41. Gal. VI. 9. I. Tim. VI. 18. 19.*

Ibid. In humanitatem fugiendam, monstrant:) Talia sunt inhumanorum vituperia, quibus apud DEUM & homines notantur; infelices illorum exitus; degeneratio eorundem à genere humano ad belluarum imo diabolorum indolem &c.

Ibid. Quatenus homo est & consilio eget:) Hominem opis nostræ indigum sic nos jubent considerare (1.) Mandatum DEI, & ejus exemplum, qui nos, non ut peccatores, sed ut miseros, considerans, vult similia à nobis in tractando proximo observari *Matth. XIIX. 33.* (2.) Dictamen sanæ rationis & præcepta cordatiorum Gentilium. (3.) Communis nostra fragilitas &c.

AD

CAP. X.

SECT. V.

De

OFFICIO HOMINIS CHRISTIANI CIRCA FAMAM ET HONOREM PROXIMI.

Pag. 486.

UT famæ & dignitati ejus consulatur:) Inter bona fortunæ, si decalogi filum sequimur, ultimum locum occupat fama. Nonum enim & Decimum præceptum non occupantur amplius circa bona fortunæ, sed circa interiores cordis & concupiscentiæ motus, à rebus externis tantùm exempli loco denominatos. Fastus autem & usus, vitam & famam dixit, imo etiam jussit pari passu ambulare. Hinc crudelem dicunt, qui famam non tuetur. Nos cum auctore beato nostro, citra præjudicium ordinis in decalogo servati, officia hæc, quæ proximo vi octavi præcepti debentur, subjicimus officiis præcepti quinti, quæ sectione præcedente consideravimus. *Fama* est h. l. publica opinio, & judicium, quod de aliquo in vulgus fertur & dicitur. *Dignitas* magis ad Officia & Honores pecu-

peculiares refertur. Respectu utriusque, quantum in nobis est & citra majoris boni impedimentum fieri potest, proximo consulere tenemur.

Ibid. Per media legitima :) Sunt autem media legitima, honestum testimonium, defensio justa, excusatio æqua, commendatio &c. Inhonestè autem & illegitimè agunt, qui contra veritatem, conscientiamque, mendaciis, nummis & aliis casibus obliquis, proximum ineptum ad dignitates & officia, beneficia &c. provehere laborant.

Ibid. Virtutes proximi honesto testimonio ornentur :) Virtutes non fucatæ, sed veræ. Interim Intellectuales sint, an Morales; communes, an Heroicæ; Philosophicæ, an Theologicæ; nihil refert. Quicquid enim verarum virtutum proximus habet, id non est, si in se consideretur, laude sua privandum.

Ibid. Honor nostro & ipsius statu conveniens exhibeatur :) Respiciendum hic est ad ætatem, sexum, officia, dignitates, &c. in quibus tàm nos vivimus, quàm proximus. Nec enim quælibet ætas, quemlibet honorem ab ætate qualibet rectè vel expetit vel recipit. Idem de sexu, officiis, dignitatibus &c. rectè dicitur. Quod si verò diversi Characteres vel concurrant, vel iisdem distinctæ personæ conveniant, par est, ut Ratio & Christiana modestia, Decorque, quid factu opus sit, ex ipsis circ-

circumstantiis determinet. Exempla vide *Genes. XIV. 19. 20. cap. XLVI. 29. cap. XLVII. 7. 8. 9. Exod. XIIX. 6. 7. I. Reg. II. 19. &c.*

Ibid. Ut alii exhibeant, procuretur:] Quantum quidem fert nostrum vitæ genus & potestas, seu svadendi, seu imperandi.

Ibid. Innocentia ac probitas ejus ab aliorum injuriis defendatur:) Exemplo Jonathanis *I. Sam. XX. 32.* Danielis in *Historia Susannæ v. 49. seqq &c.*

Ibid. Nævi etiam, quantum in nobis est, obtegantur aut excusentur:) Notandum, quod Auctor Beatus dixit, *Quantum in nobis est*, scil. vel per ipsam Nævi conditionem, vel per conscientiam & aliorum salutem &c. Plura hanc in rem diximus in *nucleo nostro de Vero Christianismo Part. II. pag. 305. seqq.* Adde *B. Dürrium in Theol. Moral. pag. 212.*

Pag. ead. §. II. Quando dignitas proximi aperta contumelia læditur:) *Contumelia aperta* dicitur in oppositione ad *Detrectationem*, quæ ita differt ab illa, ut furtum à rapina, docente B. *Dürrio cit. loc. pag. 213.* Est itaque contumelia aperta, quando palam & in faciem quis dehonestatur: ita Judæi peccarunt in Christum *Joh. IIX. 48. 49.*

Ibid. Quando fama proximi ficto crimine oneratur:] Ita peccavit Ziba,

Ziba, in Dominum suum Mephiboseth *II. Sam. XVI. 3.* Ita S. Athanasius varias calumnias & falsò objecta sibi crimina ab Arianis audire coactus fuit. Vid. *Hist. Eccles. Ruffini libr. I. cap. XV. seqq. Socratis, libr. I. cap. XXVIII. seqq &c. Theodoreti libr. I. cap. XXV. Sozomeni libr. II. cap. XXII. seqq.*

Ibid. Quando eadem ab aliis lacessita falso testimonio magis affligitur:) Exempla funesta sunt Nequam illorum testimonium dicentium contra Naboth *I Reg. XXI. 13.* contra Christum *Matth. XXVI. 60. 61.* contra Stephanum *Actor. VI. 11 &c.*

Ibid. Quando testimonium innocentiæ necessarium & profuturum ei denegatur:) Sive metu, sive malitiâ, sive alia quâcunque causâ quis ad justum & profuturum testimonium dicendum sese non patiatur adduci.

Ibid. Nævi occulti temere propalantur:) Nævi & peccata occulta sunt, quorum nemo est conscius, vel quæ non innotescerent, nisi tu proderes. Temerè propalantur, quando nulla justa subest causa, & non tàm inde exspectanda ædificatio Ecclesiæ, quàm scandalum.

Ibid. Inculpationes proximi dubiæ atque incertæ aliis porro narrantur:) Sive hoc fiat ex malitiâ, sive ex garrulitate, aut ex alia quacunque levitate animi. Ibid.

Ibid. In deteriorem partem explicantur:] Sic peccarunt Michal *II. Sam. VI. 20.* Pharisæi *Matth. IX. 3. 11. &c.*

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI partim generale:] Generale hoc est ipsum præceptum octavum decalogi.

Ibid. Quoad diversas partes hujus officii distincte expositi:) Scil. in Paragraphis præcedentibus; priore quidem quoad officia & virtutes; posteriore quoad oppositа vitia: quorum hæc prohibentur, illa præcipiuntur passim in scripturis. Ad priorem classem pertinent loca sequentia *I. Thess. V. 14. 15. Prov. XV. 4. I. Petr. V. 8. Rom. XII. 10. cap. XIII. 7. &c.* Ad posteriorem verò multò plura, v. gr. *Levit. XIX. 16. Prov. XXV. 9. 10. Matth. VII. 1. Jacob. IV. 11. I. Petr. II. 1. &c.*

Ibid. Ex præstantia objecti:) Maximè si æstimetur vulgari opinione & conditione seculi hujus, in quo nihil magis valent, quàm præsumtiones & præjudicia. Hinc applausus & dextra opinio sæpissimè converti possunt in materiam amplam ædificationis, & occasionem inserviendi proximo. Ipsa scriptura bonam famam celebrat *Proverb. XXII. 1. Eccl. VII. 2. Sirac. XLI. 15.*

Pag. 487. §. eod. Tanquam imagini DEI:) Certè cùm DEUS *Genes. IX. 6.* urgeat in causa quinti præcepti, poterit non incommodè etiam

etiam inter octavi præcepti motiva urgeri Imago DEI in homine.

Ibid. Præmia rectè agentium :) Talia sunt, quæ indicantur *Sirac. VI. 5. c. XIX. 6. seqq.* Non solùm autem in vita communi præmia habet octavum præceptum ritè observatum; sed etiam ipse DEUS de moribus benignis, veracibus, benignè statuit, & abundè hæc propter DEUM in proximum collata officia & beneficia compensat.

Ibid. Peccantium dedecus & pœnæ :) De his consule *Prov. XIV. 9. cap. XX. 19. cap. XXV. 10. Psalm. L. 16. Luc. VI. 42. Rom. I. 30. &c.* Porro cùm veritas sæpe cruentis pateat malo; quanto magis divulgata mendacia divulgantibus malum attrahent?

Pag. ead. §. IV. Humilitas animi nostri :) Humiles non aliena, sed sua curant, neque solent sibi arrogare licentiam judicandi de aliis.

Ibid. Taciturnitas :) Aurea hæc virtus est, quæ multa commoda secum trahit. Præcipuè autem nihil æquè promovet virtutes & officia octavi præcepti, quàm si quis sciat compescere linguam, nec omnia eructat, quæ vel audivit, vel vidit, vel suspicatur.

Ibid. Exempla Sanctorum :) Christus in Cruce excusat intercessurus pro crucifigentibus sese, illorum ignorantiam. Paulus excusat Judæorum furores *Rom. X. 2.* Christus defen-

fensionem susceperit mulieris ungentis morituram salvatorem *Matth. XXVI. 10. seqq.* Apostoli testimonium perhibent Christo resuscitato à mortuis, nihil morantes adversariorum minas *Actor. IV. 19. 20.. &c.*

Ibid. Consideratio facilitatis deligendi verba profutura præ nocituris :) Profutura nihilo majoris nobis constant, quàm nocitura. Utraque æquè facilè efferuntur, si laborem & impensas velis æstimare.

Pag. ead. §. V. Superbia aut ambitio :) Hæc enim dum se jactat & sua celebrat, aliena simul deprimere & contemnere solet.

Ibid. Avaritia :] Lucri spes sæpius impellit ad id, ut proximum ejusque labores denigremus & prodamus, exemplo Judæ Proditoris.

Ibid. Garrulitas :) De hac commendat Studiosis *libellum Plutarchi*, B. David Chytræus in Regulis vitæ, ubi de oppositis taciturnitatis inter virtutes octavi præcepti agit. Huc pertinet locus *Prov. X. 19.*

Ibid. Iracundia :) Hæc extrudit plurima verba, quæ aliquando, si posses, pretio magno redimeres, & retractares, quotidianâ experientiâ teste. Hinc iram *furorem brevem* proverbio dicimus. Conf. *Prov. XXV. 8. cap. XII. 16.*

Ibid. Exempla prava :) Qualia hactenus passim adduximus plura. Præcipuè autem

tem illa vehementer nocent, quæ vel magna sunt, vel frequentia.

Ibid. Timiditas:] Multi reformidant veritatis testimonium tempore periculi eloqui. Ipsi discipuli Christi ex timore omnes deseruerant eum; Petrus autem etiam abnegaverat eundem.

Pag. eod. §. VI. Qui in honore valemus, tanto magis ad juvandum alios obligatos esse meditemur:) Superbiæ & ambitioni sic occurremus, ut & avaritiæ. Non alium in finem nobis sunt dona illa data, quàm ut proximo consulamus. Minus si fecerimus, æquè facilè DEUS nobis eripere potest honores, dignitates & id genus alia, quàm alii ante nos istiusmodi bona perdiderunt. Exempla sunt Saul, Belsazar, Judas proditor &c.

Ibid. Multo magis de eo, quo proximi fama læditur:) Opponenda est hæc meditatio Garrulitatis malo.

Pag. 488. §. eod. Si in honesto & sancto officio divinæ tutelæ confidamus:) Officium hoc de Testimonio veritatis dando, proximo excusando, defendendo &c, dedit nobis DEUS. Is nos defendet, ejus præceptis obtemperantes: &, si non vult, sumus tamen obligati ad id præstandum, quod ipse nobis inunxit.

AD

CAP. X.

SECT. VI.

De

OFFICIO HOMINIS CHRISTIANI CIRCA OPES AUT FACULTATES PROXIMI.

Pag. 488. § I.

OPibus ejus seu facultatibus conservandis & augendis :] Hæc classis officiorum pertinet ad præceptum septimum, cujus virtutes variæ sunt, quarum decem recenset B. D. *Osiander in Theol. Moral. Præcept. VII. §. IX. p. 126. 127.* scil. (1.) Charitatem in commodis proximi juvandis, (2.) Justitiam commutativam, (3.) Justitiam in possessione propriarum facultatum, (4.) Liberalitatem, (5.) Misericordiam in pauperes, (6.) Hospitalitatem, (7.) Gratitudinem, (8.) Industriam œconomicam, (9.) Parsimoniam, (10.) Frugalitatem. Sed harum nonnullæ pertinent ad officia hominis circa opes proprias, de quibus capitis IX. sect. III. dictum fuit.

Ibid.

Ibid. Egenis, de quorum honestate constat:) De conditione egenorum, qui hodie circumcursitant, distinguendâ, diximus plura in *Nucleo Veri Christianismi Part. III. Tract. III. pag. 341. seqq.* item *part. II. pag. 258. & pag. 286. 287.* Paulus autem *Galat. VI. 10. & I. Tim. V. 8. II. Thess. III. 10.* selectum habendum esse satis indicat. Conf. *B. Dürrium cit. loc. p. 235. 236.*

Ibid. Promte:) Bis dat, qui cito dat, nil dat, qui munere tardat. *Hilarem datorem diligit DEUS II. Corinth. IX. 7.*

Ibid. Pro modulo facultatum suarum:) Alios juvemus precibus, alios consiliis, alios victu, alios amictu, alios ære, prout tulerint nostræ facultes, & requisiverit proximi conditio. Ita enim aliis succurramus, ut ne nostris necessaria subducamus, quibus defuisse flagitium est ingens; quò pertinet κατ' ἀναλογίαν illud Christi *Matth. XV. 26. B. Dürrius cit. loc. pag. 234. 235.* quoque videri meretur, ubi appositè adducit loca *I. Joh. III. 17. II. Cor. XII. 14. Luc. III. 11. cap. XI. 41.*

Pag. ead. §. II. Omissio studii præscripti:] Huc pertinet Avaritia, radix illa omnium malorum. Hæc avaritia duplex est, alia in dando, alia in accipiendo. Conf. B. *Osiandr. cit. loc. pag. 126.* Huc pertinet quoque

sordities, usura, & similia flagitia, de quibus auctores passim.

Ibid. Immisericordia erga egenos:) De hac inquit *Johannes I. Epistola III. v. 17. Qui habet substantiam mundi, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas DEI manet in eo?* Hôc vitiô se contaminaverat ille Dives *Luc. XVI.* Pharao duplicans Plateres *Exodi I. & V.* Sodomæorum Ezechiel. XVI. 49. Illi ad sinistram olim collocandi *Matth. XXV. 42. 43.*

Ibid. Hypocritica largitio:) Qualis erat Pharisæorum, quos Christus ideo castigat *Matth. VI. 1. seqq.*

Pag. ead. §. III. Mandatum divinum:) Tàm affirmativum, quàm negativum. Affirmativa mandata sunt de opibus proximo honestè conservandis & augendis, quoties jubemur, juvare causas oppressorum, *Esaiæ I. 17. Psalm. LXXXII. 3. 4.* Inservire proximo *Galat. V. 13. I. Petr. IV. 10.* Succurrere ejus indigentiæ nostra abundantia *Luc. III. 11. II. Corinth. VIII. 14. &c.* Negativa sunt Præcepta, præter ipsum VII præceptum Decalogi, etiam hæc sequentia *I. Thess. IV. 6. Ephes. IV. 28. &c.*

Ibid. Ipsarum opum terrenarum habitudo ad aliorum usum:) Opes reconditæ usu carent & suo fine privantur. Vid. *Ecclesiast. V. 10.* Unde divites avari com-

comparantur canibus fœno insidentibus, qui quod ipsis usui non est, etiam ne illis quidem concedunt animantibus, quibus pabulum esse potuisset. Quod ergo quis velit sapere, & opes tractare ex fini earundem essentiali, utatur iis, necesse est, tàm ad suam, quam proximi necessitatem explendam.

Pag 489. §. eod. Beneficentiæ decor & pulchritudo:) Deum referunt benefici, & hujus filios sese probant *Matth. V. v. 45.* Mutuò dant Domino *Proverb. XIX. 17. Matth. XXV. 40.* Recondunt sibi ipsis fundamentum bonum imposterum *I. Tim. VI. 19.*

Ibid. Immisericordiæ & hypocriticæ largitionis fœditas & pœnæ:) *Fœditas* apparet, quia diabolum imitantur immisericordes, qui pater est mortis & omnis crudelitatis. Imo Plinius, Ethnicus licet auctor, agnovit, belluis, leonibus, serpentibusque pejores esse. Pœnæ intelliguntur ex Divitis illius cruciatibus *Luc. XVI.* & comminatione divina *Jacob. II. 13. Matth. XXV. 41. seqq. cap. VI. 2.*

Pag. ead. §. IV. Motivorum meditatione & usu:] Sic enim actu secundo illa motiva vim suam demum exserunt, si per meditationem & usum velut in succum & sanguinem convertantur.

Ibid. Contemtus opum:] Tanquam rerum fugacium, vanarum & inutilium, nisi amicos nobis paraverimus iisdem, monente Christo *Luc. XVI. 9.* Conf. *Zephaniæ I. 18. Psal. XLIX. 11.*

Ibid. Communis omnium parentis & creatoris opus:) Hoc medium vel sola oratio dominica rectè intellecta satis acuit. Omnia enim, ut bona communia, vult DEUS à nobis peti, dum numero plurali nos uti jussit. Conf. *Actor. XVII. 26. Matth. XXIII. v. 9.*

Pag. cad. §. V. Immoderatus amor opum:) Egregiè *Ecclesiastes capite V. v. 9.* dixit, quòd ii, qui pecunias diligunt, nunquam satientur. Corrigitur autem hic amor iis mediis, quæ ostendunt pecuniarum incommoda, varia & vanitatem, quodque opes non valeant diutius, quàm vitæ hujus momentaneus fluxus. Conf. *I. Tim. VI. 6. 7. 8.* præcipuè *Psalm. XLIX.* item *Luc. XII. 20. &c.*

Ibid. Superbia:) Hæc enim contemnit proximum egenum, vel dilapidat, & in pompam & luxum convertit, quæ poterant impendi in Proximi necessitates.

AD

AD

CAP X.

SECT. VII.

DE

OFFICIO HOMINIS RENATI CIRCA PROXIMUM IN CONTRACTIBUS.

Pag. 489. §. 1.

UT contractus bona fide ineantur:) Hos non modò invexit necessitas & mutua indigentia, sed etiam DEUS exstare eosdem, & vigere vult, suisque constitutionibus in V. & N. T. munivit. Conf. *B. Dürrium in Theol. Moral. pag. 219.*

Ibid. Etiam illorum, cum quibus contrahitur, ratio habeatur:) Respiciendum quippe est ad indigentiam rei, de qua contrahitur, item ad facultates utriusque contrahentis, ad finem contractus &c. Ea enim, quibus proximus carere non potest, multò iniquius duro contractu proximo addicimus, quàm quibus carere poterat. Porro delinquimus, quando sic rem aliquam addi-

cimus proximo, ut facilè intelligamus, eum non posse commodè re addictâ frui.

Pag. 490. §. II. In emtione & venditione :) *Emtio est contractus in locum permutationis succedens, quo acquiruntur res utiles necessariò pretiò publicè æstimatione definitè & rerum ipsarum dignitatem, quantitatem & valorem exæquante*, definiente *B. Dürrio cit. loc.* Antiquissimum exemplum est Abrahami emtis spelunca à filiis Heth *Genes. XXIII. 16.* De hoc genere contractuum vide B. *Hornejum* libr. III. *Compend. Theol. cap. VII. p. 764. seq.*

Ibid. Cum bona possidentis & venditoris voluntate :) Equidem licet possidenti, offerre rem venalem emtori; & rursus emtori licet interrogare, anne res possidentis sit venalis, exemplo Abrahami *Genes. XXIII. §. 9.* at verò delinquitur, quando quod venale non est, reddimus venale, & urgemus vel vi vel fraude possidentem, ut nobis vendat. Sic peccavit Achab *I. Reg. XXI. 1. 2. 3.*

Ibid. Vel juxta definitionem magistratus :) Sic definire solent Magistratus pretium carnis, panis, potus &c. Conf. *Hornej. cit. loc.*

Ibid. Juxta æstimationem communem hominum peritorum :) Periti autem sunt, qui vel ineunte ab ætate res tales tractarunt, vel mercaturam, aut artificium tale

tale profitentur. Æquitas hic lex esto suprema; nec unquam negligendum est illud Domini *Levit. XXV. 14. Quando vendes quippiam civi tuo vel emes ab eo, non contristes fratrem tuum.*

Ibid. Pro singulari necessitate emtoris:) Ut si videamus, quem re aliqua non carere posse, intendamus pretium, certi, emtorem ad pretium etiam iniquum nobis solvendum singulari necessitate suâ adactum iri. Hoc præcipuè fieri solet in victualibus, quæ vocant, quàm sæpissime.

Ibid. Ab emtore fraudulenter elevetur:) Fraudulenter emtores elevant infra justum pretium res venditoris, quando nævos affingunt rei vel prorsus integræ, vel non ita vili, prout eum in finem describitur, quò pretio parari possit leviori.

Ibid. Ut pondera & mensuræ legitime adhibeantur:) Hoc enim non tantum requiritur per ipsam justitiam naturalem; sed habentur etiam constitutiones divinæ *Levit. XIX. 35. 36. Deut. XXV. 13. 14. 15. Ezech. XLV. 10. seqq.* Porro legitimè adhibentur, quando citra technas malas, quibus emtori imponitur, applicantur, & justâ publicâque Magistratûs auctoritate definitâ magnitudine usurpantur.

Ibid. Vitium rei vendendæ sin-

cere indicetur:) Præcipuè si vitium fuerit occultum, nec incurrat in sensus, ac inde usus rei futurus sit vel periculosus, vel inutilis, vel pernicioſus. Conf. B. *Dürr. cit. loc. pag. 210.*

Ibid. Pecunia probata:) Probata pecunia est, quæ publicâ Magistratûs auctoritate suum valorem est consecuta, eumque habet in illo loco, ad quem respicit usus.

Ibid. Quanta in contractu promissa est:) Est enim bona fide utendum, ubi ex bona fide contrahitur; nec mutari debent circumstantiæ & conditiones, in quas contractus fiebat.

Ibid. Ut emtores alii, præsertim priores, aut qui magis indigent mercibus, non impediantur:) Æquitatis Christianæ, imò Naturalis hæc regula est. Pessimè enim conscientiæ suæ consulunt, qui vel prorsus magis indigos excludunt, vel saltem efficiunt, ut iniquo pretio coguntur solvere merces.

Pag. ead. §. III. Si quis venalia faciat alterius bona, contra ejus voluntatem:) Hoc vitium nonnullis potentioribus familiare est in inferiores vel opis indigos. Conf. Exemplum Achabi *I. Reg. XXI.*

Ibid.

Ibid. Venditor nimis augeat, aut emtor extenuet pretium :) Prius vitium sæpius exercetur ab iis, qui res venales possident, quibus sciunt emtorem carere non posse : posterius non infrequens est iis, qui norunt venditorem nec posse merces suas servare, nec aliis vendere.

Ibid: Pondera aut mensuræ injustæ:) Hoc qui agunt, abominationi sunt DEO *Prov. XX. 10. 23.*

Ibid. Pecunia adulterina:) Sive ratione quantitatis, sive ratione qualitatis deficiat à publica lege; sive à nobis sit adulterata, sive per imprudentiam ab aliis accepta, fraudulenter obtrudatur proximo. Plura hanc in rem dicit *B. Hornejus in Comp. Theol. libr. III. cap. VII. p. 763. 764.*

Ibid. Occultetur aut negetur à venditore vitium rei :) Occultare vitium, fraudis est; negare etiam, quando vel observatur, vel de eo interrogatur, malitiæ apertæ.

Pag. 491. §. IV. Locationis & conductionis contractum :) *Locatio* est, quando facultas utendi vel fruendi in alterum, sub conditione certæ pensionis aut mercedis, transfertur. Conf. B. *Dürr. loc. cit. p. 220.*

Ibid. Ut conductor eadem commode uti possit :) Aliàs enim hic suo

suo defraudatur fine, quem in conductione intenderat.

Ibid. Occultum vitium conductori indicet:] Ne scil. periculum aliquod, aut damnum ex usu rei conductæ incurrat. Sic v. gr. vitia equorum conductorum, & ferocitas, vel alii defectus eorum rectè indicantur, imo indicari debent à locatoribus.

Ibid. Solvat impensas in res necessarias:) Necessariæ res sunt, sine quibus locator re conducta commodè uti non potest, ut in ædibus conductis, conclavia, fornaces, &c. in equis, calcei ferrei, ephippia, frena &c.

Ibid. Resarciat damna &c.) Sunt hic probè notandæ circumstantiæ, & dispiciendum, ex cujus parte sit damnum? an ex parte conductoris, re conductâ malè aut saltem temerè & improvidè utentis? an ex parte locatoris, vel vitia dissimulantis, vel necessaria non reparantis? an ex utraque parte sit peccatum? Id quod non infrequens est. Prudentia & æquitas ergo hic in casibus specialioribus judicium ferat, & causam dicat.

Ibid. Instar boni patrisfamilias utatur:) Quòd si enim conductores bona aliorum, quia non nisi conductitia sunt, leviter dilapident & corrumpant, nec eâdem

curâ

curâ & fide tradent, quâ vir cordatus & honestus suis prospicit rebus, injurii sunt in bona sibi elocata, & graviter peccant.

Ibid. Statuto tempore mercedem solvat:) Videlicet tempore, quod in contractu est definitum.

Ibid. Ne rem conductam ante tempus præfinitum sine justa causa deserat:) Levitati, non necessitati opponitur hæc conditio. De reliquo, quando per casus fortuitos & inopinatos contractus istiusmodi dissolvendus est, fiat solutio ex æquo & bono pro ratione circumstantiarum, quæ infinitis modis variant.

Ibid. Damna, quæ sua culpa evenerunt, resarciat:) Ipsa hoc jubet æquitas naturalis, ut bona fide reddatur locatori, quod bona fide conductori concreditum erat. Est autem bona fides, si talis reddatur res, qualis vel est accepta, vel qualis post usum æquum & legitimum conductoris, esse debebat.

Ibid. Qui operas suas locat:) Hæ locationes operarum sunt variæ: & posses sub hac latitudine vocis complecti omnia officiorum genera, in quibus vel publico commodo, vel privato pro certo salario addicitur nostra opera & fides. Quanquam, quod præcipuè ad officia sacra spectat, cavendum sit, ne merce-

mercenariorum infamiam mereamur, qui sua officia æstiment salario, non autem publico ædificationis bono. Interim, etsi propter salaria altari non sit serviendum, sed propter DEUM & ædificationem Ecclesiæ; attamen notum est verbum Pauli, *Qui altari assistunt, unà cum altari participant, sicut & Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant I. Corinth. IX. 13. 14.* Gratitudinis lege potius his deberi salaria dicas, quàm vi contractûs, Conf. *Galat. VI. 6.* Magis autem huc referendi sunt *opifices, artifices*, & *mercenarii* strictè tales, quos patrio sermone Taglöhner dicimus. Reduxeris huc famulos, ancillas &c. qui contractu locationis suas operas addicere solent rebus domesticis nostris. De horum officiis specialiùs dicetur infra, *Part. Special. cap. III. sect. III. subsect. II. pag. 571.* Vide interim *B. Dürrium Theol. Moral. pag. 225.*

Ibid. Mercedem pro illis promissam ac tempore quidem justo solvat:] Exstant hanc in rem constitutiones divinæ *Levit. XIX. 13. Deut. XXIV. 14. 15. Jacob. V. 4.*

Pag. ead. §. V. Contra autem pectur:) Facilè, vi oppositionis, intelligi potest ex præcedentibus hic numerus quintus.

Pag.

Pag. 492. §. VI. Ad contractum mutui:) Mutui contractus transfert simul & dominium & usum rei in alterum. *Mutuum* enim describunt, quòd sit *traditio rei in suo genere functionem recipientis, ut statim accipientis fiat, & postea tantundem ejusdem generis ac qualitatis restituatur.* Conf. *Dürr. cit. loc. pag.* 221. & in *Notis posthumis pag.* 70. Qui sic contrahunt, nominantur, ille quidem qui dat mutuò, *Creditor*, ille autem, qui accipit, *Debitor.*

Ibid. Ut creditor sit dominus rerum:) Puta quas alteri mutuò dat. Aliàs nefas est, si illa des alteri mutuò, quæ tamen non sunt tui juris.

Ibid. Rem utilem:] Non modò in se, sed etiam in ordine ad proximum, cui mutuum concreditur. Nam qui res vanas & inutiles mutuò dant, ut suis consulant utilitatibus ex proximi damno, graviter delinquunt.

Ibid. Neque ultra sortem à proximo indigo exigat lucrum:) Lucrum, quod à proximo indigo, qui re tradita non ad lucrum faciendum, sed ad expiendam indigentiam suam, utitur, à creditoribus exigitur, propriè & secundum phrasin scripturæ USURA dicitur, & in scripturis non modò prohibetur, sed etiam gravissimis delictis accense-

tur.

tur. Vid. *Exodi XXII. 25. 26. 27. Levit. XXV. 35. 36. 37. 38. Deut. XXIII. 19. Psalm. XV. 6. Proverb. XXII. 16. 22. Jerem. XV. 10. &c.* Aliàs non promiscuè illicitum esse, recipere pro mutuo lucrum, ex illo lucro, quod debitor nostrô ære facit, fusius ostendit *B. Dürrius in Theol. Moral. pag. 223.* Fusissimè autem *B. D. Königius in Casibus Catechet. cap. I. Cas. VIII. à pag. 72. ad 86.* quæstionem ventilat, *Utrum usuræ inter Christianos bonâ conscientia exerceri possint?* & affirmativè definit. Adde *Hornejum cit. loc.* qui *à pag. 774.* ad *pag. 781.* fusè itidem de usuris agit.

Ibid. Etiam ultra sortem in lucri, quod inde accepit, participationem admittat:) SORS dicitur hoc in negotio prima pecunia, quam quis confert alteri, ut inde captet lucrum. Barbarè vocant hodie *Capitale.* Non igitur sola sors reddenda est, quam accepisti à creditore, sed idem est quoque admittendus in participationem lucri, quod tu ex sorte percepisti: idque ob has rationes (1.) quia æquitas naturalis postulat, ut tu quod alienô ære comparas lucrum & commodum, non solus possideas, sed æris alieni dominum in ejus participationem admittas. (2.) Quia Creditoris cessat commodum, quod ipse potuisset habere ex sorte, nisi eandem tuis usibus credidisset. (3.) Quia pecunia

cunia mutuo data exponitur periculo. Plures rationes pete ex B. *Dürrio* & *Königio*, ll. cc.

Pag. 493. §. VIII. Contractum commodati:) COMMODATUM est rei alicujus ad solum usum gratuita concessio. Et in hoc differt à Pignore atque Depositio, quòd horum non concedatur usus. Contractus commodati itaque est, quando quis rem aliquam alteri sic in gratuitum concedit usum, ut eandem, postquam usum inde percepit, non deteriorem, sed qualem accepit, restituat. Scriptura commendat hoc officium. *Psalm. XXXVII. 26. CXII. 5. Matth. V. 42. Luc. VI. 35.*

Pag. ead. §. X. In contractu depositi:) DEPOSITUM est, quod asservandum fidei alicujus committitur. In contractu depositi itaque ita dominus depositi cum depositario, seu depositi custode, transigit, ut fidei ejus asservandum, custodiendum & olim integrè restituendum bonum aliquod suum committat. Fluunt hinc sponte illa officia, quæ ipse auctor beatus in textu, ad quem notam hanc damus, recenset. Conf. *Exod. XXII. v. 7. seqq.*

Ibid. Ne res sua alteri damno sit:) Secundum tritum: *Nemini officium suum debet esse damnosum.* Itaque si res depo-

sita poscat pabulum, aliosque sumtus, par est, ut rei suæ prospiciat dominus ipse, nec sumtus creet depositario.

Pag. 494. §. VII. In contractu pignoris:] PIGNUS propriè est *res mobilis vel se movens apud creditorem à debitore tradita, & collata ad præstandum securitatem de solvendo debito, vel adimplendo promisso.* Pignus secundum JCtos multifariam distinguitur, aliud enim conventionale, aliud prætorium, aliud legitimum &c. dicitur. De Pignoribus exstat constitutio Dei *Exodi XXII. 26. Deut. XXIV. 3. seqq.* Conf. *Jobum cap. XXII. 6. Ezech. XIX. v. 7. 12. cap. XXXIII. 15. &c.* Ex quibus de regulis creditori præscriptis apud nostrum Auctorem facilè constat crudelitatis & immisericordiæ species est, pignus retinere vel exigere, quo proximus carere nequit. Oppignorari etiam aliquando solent immobilia bona, agri, ædes, vineæ &c. Exempla habentur *Nehem. V. v. 3. 4. 5.*

Pag. ead. §. XIV, Quoad contractum fidejussionis:) FIDEJUSSOR generaliter loquendo est, *qui fide ac periculo suo suadet, ut id, de quo agitur, fiat: quoniam ejus eventum præstat. Heringius* in *Tract. de Fidejussoribus cap. III. n. 8. p. 33.* definit FIDEJUSSIONEM, *stipulationem seu sponsionem, qua quis pro debitore aliquo, fidem suam, citra*

nova-

novationem interponendo, ad debiti solutionem in subsidium obligatur. Concurrunt ergo in hoc contractu tres, quibus officia præscripsit B. noster Auctor 1. Fidejussor. 2. Debitor. 3. Creditor. In scripturis divinis passim à fidejussionibus videmur arceri. *Proverbia Salomonis* plura habent dicta huc pertinentia. Vide *cap. VI. 1. ad 5. cap. XX. 16. XXII. 26. 27. XXVII. 13.* Unde quæstio enata, *Utrum liceat fidejubere?* quam prolixè ventilat *Heringius cit. loc. can. I.* quod totum huic negotio impendit. Pro contractuum horum honestate allegant (1.) exempla probata, v. gr. Samaritani illius apud *Lucam cap. X. v. 35.* Pauli, *ad Philemon. v. 18. &c.* (2.) Dictum illud *Siracidis cap. XXIX. v. 13. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum.* (3.) Pugnat pro his contractibus, quòd fidem nostram pro fratre indigo interponentes, faciamus id, quòd quisque sibi in simili necessitate optaret ab aliis: unde constet, quòd fidejussio sit dictamen & æquitatis naturalis & charitatis Christianæ: (4.) Colligi potest hunc in modum: Quicunque tenentur animam ponere pro fratribus, illi multo magis tenentur (cæteris tamen paribus) fidem ponere pro proximo: Cum majus sit, exponere animam, quàm per fidejussionem, pecunias suas, periculo. Atqui animam ponere debemus, *I. Joh. III. 16.* Ergo. Loca

proverbiorum partim periculum tantùm ostendunt, partim temeritatem fidejussionis dissuadent & castigant. Argumenta alia vide apud *Heringium cit. loc.*

Pag. 495. §. XVI. Mandatum DEI:) Loca Scripturæ huc pertinentia in Notis præcedentibus suo quoque loco indicavimus. Præcipuè huc pertinet illud *Levit. XIX. 13. Non vim inferes proximo tuo, nec rapies.* Adde *I. Thess. IV. 6. I. Corinth. VI. 7.* Sic & SANCTORUM EXEMPLA, vel nota sunt & passim obvia, vel etiam in superioribus Notis, quantum satis, indicata.

Ibid. Præmia rectè agentium.:] Magna gloria est Jobi, de quo DEUS testatur *Job. I. 8. & cap. II. 3. quòd ei similis non fuerit in terra, homo simplex & rectus & recedens malo.* Huc etiam refertur illud *Psalmi XXXVI v. 25. 26. Junior fui & consenui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Conf. *Psalm. CXII. 5. 6. Jucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur.* Præmia huc pertinentia sunt varia. *Alia* sunt temporalia, ut bona fama, honor, benedictio divina in rebus œconomicis &c. *Alia* sunt spiritualia, v. gr.

Con-

Conscientia læta, Intercessiones proximi apud DEUM. *Alia* æterna. DEUS enim, uti ex merâ gratiâ omnibus actionibus honestis & Christianis abundantissima præmia destinavit, ita etiam huic justitiæ & pietati in proximum præmia immortalia decrevit.

Ibid. Pœnæ peccantium:) Vide *Mich. II. 8. 10. Hagg. I. 6. seqq. I. Corinth. VI. 9. Matth. XIIX. v. 28. ad 34. II. Petr. II. 15. 16.* Et, ut infinita taceam loca Scripturæ, quæ nunc pœnas temporales, nunc æternas injustis, raptoribus & summi juris exactoribus dictitant; certè experientia docuit proverbium, ejusque veritatem subinde vivis exemplis confirmat, quòd *de malè quæsitis non gaudeat tertius hæres.*

Pag. ead. §. XVII. Ad spiritualia bona animus attentus &c.) Qualis erat animus Pauli *ad Philipp. III. 7. 8. seqq.* Conf. *cap. IV. 11. 12. 13.* Huc pertinent loca *I. Corinth. VII. 29. 30. 31. I. Timoth. VI. 6. 7. 8.*

Ibid. De præstando alteri, quæ nobis ipsi præstari cupimus:) Optima regula est determinandi illud, quod proximo debemus, officium, si fingamus nos loco proximi, cum quo agimus, & cui nostro officio est opus, simulque interrogemus nostram conscientiam atque Philautiam & hanc quidem

ordinatam, quid in tali casu nobis gratum esset, quidve nobis jam fieri optaturi essemus? Id, quod charitas ista nostri ipsorummet dictat, est hoc ipsum, quod proximo in illo casu debemus, officium.

AD

CAP X.

SECT. VIII.

DE

OFFICIO HOMINIS RENATI CIRCA PROXIMUM IN COLLOQUIIS CIVILIBVS.

Pag. 496. §. I.

UT blanda conversatione :) In Scholis Philosophorum Moralium notissimæ sunt virtutes Homileticæ, quas ex Aristotele enumerant, *Humanitatem*, (ad quam referunt Affabilitatem, Popularitatem, Familiaritatem) *Veracitatem Urbanitatem.* B. Auctor, Virtutes Christianas recensens, non putavit Homileticas Virtutes penitus negligendas. Harum autem alii plures, alii pauciores nominant. *B. Dürrius* in *Theol. Morali pag. 337. seqq.* *Humanitatem* adduxit, *Concordiam*, *Veracitatem*,

tem, Urbanitatem, Gravitatem. Ex quo auctore plura huc repeti possunt. *Blanda conversatio*, HUMANITAS, *Comitas, Affabilitas* dicitur, & est, *quâ blandè & suaviter cum alius verba, actiones & mutua vitæ officia communicamus & societatem Christianam amabiliorem reddimus.* Conf. *Ephes. IV. 32. Coloss. III. 12.*

Ibid. Festivitate Sermonis:] URBANITAS hæc virtus est, quàm *B. Dürrius cit. loc. pag. 243.* ita circumscribit, quòd *festivitate sermonis pios congressus ornet & condiat, & verbis in speciem jocosis mixta voluptati utilitas audienti insinuet.* Vid. *Ephes. IV. 29. Coloss. IV. 6.*

Ibid. Qui cum ipso conversantur, hoc facile & benigne ferat:) CONCORDIA hæc virtus dicitur: *quæ est talis animorum conjunctio, quâ illis, quibus cum societatem colimus, molestiam nullam creamus, sed potius eorum commodis favemus, & nævos per humanam imbecillitatem intercurrentes toleramus. Dürrius cit. loc. pag. 239.* Paulò aliter hanc virtutem describit B. D. *Osiander in Theol. Moral. Part. Spec. Præcept. V. §. X. pag. 61.* ubi Humanitatem concordiamque inter virtutes quinti præcepti refer. Præcepta concordiæ est *Rom. XII. 18. Eph. IV. 32.*

Pag. ead. §. II. Adulatio:) Quam

quoque *Assentationem* alii vocant. Est vitium, *quod nulla veritatis & virtutis ratione habitâ ad aliorum sensus, voluntatem & nutus simulato amore & gratificandi studio, orationem accommodat, aliosque pleno ore sed falso plerumque laudat. Chytræus in Regul. Vitæ ex IIX. Præcepto.* Hoc vitium hoc pessimum & Deo pisque maximè invisum. Vid. *Prov. XXV. 20. cap. XXVII. 6. Ezech. XIII. 18.*

Ibid. Scurrilitas :] Scurrilitas opponitur Urbanitati, & est, *quæ jocos obscœnos aut contumeliosos spargit, & gestu vel mordaci dicto petulanter reprehendit. Chytræus in loc.* sub finem. Huc refer illud *Prov. XXVI. 19.* Conf. *B. Dürrii Notas posthumas p. 76.* item in *Theologia Morali* ipsa *pag. 243.* ubi ad locum Pauli *Ephes. V. 4.* observat εὐτραπελίαν, obscœnitati & turpiloquio junctam, reddi debere per *Scurrilitatem*, cui ab Aristotele βωμολοχία dictæ tunc vulgari consuetudine inditum fuerit nomen εὐτραπελίας. Cavendum etiam est, ne jocemur cum peritis, monente *Siracide cap. IIX. 5.*

Ibid. Morositas :] Opponitur Humanitati, & est, cum homines nihil pensi habent, ut in conversationibus sint jucundi. Vicini sunt huic vitio, qui infecti sunt pruritu contradicendi, altercandique, nec ferre possunt alios, quibuscum conversantur. Vitium prohibitum est fidelibus *ad Tit. III. 2.*

Ibid.

Ibid. Rusticitas :) Rusticitas in Scholis Philosophorum dicitur vitium, quo homines quidam iratis gratiis nati, nec ipsi jocos scitè fingere atque intorquere, nec aliorum festivos sales ferre benignève interpretari possunt. Christiana nostra Theologia dixerit hoc vitium esse, quando homines à mansuetudine Christiana alieni, proximo incommodos sese exhibent, nec ipsi proximum in conversatione tolerare sciunt. Unde ab aliis pro Synonymo Morositatis habetur. Pugnat hoc vitium cum illo Pauli *Coloss. IV. 6. Sermo vester cum gratia sit semper sale conditus, ut sciatis, quomodo respondere oporteat vos unicuique.* Conf. *cap. III. 12. 13.*

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI :) Loca, in quibus mandata DEI huc pertinentia exstant, dedimus suis locis, suntque *Ephes. IV. v. 29. 30. 32. cap. V. 4. Coloss. III. 12. 13 cap. IV. 6. Rom. XII. 18. &c.*

Ibid. Exempla Sanctorum :) Humanitatis exemplar, item Mansuetudinis, Comitatisque & aliarum huc pertinentium virtutum est Christus Salvator, quem etiam convitiis ideo lacessiverant Pharisæi *Matth. IX. 11. cap. XI. 19. Luc. XV. 2.* Conf. *Matth. XII. à v. 15. ad 21. cap. XI. 29.* Ex Sanctis V. T. huc pertinent exempla Jacobi *Genes. XXXIII. v. 3. seqq.* Abrahami *cap. XXIII. 7. 8.* Davidis *I. Samuel. XXIV. 9. 10. seqq. cap. XXVI. v. 18. 19.*

II. Samuel. XVI. 10. 11. &c. Eliæ festivè castigantis Sacrificulos Baaliticos *I. Reg. XIIX. 27.* Josophati *cap. XXII. 8.* comiter emendantis Achabi furorem &c. Ex N. T. Pauli comitas celeberrima est, qui omnibus condescendere didicerat, *I. Corinth. IX. 19. seqq. Johannis epistolæ* meram comitatem Christianam spirant.

Ibid. Decor hujus officii & utilitas ac jucunditas :) *Decor* intelligitur ex ipsa descriptione Pauli *Coloss. IV. 6.* itemque ex eo, quòd hac virtute imitamur DEUM, Christum, Angelos & Sanctissimos quosque. Pertinet huc quod dicitur *Proverb. XXV. 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Utilitas* indicatur à Salomone *Prov. XXV. 15. Lingua mollis confringet duritiem.* Confer *Prov. XXIIX. 23. cap. XXII. 11.* Quid comitas profuerit Abigailis, notum est ex *I. Sam. XXV. 33.* Porro *Jucunditas* ex re ipsa patet. Humanitas enim dum facilis est, mansueta, mitis, rectè habetur pro vitæ humanæ condimento. Confer Pauli verba *Coloss. IV. 6.* ubi sermones ex hac virtute profecti, dicuntur sale conditi.

Ibid. Vitiorum oppositorum turpitudo & damnum :) Exempla funesta sunt Rehabeami *I. Reg. XII. 16 17. seqq.* Nabalis *I. Samuel. XXV. 10. 11. seqq.* Ammonitarum *II. Samuel. X. 4. 5. seqq.* Joabi *II. Sam. III. 27.*

28.

28. 29. item *cap. XX. 9. 10.* Petri *Galat. II. 12. 13. 14.* Amelekitæ illius *II. Sam. I. 10. 14. 15. 16.* Absalonis *II. Sam. XV. 2. 3. seqq.* Tertulli *Actor. XXIV. 3. seqq.* Huc pertinent sententiæ Salomoneæ *Prov. XXVI. 28. cap. XXIIX. 23. cap. XVI. 28.*

Pag. ead. § IV. Si imitemur aliorum honesta exempla :] Honesta exempla sunt, quæ regulis officiorum hactenus enumeratorum respondent. Exempla sacra indicavimus ad paragraph. præcedentem. Aliorum, ut Scipionis, apud *Livium lib. IIX. dec. 3.* Hadriani Imperatoris apud *Dionem Cassium*; Trajani apud *Eutropium lib. IIX.* Alexandri Severi apud Lampridium, & plurium ex comitate laudatorum vide apud B. *Chytræum cit. loc.*

Ibid. Suo quemque modulo æstimemus benigne :) Charitatis hoc est proprium, quæ *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet; qua benigna est, non invidet, non procax est, non fastidiosa I. Corinth. XIII. v. 4. 5. 7.* Qui itaque hac in Charitate sedulò sese exercet, & ex hujus indole proximum tractare novit, is sine omni dubio nunquam in officiis comitatis deficiet.

Ibid. Memores simus nostrorum, nævorum :) Hæc enim memoria jugis nos proximo commodiores reddit; quia ostendit (1.) sortem communem humanam, quæ mutuam

tuam nævorum tolerantiam ex æquo apud omnes postulat; (2.) In ruborem dat nostram procacitatem in carpendis & exaggerandis alienis malis, sive nævis; cùm tamen domi habeamus, quod agamus in nævorum nostrorum consideratione & emendatione. Quod si autem nobis non licet esse ab omni nævo puris, ergo nec à proximo nostro tantam exigamus perfectionem.

Pag. ead. §. V. Impedimenta:) Impedimenta, quæ Auctor beatus hic recenset, unà cum ratione removendi eadem, sæpius jam superius tetigimus: unde nihil de novo adjicientes, contrahimus vela.

FINIS

SUPPLEMENTI ANNOTATIONUM
in
PARTEM GENERALEM
COMPENDII THEOLOGIÆ MORALIS
BAJERIANI.

JOH. MICH. LANGI

SUPPLEMENTUM ANNOTATIONUM

In

B. D. JO. GUIL. BAJERI COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS

AD

PARTEM SPECIALEM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0265
DFG

AD

B. D. JOH. GUIL. BAJERI

PARTIS SPECIALIS

THEOLOGIÆ MORALIS,

Quæ est

DE OFFICIIS HOMINUM CHRISTIANORUM

In singulis Statibus Hierarchicis,

Annotationum

SUPPLEMENTUM

AD CAP. I.

De Statu Ecclesiastico & Officio Hominum ad illum pertinentium.

SECT. I.

DE RECTA PRÆPARATIONE AD MINISTERIVM ECCLESIASTICUM DIGNE ET UTILITER OBEUNDUM.

Pag. 497. §. I.

Ad munus Ecclesiasticum:) Munus hoc aliàs dicitur in Scripturis διακονία seu *Ministerium*, Conf. *Act. I. 16. Rom. XI. 13.* &c. Et quidem *ministerium verbi*,

Alter.

Actor. VI. 4. eò quòd palmaria hujus officii ratio consistat in prædicatione verbi & administratione sacramentorum, secundum illud Christi *Matth. XXIIX. 19. 20. Marc. XVI. 15.* Paulus *I. Timoth. III. 1.* nuncupat munus idem Ἐπισκοπὴν, quasi diceres *Superintendentiam*, de cujus voculæ amplitudine legi meretur disputatio docta sub Præsidio *B. Auctoris nostri*, anno 1688. *de Affectantibus Parochiam*, habita, *Part. II. §. III. pag. 20.* Denotat enim generaliter ministerium verbi & quodvis officium Ecclesiasticum, sive sit Superintendentia, quam hodie speciatim ita dicimus, sive Pastoratus, sive Diaconatus. Porro, ne quis putet, Ἐπισκοπὴν, nomen *Dignitatis*, quod alendæ ambitioni dicatum sit, vel *Redituum* esse, quod avaritiam explere debeat; egregiè Paulus cit. loc. addit, Ἐπισκοπὴν esse ἔργον, non Dignitatis & Honoris fomentum; non auri hamum; non deliciarum penum; sed ἔργον, *opus*, *molestiam*, *laborem*, *servitium*, adeoque tale quippiam, quod non molles, sed viros molestiarum & laboris patientes exigat & doceat.

Ibid. Animum adplicant:] De applicatione animi ad munus Ecclesiasticum scribit Paulus *I. Tim. III. 1. Fidus est hic sermo: Si quis episcopatum appetit, præclarum opus desiderat.* Est autem hæc applicatio duplex, *una* remota, *altera* propinqua. *Remota* applicatio est, quando quis Studium Theologicum

amplectitur, & sese ad munus sacrum præparat: *Propinqua*, quando quis ipsum munus sacrum immediatè ambit, & spartam quandam Ecclesiasticam actu ipso vel expetit, vel sibi patitur imponi. De hac applicatione animi, ad ipsum actum muneris sacri, dicendum erit in sectione sequente. Hoc loco agitur de applicatione remota, sive de applicatione animi ad studia Theologica, quibus nos ad munera Ecclesiastica præparamus. Ut verò hæc etiam applicatio rectè se habeat; illa veniunt abservanda, quæ B. Auctor pluribus explicanda, hac in sectione prima attingit, quæque, velut ad quinque capita, ab eodem revocantur, videlicet (1.) ad virtutes Christianas communes, quibus singulis Theologiæ Studiosus ornatus esse debet; (2.) ad singulare studium precum; (3.) ad indolem & dona naturalia, in quibus veluti vocatio quædam nuturalis latitat. (4.) ad Studii Theologici adminicula, & (5.) ad ipsius Studii Theologici partes. De singulis ad filum B. Auctoris, illa quæ utiliora videbuntur, annotabimus.

Ibid. Imprimis pietatis:] De pietate seu Religione in DEUM, fusius egit noster autor in *Part. III. General. cap. VII. & IIX.* ubi officia hominis Christiani in DEUM, tàm quoad cultum internum, quàm externum ex professo tradita fuerunt. Constat igitur h. l. quòd Pietas sit duplex, *vera* & *ficta*. Ficta pietas

pietas est, quando vel quis impius dolo malo, ut aliis imponat, pietatem exterius fingit; *vel*, si seriò egerit, quod agit, suam sibi propriam, extra DEI verbum & Christi Spiritum, fingit sanctimoniam & religionem: de quo spectro pietatis, inter opposita vitia dicendum erit. Hic loci verò vera pietas indicatur, quæ sincera est & in se, & ex parte exercitii, nihil simulati, nihil fucati habet, adeoque describi potest, quòd sit *Virtus in DEUM, religiosè & sincerè exsolvens omnia officia DEO, quæ ipsi, maximè ex verbi sui præscripto debentur.* De hac virtute *integrum IIX. Caput* habetur in *Theol. Pract. Hornbeccii libr. IX. pag. 213.* Hac virtute non potest carere studium Theologicum, adeo ut sine pietate, non tàm veri Theologi, quàm homines protervi & Ecclesiæ ulcera, sint exspectandi. *Pietas* autem non modò, uti *ad omnia*, sic quoque ad Studium Theologicum *utilis est*, *I. Tim. IV. v. 8.* sed *est principium Sapientiæ*, ראשית דעת, *principium cognitionis*, *Proverb I. v. 7.* conf. *Psal. CXI. v. 10. Sirac. I. 16* Unde egregiè scribitur *Sapientia I. v. 4 5. In maleficam animam non intrabit Sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccato. Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolum, & amovebitur à cogitationibus stultis.* Hinc B. *Lutherus in Præfat. Tom. I. Jen. Germ.* jussit in Theologicis profectus consecutorum, statim in principio studii hujus, desperare de

nostris viribus, & piè ad DEUM confugere per preces, tanquam ad unicum Sapientiæ fontem. Qua de re paulò post ad §. VI. ex instituto plura. Conf. interim *Ethicam Pastoralem D. Quensted. Monit. XXX. p. 212. seqq.*

Ibid. Reliquarum virtutum Christianarum (quarumvis :) Quemadmodum pietas nunc latiùs, nunc strictiùs accipitur, & latiùs denotat omnium officiorum Christianorum, tàm in DEUM, quàm in nosmet ipsos & proximum, complexum; strictiùs autem pro solis in DEUM officiis capitur, ita facilè intelligitur, tam arctum nexum esse inter pietatem & quasvis alias virtutes Christianas, ut nullo modo pietas vera cum ullo vitio stare possit. De Virtutibus Christianis in nosmet ipsos egimus ad *Part. præced. cap. IX.* de Virtutibus Christianis in Proximum dictum fuit *partis ejusdem cap. X.* unde lux his verbis affundi debet. Requiritur autem in Studioso Theologiæ omnium virtutum Christianarum complexus, non modò, quia Christianum omnes virtutes Christianæ per se decent; sed etiam speciatim (1.) quia nulla virtus est Christiana, quin Studiosum Theologiæ juvet atque promoveat in suo stadio decurrendo; (2.) quia de officio pastoris est, ut sit exemplar gregis, in omni virtutis genere; nec voce solùm, sed etiam quàm maximè vitâ ædificet *I. Timoth. IV. 12. Tit. II. 7. I. Petr. V. 3.* Evidens ergo est, quòd Studioso

dioso Theologiæ incumbat, non minus studere puritati vitæ, quàm doctrinæ, quia utroque modò ad ædificationem tendere & se præparare debet. Frustra quippe sunt, qui putant, virtutes Christianas sine studio, (maximè si quis alios debeat suo exemplo juvare & instruere) & sine labore addisci. Omnia alia nos edocuit Spiritus sanctus *I. Tim. IV. 7. 8. & II. Petr. I. v. 5. ad 11.* Quam in rem plura dixi in *Nucleo* meo *Veri Christianismi Part. II. pag. 16. ad pag. 33.*

Ibid. Humilitatis & Modestiæ:) Græce dicuntur hæ virtutes ταπεινοφροσύνη, & ab aliis distinguuntur, ab aliis pro una eademque habentur. Sunt autem humiles, qui humiliter de semetipsis & suis donis statuunt, nec plura sibi arrogant, quàm habent; unde, nec aliis sese præferunt, sed potius suo se modulo & pede metiuntur. Hæc virtus exercetur *partim* erga DEUM, quando jugi pœnitentiæ exercitio, nostram indignitatem, infirmitatem & fragilitatem agnoscimus, adeoque non modò captivamus rationem ad obediendum Christo, secundum illud Pauli *II. Cor.* X. 5. sed etiam adeo nihil agimus ex confidentia nostrarum virium, ut potius unicè confidamus misericordiæ divinæ, & omnia ab illa unicè nobis petamus & expectemus, exemplo Pauli *II. Corinth. XII. v. 9.* scribentis: *Libentissimè gloriabor potius de infirmitatibus meis, ut habitet in me potentia Chri-*

sti. Deinde etiam *partim* eadem virtus exercetur erga proximum, quando videlicet, præcipuè S. Theologiæ cultores, ex jugi suarum propriarum infirmitatum meditatione & consideratione (1.) in judiciis de Proximo ejusque actionibus ferendis modestos se gerunt, nec statim improbant vel damnant, quod à suo instituto, diversum vident, cùm fieri possit, ut DEUS *vel* alio modo ducat alium, *vel* alter majoribus jam sit instructus profectibus & donis, atque nos, *vel*, ut alia ratio diversitatis subsit. (2.) Humilitatis officium est, quod Proximo debemus, quando ejus defectibus non statim insultamus, sed nostrorum defectuum memores, discimus, *si quis homo fuerit aliquâ offensâ præoccupatus, eundem instaurare cum Spiritu mansvetudinis*, *Galat. VI. 1.* & *cum lenitate erudire eos, qui contrario animo sunt affecti II. Timoth. II. 25.* Tandem exercetur modestia etiam *partim* erga nos ipsos, quando discimus (ut pluribus graviter edocet *Dn. D. Spenerus* in opusculo Germanico, Würdiger Studiosus Theologiæ, *pag. 117. & seqq.*) nobis temperare à scriptis curiosis, suspectis, erroneis, fanaticis, imo etiam atheismum sapientibus. Nec enim hæc venena quemlibet, citra apertum periculum mortis, lectorem ferunt. Digna sunt verba, quæ huc transferantur: Weil mir eben unter die gefährlichen Anfechtungen und Versuchungen der Studiosorum gesetzt/

daß

daß sie manchmahl an statt der ihren nützlichen/ hinder andere fürwitzige / verdächtige / irrige / schwärmerische / oder gar Atheistische Bücher gerathen / oder auch solcher gefährlicher Leute Umgang suchen / und mit ihnen sich in Disputat einlassen / aber sich darinnen der an sich selbst allen Christen frey gegebenen Prüfung mißbrauchende/leicht dadurch in schweren Irrthum sich selbsten stürtzen / auch wohl gar darüber verlohren gehen können (an welchen Exempeln es auch nicht mangelt;) so ist abermahl die wahre Demuth das vortrefflichste Mittel/ vor gedachter Gefahr sich zu hüten: wann sie gedencken / ihrem Alter und Stand komme noch zu / allein ihres Glaubens Grund in dem unbetrieglichen göttlichen Wort zu legen / und was die fernere Anleitung anlangt / zu derselben bey solchen Büchern zu verbleiben / die ausser billichem Verdacht sind / und ihnen von Christlichen Lehrern / deren Treue sie aus ziemlichen Kennzeichen erkannt / als zu ihrem Zweck am dienstlichsten vorgeschlagen werden; Hingegen erstreckte sich ihr Maß noch nicht so weit/ alle Bücher und Geister zu prüfen / und die mit vielem Schein verlarvete Falschheit zu entdecken / daher auch nicht über ausserordentliche Dinge und vorgeben zu urtheilen / noch auch sich auf dieselbige zu legen: deßwegen sie vielmehr/ wollen sich nicht anders mit grössester Vermessenheit GOtt versuchen / solche schwe-

re Prüfungen/ da man sich leicht an andern versündigen / und seiner Seelen Schaden thun kan/denjenigen überlassen/ die in den Wegen des Herren erfahrener / und mit mehr Gaben ausgerüstet sind &c. Hoc aureum monitum, o utinam rectius expenderemus in praxi quotidiana! Quantum commodum posset inde enasci?

Pag. 498. §. eod. Temperantiæ:) Virtus hæc est sexti præcepti, & præscribit modum circa veneris, cibi & potus usum: de qua superius dictum fuit in *Part. General. III. cap. IX. sect. II.* Hæc virtus decet studiosum Theologiæ præ aliis, (1.) quia eos, qui *Spirituales* dici volunt, ac olim debent, nihil magis deformat, quàm intemperantia in carnis & gulæ deliciis. Carnales sunt, non spirituales, qui in praxi non observant illud Pauli *I. Corinth. IX. 27. Contundo corpus meum, & in servitutem redigo: ne quo modo, cùm aliis prædicarim, ipse reprobus fiam.* (2.) Studendum est temperantiæ, quia in officio sacro nulla re magis impedimur, quàm intemperantiâ. Quàm facilis lapsus sit, etiam ex conjugali amore, in carnales curas, satis demonstrat Paulus *I. Corinth. VII. 32. 33.* Quid igitur nobis polliceamur de iis, qui spartam propter Marthani expetunt, & magis curant in Academiis & Scholis, quo modo puellis placeant, quàm quo modo placituri sint Domino? Porro compotationes & comessationes aperta sunt

pec-

peccata & opera carnis, quibus qui se dederunt, illi planè sunt inhabiles ad ministerium verbi & Mysteriorum Dei, cùm res tanti moment non ferant alium, quàm animum sobrium.

Ibid. Αὐταρκείας:) Hanc virtutem commendat Paulus *Timotheo I. Epist VI. 6.* Latini reddunt per *Animum sua sorte contentum.* Opponitur omnium vitiorum radici, Avaritiæ. Objectum ejus sunt opes & divitiæ seculi hujus. Prout igitur avari sunt, qui corradendis, vel obtinendis rebus iftiusmodi vanis inhiant, ita αὐταρκείας laudem merentur, qui cum Paulo didicerunt *contenti esse iis ipsis, in quibus sunt, Philipp. IV. 11.* Hæc virtus decet Theologiæ cultores, ne ad officium sacrum admoti, lucri cupiditate talia designent, quæ ædificationem impediant & scandala pareant, exemplo Bileami *II. Petr. II. 15.* Judæ Iscariotæ *Joh. XII. 4. 5. 6.* filiorum Samuelis *I. Sam. IIX. 3. &c.*

Pag. ead. §. II. Sine vera pietate:) Pietas vera opponitur omnino non modò impietati & Atheismo aperto, quem illusores profitentur, de quibus agit *Petrus II. Epist. III. v. 3.* sed etiam opponitur Hypocrisi seu fictæ pietati, quæ duplex est; *una*, quæ impietatem cordis, externâ simulatione, ut fucum faciat, tegit; *altera*, quæ integrâ mente pietati non veræ studet. Est autem in se falsa pietas, *partim* cultus legalis contra justitiam Dei erectus, de quo vide Paulum

Rom.

Rom. X. 2. 3. seqq. partim DEI cultus prorsus humano consilio excogitatus, sive electitius, de quo vide Christum, *Matth. XV. 9.* & Paulum *ad Coloss. II. 21. 22, 23.* Porro illorum, qui ex corde ficto simulant potius, quàm exercent serio pectore pietatem, videri possunt exempla, *Ezech. XXXIII. 31. Matth. XXIII. 14. 27 28. Actor. IIX. 19.* Quemadmodum autem peccant, qui sine vera pietate, Theologiæ studium præ se ferunt, ita multò magis illi delinquunt, qui hodie sæpius ex asse, in scholis & Academiis, sese filiorum illorum Belial (quos *I. Samuel II. 12.* ita nuncupatos legimus) hæredes probant, & Epicureismum sive Atheismum practicum atque Theologiæ studium, proh pudor & dolor! simul plenis buccis profitentur.

Ibid. Sine studio cæterarum virtutum:] Cùm enim deceat olim, & vitâ & doctrina docere Ecclesiam; Facile patet peccare eos, & deficere a suo scopo, qui vel unius virtutis christianæ cultum negligunt, quarum singularum habitu, ad exemplum usque, eos instructos postulat ipse finis Ministerii proprius.

Ibid. Ambitioni:] Pestis Ecclesiarum est Ecclesiasticorum superbia & ambitio. Hæc enim constans & perpetua mater scandalorum, Hæresium, Schismatum: id, quod Historia sacra & Ecclesiastica indubio consensu demonstrat. Vide *Actor. IIX. 18. 19.* exemplum Simonis

nis Magi, qui omnium Hæreticorum Patriarcha salutari solet. Conf. *I. Timoth. VI. 4. 5. 20.* Unde Apostolus *I. Timoth. III. 6.* cavet, ne futurus Ecclesiæ minister sit *inflatus*, sicque *incidat in crimination em calumniatoris.*

Ibid. Iracundiæ:] Ira furor brevis est, & cuncta male ministrat impetus. In rebus divinis autem, & quæ salutem animarum concernunt, plus quam pestis est, nihilque magis evertit & intervertit salutarem scopum mediorum & mysteriorum salutis, quàm iracundia. Conf. *Genes. IV. 5. seqq. Jonæ IV. 8 seqq. Luc. IX. 54. 55.* &c.

Ibid. Intemperantiæ:] Hujus sceleris vivum exemplar esse possunt *filii Eli, filii Belial, I. Samuel. II. 12. ad 17.* adde *v. 22.*

Ibid. Avaritiæ:] Vitium hoc magis senectæ, quàm juventutis esse solet. Quod si autem ufferit maturè mansura urtica, tantò pejor erit avaritia senis. Paulus eam vocat *radicem omnium malorum I. Tim. VI. 10.* addens, *quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & seipsos transfixerunt doloribus multis.* Confer quæ diximus ad §. præcedentem sub finem.

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:] Mandatum DEI, quod præscribit & exigit virtutes, quæ §. I. indicatæ fuerunt, multiplex est. Pietas præcipitur Theologiam profitenti Timo-

Timotheo, à Paulo *1. Tim. IV. v. 7.* In omnibus virtutibus Christianis, mox *v. 12.* ad exemplum usque jubet eundem excellere. Et quid multis? Integrè huc pertinet constitutio illa solennis, & etiam ex Catechesi nostra omnibus notissima *I. Tim. III. 2.* seqq. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, vigilantem, sobrium, compositum, hospitalem, aptum ad docendum: Non vinosum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum, sed moderatum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia* &c. Conf. ad *Tit. I. 6. 7. seqq.* Ex hoc duplici loco Pauli facilè constat, quibus virtutibus, digni olim sacrorum officiorum candidati futuri, non modò ad habitum, sed etiam ad exemplaris excellentiam usque, studere teneantur, & à quibus vitiis sibi debeant sedulò cavere. Præcipuè inter præcepta huc pertinentia excellit illud oraculum geminum Pauli: *Tu, homo Dei, fuge ista* (ambitionem in quæstionibus vanis, invidiam, lites, avaritiam &c.) *sectare autem justitiam, pietatem, fidem, charitatem, tolerantiam, lenitatem. I. Tim. VI. 11.* & *II. Timoth. II. 22. Juveniles cupiditates fuge, sed sectare justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis, qui invocant Dominum ex puro corde.* Sic enim reddi debent voces loci hujus posterioris initiales, *Fuge juveniles cupiditates*, νεωτερικὰς ἐπιθυμίας, ut solide ostendit *B. Bosius Exercitatione peculiari* in hunc locum, quæ tertia vice auctior

auctior prodiit *Jenæ 1673.* O auream regulam, quæ nunquam noſtræ ſtudioſæ juventuti ſatis repeti & inculari poteſt. Hæc enim cupiditatibus juvenilibus ſæpius eo usque indulget, ut ne ſenes quidem amplius a vitæ academicæ, quæ plerumque cacodæmoniaca eſſe ſolet, ſceleribus & flagitiis habitualibus recedere valeant.

Ibid. Exempla Sanctorum :) Paulus de vita ſua Academica dicere poterat, *quòd Hebræus ex Hebræis, religione Phariſæus, quoad juſtitiam, quæ eſt in lege, fuerit irreprehenſus, ad Philipp. III. 5. 6.* Vide, quæ de educatione Samuelis legimus *I. Sam. II. 18. ad 21.* item *v. 26.* Ex Antiquitate Eccleſiaſtica verò meritò commendamus ſtudioſis Theologiæ exemplum *Baſilii M.* & *Gregorii Nazianzeni*, duorum illorum in diverſis Academiis commilitonum, quod ipſe narrat *Gregorius Orat. in Baſilium.* Exemplum hoc quoque dignum judicavit *B. D. Kortholtus* in libello poſthumo, qui inſcribitur, *Paſtor fidelis cap. IX. poſit. II. §. 3. pag. 353.* ſeqq. quod integrum deſcriberet : *Unum hoc*, ait Gregorius, *ab utroque noſtrum agebatur, ut virtutem coleremus, atque ad futuras ſpes vitæ noſtræ rationes accommodaremus, ante mortem à terrâ migrantes. Quod quidem nobis ob oculos proponentes, vitam actionesque omnes noſtras dirigebamus tum divini præcepti ductum ſequentes,*

tum

tum alter alteri virtutis studium exstimulantes : atque (nisi hoc arrogantius dicere videar) uterque alteri norma atque amussis eramus, qua rectum à pravo discernitur, Nec enim cum flagitiosissimis ac petulantissimis quibusque sodalium nostrorum consvetudinem habebamus, sed cum optimis & honestissimis, nec cum pugnacissimis, sed cum tranquillissimis & pacatissimis, iisque quorum consvetudo maximos fructus afferebat : illud nimirum exploratum habentes, multò facilius vitium trahi, quam virtutem communicari, quemadmodum facilius quoque morbus contrahitur, quàm sanitas impetratur. Disciplinis ergo non tàm jucundissimis, quàm præclarissimis oblectabamur : nam hinc quoque vel ad virtutem, vel ad vitium juvenes informantur. Duæ nobis viæ notæ erant, altera primaria & præstantior, quæ videlicet ad sacras domus nostras, sacrosque D. D. altera secundaria, nec ejusdem honoris, videlicet quæ ad externæ doctrinæ Professores ducebat. Reliquas omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conventus, epulas ferebant, volentibus relinquebamus. Nihil enim mea quidem sententiâ, magni faciendum est, quod nihil adfert ad rectè honesteque vivendum, nec sui studiosos meliores reddit. Hæc ex S. Gregorio Nazianzeno B. Kortholdus c it. loc. qui ad marginem, hæc adferens scribit: *Olim Studiosi Theologiæ quoque religiosi erant.* Nos repetimus ista, ut videamus, unde lapsi simus, & pœnitentiam agamus.

Ibid.

Ibid. Dignitas & decor virtutum illarum in candidato Ministerii:) Quanta gloria est, ministrum Domino probatum esse in ipso examine repertum; tanta est dignitas virtutum, per quas probati efficimur. Vid. *II. Tim. II. v. 21.* Imò quantus est Decor doctorum, *Daniel. XII. 3.* tanta est gloria virtutum, quibus inter doctores, eminentes reddimur.

Ibid. Utilitas hinc speranda:) Nihil dicam de honore temporali, qui aliquando sequitur invitos; nihil de commodis, quæ aliquando sponte accedunt non petentibus, ut discimus exemplo Salomonis *II. Chron. I. 12.* nefas enim est, ad hæc in ministerio sacro respicere. Sed utilitatem dico, quæ in publica Ecclesiæ salute & animarum ædificatione consistit. Ad hanc pertinet illud Pauli. *I. Tim. IV. v. 16. Attende tibi ipsi & doctrinæ: persiste in istis. Id enim si feceris & teipsum servabis, & eos, qui te audierint.*

Ibid. Oppositorum vitiorum ignominia & damnum:) Non solum ignominia & damnum singulis vitiis natura inest; sed præcipuè in ordine ad ministerium, habent illa vitia superius notata plurimum ignominiæ & damni. Vide quæ Christus *Matth. XXIII.* ex professo hanc in rem dicit & docet, item Paulus passim. v. gr. *I. Tim. III. 7. cap. VI. 4. 5. &c.* Omnium

pessimum est scandalum, quod vitia illa dant in Ecclesia. vid. *Matth. XIIX. 6. 7.* Hinc Paulus nihil egit æquè solicitè, quam ut scandala declinaret. Conf. *II. Corinth. VI. 3. Nullam ulla in re præbeamus offensionem, ne vituperetur ministerium.*

Pag. ead. §. IV. Theologiam esse practicam:) Non autem supèrvacuam Theoriam, quæ in nudis speculationibus consistat. Quicquid ergo Theologia docet, illud ad praxin vel mediatè, vel immediatè pertinet. Vide *B. Auctoris Theol. Posit. Proleg. cap. I. §. III. & XV.* Ergo contra Theologiæ naturam agunt, qui sine praxi Christiana doctrinam tantum in Theologia venantur. E contrario qui indolem Theologiæ sequuntur, per hanc ipsam ad praxin Christianam perducuntur & instruuntur.

Ibid. In lectione Bibliorum:) Lectio Bibliorum duplex est, cursoria & accurata; de qua pluribus inferius ad §. XXIV. In utraque requiritur, ut ea sedulò notemus, quæ ad exercitium pietatis & reliquarum virtutum Christianarum concitant, quales textus sunt v.gr. *Genes. IV. 7.* (si textum sequi velis in versione Germanica) quanquam omnino in hoc dictum consuli mereantur, *Hackspanius in Miscellan. libr. I. c. 4. & Saubertus in Operibus Posthumis, pag. 13. 14. 15. cap. VI. 3. seqq. cap. IIX. v. 20. 21.* &c. Præcipuè huc pertinent loca *Luc. XII. 47. 48. Joh.*

Joh. XIII. v. 17. I. Tim. IV. 7. 8. II. Petr. I. v. 5. seqq. Jacob. II. 17. 18. 19. &c.

Ibid. Aliorumve Scriptorum Sacrorum practicorum:) Talia scripta plurima prostant, quæ non sunt unius generis. Alia sunt Philosophica, alia Theologica; alia Patrum, alia recentiorum Auctorum; & rursus alia sana, alia falsis hypothesibus infecta. Porro alia sunt Moralia, alia Casuistica, alia Ascetica, alia Mystica &c. Plura, si placet, hanc in rem repetere ex nostra *dissertatione præmiali* ad *B. Dürrii compendium Theologiæ Moralis*.

Ibid. Quæ ad exercitium virtutum Christianarum — possunt incitare:) Scripta sacra & alia practica nos juvant in exercitio pietatis & virtutum christianarum, non uno modo. Nam (1.) Suggerunt *motiva*, quæ nos ad virtutes exercendas concitant & commovent, submini-strando Mandata DEI, Exempla DEI & Christi atque Sanctorum, item dignitatem, utilitatem, facilitatem, jucunditatem virtutum, &c. (2.) *Media*, quibus in praxi instituimur & juvamur, v. gr. meditationem verbi, precum assiduitatem, considerationem novissimorum &c. (3.) notant *impedimenta*, & (4.) ostendunt *modum removendi eadem*. Atque hoc nomine, sine dubio, noster *B. Bajerus* laudem immortalem sua *Theologiâ morali* meruit, quòd practicè eandem

pertractando, non nudam dederit Theoriam virtutum & vitiorum; sed etiam ex professo tractarit de Motivis, Mediis, Impedimentis, & Ratione removendi impedimenta.

Ibid. Conversatio cum hominibus piis:] Sic proficere annisi sunt cordatorum virorum plures. Ex historia Ecclesiastica adduxeramus paulo ante exemplum *Basilii M. & Nazianzeni.* Ita proficere debuerant ex conversatione cum Christo, Apostoli. Imo omnes pii, qui insignes profectus meditabantur, hoc medio sunt usi. Præcipuè Paulus, Timothei profectus ex conversatione cum Paulo laudat *II. Tim. III. 10. 11. Tu assecutus es, doctrinam meam, vitæ meæ rationem, propositum, fidem, lenitatem, charitatem, tolerantiam, persecutiones, afflictiones &c.* Conf. *Philipp. II. 20.* Proficimus autem ex conversatione cum piis, dum illorum percipimus monita, consilia, videmus eorum gesta & mores.

Pag. ead. §. V. Solum eruditionis aut futuræ promotionis causa:] Est hæc fundi nostri præcipue calamitas, quòd plerique omnes non tractamus sacra propter Deum & salutem gregis, sed propter mercedem, & ut habeamus, unde vivamus & alamus familiam. Alii ad gloriam seculi sua referunt studia; alii ad alias res vanas. Allaborandum ergo, ne nihil alieni à vero scripserit *B. Puffendorfius in Introduct. in Histor. Regn. & Stat. Europæ cap. XII.*

§. 4

§. 41. p. 886. Man kan nicht in Abrede seyn / daß bey der Päbstischen Clerisey sich durchgehends mehr Eiffer / Mühe und industria finden / ihre Religion fortzupflantzen / als bey den Protestirenden; Denn viele bey ihren geistlichen Bestallungen meistens dahin sehen / wie sie sich davon ernähren / als man sonst bey einem Handwerck sein Brod suchet / und muß die Erbauung des Reichs GOttes nur in der Reserve stehen. Quod de Pastoribus & ministris verbi pluribus Puffendorfius, dicere non dubitavit; id de studiosis Theologiæ pluribus evincit *partim* vita academica negligentior, vana & profana, *partim* vita candidatorum ministerii desperatus cursus, sicubi vacat salarium officii alicujus: Qua de re ad Sectionem sequentem plura.

Ibid. Societas cum improbis:) Maximè in vita Academica, ubi nihil majora damna infert Ecclesiæ, quàm societatum improbitas, quæ vel negligentius impeditur, vel periculosius, aliquando lucri causa, alitur. Multa enim ingenia non incommoda perierunt in Academiis & adhuc pereunt, quod veluti oves venerint ad lupos, cum quibus ululare primo cogebantur, mox discebant, tandem etiam gaudebant. Hanc pestem quam solicitè fugerint Basilius M. & Gregorius Nazianzenus, ex iis patet, quæ ad §. III. paulò ante dixeramus. Pertinet huc illud Pauli

I. Corinth. XV. 33. Ne errate: Mores bonos colloquia corrumpunt mala Conf. *Sap. IV. 12.*

Pag. ead. §. IV. Serium & quotidianum orandi studium:) *B. Lutherus Præfat. Tom. I. Jenens. German.* Du sollst an deinem Sinn und Verstand stracks verzagen / dann damit wirst du es nicht erlangen --- Sondern knie nieder in dein Kämmerlein / und bitte mit rechter Demuth zu GOtt / daß Er durch seinen lieben Sohn / wolle seinen heiligen Geist geben / der dich erleuchte. Sic in *Proverbiis* dicitur *cap. II. 3. 4. 5. Si ad intelligentiam clamaveris, intelligentiæ vocem dederis tuam, si quæsiveris eam, tanquam argentum, & sicut thesauros absconditos, scrutatus fueris eam; tunc intelliges timorem Domini.* Studii hujus in studio Theologico major est necessitas, quam ut debeat demum probari. Adducit tamen *B. D. Joh. Gerhardus in Meth. Stud. Theol. Part. I. cap. III.* (edit. Jen. 1622.) *p. 24. 25. seqq.* fundamenta plura, quæ ibi legi possunt. Nos ad textum B. Auctoris notamus, quod notanter dixerit studium orandi (1.) *Serium:* Id enim non tantum ostendunt verba *Proverbiorum* paulò antè allata, sed etiam expressâ monet *Jacobus cap. I. v. 6. 7. Postulet cum fide, nihil disceptans: nam qui disceptat, similis est fluctui maris qui ventis agitatur & jactatur. Ne igitur existimet homo ille, se quicquam accepturum à Domino.*

mino. Idem pluribus docet exemplum Davidis, qui in hac arte Roſcium egit: *Pſalm. CXIX. v. 10.* ait *Domine in toto corde meo exquiſivite.* Conf. *v. 19. 33. 125. 169.* &c. (2.) *Quotidianum* dicit, h. e. conſtans, nec unquam diutius intermiſſum. Tempus orandi Apoſtolus vult eſſe indefinitum *Rom. XII. 12. Epheſ. VI. 18. I. Theſſ. V. 17.* quia ſubinde orandum eſt, & preces Chriſtianum quemvis ſemper decent. *Studioſum verò Theologiæ oportet non hoc ſolum cum Chriſtianis aliis commune habere, ſed iſtud peculiare, quod aggreſſurus ſtudia, pro felici eorum ſucceſſu; vacaturus à ſtudiis, pro felici recordatione & uſu; imò verò inter ipſa ſtudia, ſæpe in ſuſpiria reſolvatur, pro ſenſus difficilis enodatione, aut languoris, qui frequenter ſuboritur, refocillatione, ex Pſalm. 104. 31.* Emitte Domine Spiritum tuum, & recreabuntur vires meæ, & renovabis faciem terræ. *Vel:* Emitte lucem tuam, DEUS, & veritatem tuam, ipſa me deducant & adducant in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua, *ex Pſalm. XXXIV. 3.* Hæc *B. D. Hülſemannus in Method. Stud. Theol. pag. 221.* Conf. *Quenſtedii Eth. Paſtor. pag. 100. ſeqq.*

Pag. 499. §. VII. Neglectus precum & torpor in illis:) Neglectus precum opponitur ſtudio orandi quotidiano; torpor, ſtudio orandi ſerio. In vitio ponitur utrumque: quia utrumque carnali-

tatis argumentum est, & quidem neglectus, triumphantis; torpor, vincentis.

Pag. ead. §. IIX. Mandatum Dei:] Preces pro sapientia divinitus impetranda præcipiuntur in Scripturis passim. Eminent loca *Luc. XI. v. 9. 13. Jac. I. 5.*

Ibid. Exempla Sanctorum:] *Davidis*, præcipuè Psalm. CXIX. *Lutheri*, ut ex ejus methodo proficiendi in Theologia patet, nec non plurium Patrum, quorum formulas precandi collegit *B. D. Joh. Gerhardus in Methodo cit. loc. à pag. 30. ad 37.* Sunt autem illi, *Hilarius*, *Ephrem Syrus*, *Augustinus*, *Fulgentius*, *Thomas Aquinas*, *Lutherus*. Conf. *B. D. Hülsemannum cit. loc. pag. 222. 223.* Cumprimis huc pertinent preces illæ beatæ *Act. IV. à v. 24. ad 31.*

Ibid. Precum necessitas & utilitas:] *Tum* in genere; de qua re superiùs in *Parte General. cap. VII. Sect. IX. §. III. pag. 402. seqq. & cap. IIX. Sect. III.* nostrisque ad eandem notis. *Tum* in specie quoad studium Theologicum, quod quidem ipsum tam arctum habet cum oratione nexum, ut egregiè *B. Hülsemannus cit. loc. p. 210.* domonstret orationem esse ejusmodi laborem, qui ipse sit studium Theologicum quoddam, non solùm quòd mentem alliget & quasi circulis quibusdam divinæ intentionis constringat, ne profanis desideriis imbuatur, sed quòd per se quàm propriè & proximè mentem informet meditatione earum rerum, quæ pe-

petuntur & à quo petuntur. De reliquo *necessitas* precum in studio Theologico patet, quia nihil nostris viribus naturalibus in rebus divinis proficere valemus, sed cœlitus impetrare cogimur illuminationem & vim Spiritus sancti, *sine cujus luce ne unum quidem Jota in Scripturis perspicuum esse*, dixit B. Lutherus. Quod tamen assertum, quomodo intelligendum sit, edocuit B. *Bajerus noster in Theol. Posit. Proleg. cap. II. § XLI.* Porro *Utilitas* patet ex bonis, quæ precibus impetramus, qualia sunt Spiritus Sanctus, fides, sapientia cœlestis, profectus in gratia apud DEUM & homines.

Ibid. Oppositi vitii damnum:] Huc refer illud *Jacobi cap. IV. v. 2. 3. Pugnatis & bellatis, non tamen obtinetis, propterea quod non petitis. Petitis & non accipitis, eò quod malè petatis.*

Pag. ead. §. IX. Lectio librorum, qui & studium orandi urgent;] Et quidem sic, ut simul rationes & media ostendant, quibus in hoc studio emergimus & proficimus; qualia scripta Ascetica passim obvia sunt. Vide B. D. *Joh.* Arnd / vom wahren Christenthum / *libr. II. cap. V.* item *cap. XX.* quod cumprimis lectu dignum est, & alibi passim. Laudem etiam meretur B. D. *Henr. Müllerus* in geistlichen Erquick-Stunden / *Cap. IIX.*

LIII. CXLV. CCXI. CCXLIV. & seqq. Ut id genus alios auctores plures taceam.

Ibid. Et formulas precum egregias præscribunt:) Studiosis formulas precum collegit B. *Gerhardus in Method.* ut & *B. D. Hülsemannus in Meth. cit. loc. cc. ll.* Sunt libelli precum obvii. qui integri ad vitam studiis incumbentium ordinati sunt, v. gr. *Fellert, Clasenii* &c. Concinnitas formularum precum, imo, pondus earundem & pendet ex stylo & Spiritu Scripturarum. Vide plura hanc in rem in nostro Nucleo *Ver. Christian. Part. III. tract. I. p. 365. & seqq. ut & pag. 562. seqq.*

Ibid, Privatum erandi exercitium:) Hoc enim studium practicum est, & exercitio discitur & perficitur: id quod experientia docet quotidiana. Quo enim rarius quis orat, tanto minus aptus erit ad orandum, sicubi orare cupit: & vice versa, Quo sæpius oramus, eo libentius & ardentius oramus.

Pag. ead. §. X. Vana fiducia propriarum Virium:) Qui enim suis viribus nititur & confidit, non opus habet precibus; quemadmodum cæco non opus est duce, si ipse se credit plus satis oculatum.

Ibid. Morum hujus seculi imitatio:) Precum ardor hoc in seculo adeo defecit, ut vel planè nos pudeat & pigeat precum, vel frigidæ, præcipitatæ, & exanimes sint,

sint. Si quid solennitatis habent; illud raro ex Spiritu Christi nanciscuntur: si quid fervoris; vel ex carne accipiunt, vel fortassis ex strepitu tormentorum, & ex ignibus artificialibus accensis, quibus seculi splendor preces, maximè Eucharisticas solenniores suas ornare & condire solet. O ignitas preces seculi frigidi!

Pag. ead. §. XI. Ingenium ad percipiendam solidiorem scientiam:) Dona hæc dicuntur Naturalia, *ingenium*, *memoria*, *judicium*, *Parrhesia*, *Sermo distinctus*, *suavisque*; quibus jungunt stimulum quendam veluti nativum, ad res sacras tractandas: quanquam rectè moneat *B. D. Christianus Chemnitius*, quòd *Inclinatio* illa dicatur *Naturalis*, non tam *effectivè*, quasi ex viribus naturæ esset, quam *subjectivè*, quoniam à Spiritu S. ingenio, indoli & naturæ illorum, quibus inest, implantata deprehendatur, ita ut illa indoles & inclinatio, quæ sese sponte prodit, non sit contemnenda, sed tanquam *vocatio naturalis* æstimanda, maximè si fuerit constans, efficax, & ut ita dicam, ingenua, non autem affectata, insulsa, & vel à matribus, vel nutricibus, vel ab aliis pueritiæ cereæ instillata & quasi affricta. Quod si tamen Inclinatio ejusmodi singularis non statim se prodiderit; sufficiat, si appareant *dona naturalia*, quæ in hoc §. nostro

ſtro recenſentur, ſique iis, ætate ſuccreſcente, accedat *deliberatum conſilium.* Placet etiam illorum obſervatio, qui monent, ad ſtudium ſacrum non præcisè requiri ingenium ſummum, ſed aliquando feliciora eſſe ingenia mediocria, quæ ſedulitate & pietate tarditatem naturæ emendant & corrigunt. *Ingenium* ergo, modò ne planè nullum ſit, etſi non ſit adeo excellens & planè ſingulare, poterit ſufficere, ſi ſedulitas & pietas acceſſerit. In ſolatium illorum, qui à meliore mente, quàm ingenio aliquando inſtructi, ad ſacra ſtudia adſpirant, placet allegare exemplum Magni Theologi, *B. D. Jacobi Andreæ, Waiblingenſis*, de quo Nepos ejus, *Joh. Valentinus Andreæ, in Fama Andreana reflorescente, pag. 5. & 6.* pluribus recenſet primum, quod Jacobus ille, puer annorum decem, ſuſtinuit examen, in quo planè rudis à *B. Erhardo Schnepfio* deprehendebatur. Vix enim longo apparatu extorſerat tandem examinator Jacobo puero, hanc horum verborum Germanicorum, ich hab zwölf Thiere daheim / verſionem latinam, *Ego habes domus duodecim animal.* Schnepfius tamen adeo non abjecit ſpem de puero, ut potius ex facie ingenium colligeret, quàm ex ſpecimine miſerrimo. De reliquo non omni ingenio carere poſſe, qui ad Studia Eccleſiaſtica accedere cupiunt, in propatulo eſt. Quomodo enim docebit olim, qui ad diſcendum & ju-

& judicandum non est idoneus ? Certè qui non est capax disciplinæ & doctrinæ, frustra ambit vitæ genus, in quo disciplinam & doctrinam profitemur.

Ibid. Ad docendos alios idoneum:] Paulus ideo inter virtutes Episcopi expressam facit mentionem etiam hujus, ut sit διδακτικὸς, seu *aptus ad docendum I. Tim. III. 2.* Est hoc donum partim naturæ, partim industriæ. *Natura* suggerit indolem facilem; *Industria* autem cultum & observationes practicas. Confer opusculum non contemnendum, quod ante paucos annos prodiit sub titulo, der gute Schulmann: ubi varia occurrunt, quæ non modò illos juvant, qui scholis operam suam destinarunt, sed etiam quæ pastores, maximè in catechisatione, decent.

Ibid. Animum laboris & molestiarum patientem:) Est enim Episcopatus *opus* (ἔργον) non otium *I. Tim. III. 1.* Neque desides, sed vigiles esse oportet Pastores *Ezechiel. XXXIII. 7. Ebr. XIII. 17.* Conf. *II. Timoth. II. 3. 4. 5.* Virili ergo animo sunto, quotquot munus sacrum expetunt.

Pag. ead. §. XII. Ingenio hebeti:) h.e. tali, quod nec doctrinam facilè admittit, nec facilè reddit. Confer tamen quæ notavimus ad §. præcedentem.

Ibid. Animo molli & delicato:] Sive indole tali, quæ nec labores, nec molestias

stias ferre potest, sed starim remittit, frangitur, vel etiam variis affectibus solvitur, ut sunt ira, odium, desperatio &c.

Pag. ead. §. XIII. Non nisi cum ingenio apto -- accedendi ad functionem Ecclesiasticam:] Cautè hic procedendum est, ne in alterutrum extremorum excedamus, & *vel* majores fingamus difficultates, quam par est, sicque præter sufficientes causas, fugiamus studium Theologicum; *vel* leviori animo huic immergamur negotio, ex quo deinde non datur satis tuta occasio commodè emergendi. Ut consilio nostro qualicunque conscientiam hîc hærentem juvemus, pauca monebimus. I. Cogita, nihil beatius, nihilque gratius DEO esse posse, nec quicquam dignius esse Christiano homine, quam hoc vitæ genus, in quo proximum ad justitiam & salutem æternam instituimus, ecclesiam Christi directè ædificamus & propagamus, sicque salvamus & nos & eos, qui nos audiunt. Expende *Dan. XII. 3. I. Tim. IV. 16. I. Petr. V. 2. 3. 4.* &c. Hinc constabit, neminem posse, si divinitus se intellexerit ad tantum opus instructum, illud negligere, & aliud vitæ genus huic præferre, ad quod nos tota velut religio, ejusque præstantia specialiter obligat & invitat; nisi fortè aliæ circumstantiæ satis luculenter ostenderint, DEUM nos vello alio officio in Ecclesia fungi, & v. gr. Regere

sub-

ſubditos, ſi qui jure hæreditario ad nos redi-turi ſint, &c. His enim in caſibus, vocatio noſtra ſpecialis ad certum vitæ genus, illi generali prævalet. II. Ubi iſtam rectè expenderis obligationem, quæ, cæteris paribus, quemque Chriſtianum ad munus ſacrum, præ reliquis vitæ generibus, invitat, imo adſtringit; jam porro in te deſcende, & non modo diſpice, an non inclinatio quædam & ſtimulus arcanus tete ulterius moveat, ad hoc potius, quam ad aliud vitæ genus amplectendum; ſed etiam ſedulo excute Tua dona naturalia, memoriam, judicium, ingenium, parrheſiam, ſermonis dotes &c. Inclinatio peculiaris & ille naturalis ſtimulus, ſi nobis adfuerit, vix, ac ne vix quidem poterit à quoquam, citra urgentiſſimas rationes, negligi, ſepeliri & ſuffocari. Certè enim, ſi quos alios, hos dixeris, ab utero matris & à puero ordinatos ad miniſterium verbi & munus ſacrum, exemplo Pauli; *Galat. I. v. 15. 16.* Timothei, *II. ad Timoth. I. 5. 6.* Maximè ſtringit illa inclinatio naturalis, ſi fuerit ſtipata huc pertinentibus ſubſidiis, tam naturalibus, quam fortunæ donis, v. gr. Bibliothecâ, ſumtibus neceſſariis &c. III. & quidem præcipuè, ſi defuerint illi inclinationi dona naturalia, vel etiam ſubſidia, quæ hoc ſtudium exigit; magna attentione opus eſt & ſcrutinio Tuæ inclinationis; an vera ſit illa? an Spuria? ſpe honoris, divitiarum, otii,

vel

vel aliarum rerum vanarum, in te fortassis concitata? Si hoc; habeto illam Tuam inclinationem pro opere carnis, quod pœnitentia seria vel emendandum, vel plane abjiciendum veniat. Quod si autem nihil vani te concitarit ad studium sacrum; præcipuè, si tantum bona fortunæ defuerint; consule viros cordatos, graves, pios, & confide DEO. *Dominus providebit. Qui fidem habet, videbit.*

Ibid. Mandatum DEI:) Talia loca exstant *I. Tim. III. 3. II. Tim. II. v. 24. Tit. I. v. 8. Oportet enim episcopum esse* διδακτικὸν, h. e. *aptum ad docendum*, item σώφρονα, *modestum*, ἀνεξίκακον, seu *tolerantem malos*, & quæ alia id genus requisita sunt, quæ vel indolem liberalem exposcunt atque supponunt, vel formaliter important. Præparationem decentem quoque divinitus mandatam esse, rectè colligitur ex probatione divinitus præcepta. *I. Tim. III. 10. cap. V. 22.*

Pag. 500. §. eod. Exempla Sanctorum:) Hi enim, si dona sibi deesse intellexerunt necessaria, adeo noluerunt, sese muneribus sanctis obtrudere, ut etiam oblata deprecati legantur. Moses excusavit balbutiem *Exodi IV. 10.* Jeremias juventutem *Jerem. I. 6.* &c. Exempla eorum, qui muneribus sacris præparationem præmiserunt, sunt Samuelis, Eliæ, discipulorum Christi, Timothei &c. Quid? ipse Christus maluit prius proficere,

Luc. II. 52. quàm munus Propheticum publicè occupare.

Ibid. Analogia omnium aliarum functionum:) Invitâ naturâ, in nullo habitu vel arte quis felices fecerit progressus. Notum est illud proverbium : *Stultitia est, venatum ducere invitos canes.*

Ibid. Homini bene præparato:) Hæc non modò videtur ratio, ob quam DEUS sacerdotale officium in V. T. hæreditarium esse voluerit, quia nimirum ab ineunte ætate ex conversatione paterna, instructi homines & magis præparati poterant exspectari; sed noti quoque sunt *filii Prophetarum*, ex libris *Samuelis* & *Regum*, itemque aliæ Judæorum Scholæ, quas etiam olim sanctus Paulus frequentarat, prout ex *Actis Apostolorum* constat, Vid. *Actor. XXII. 3. cap. XXVI. 5.* & alibi passim. Neque à vero quid alieni dicunt, qui Paulum, postquam ipsius eruditio & indules generosa per gratiam conversionis sanctificata fuerat, ideo præ reliquis Apostolis excellentem factum esse perhibent, ita ut etiam Christus ipse diceret de eodem *Actor. IX. v. 15. Organum electum est mihi iste : ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filiis Israël.* Præcipuè autem huc pertinet exemplum Timothei, qui per præparationem à puero erat redditus perfectus ad omne opus bonum, *II. Tim. III. v. 14. 15. 16. 17.* Adde exemplum Mosis, *Actor. VII.*

22. 23. qui inter alia ob id laudatur, quod eductus fuerit in omni Ægyptiorum sapientia.

Ibid. Damnum Ecclesiæ ipsisque Ministris impendet, nisi præparati accedant:) Damna sunt multiplicia, quæ Ecclesiæ & sibi adferunt Ministri parum rectè præparati. Nam (1.) vel ipsi corrumpunt doctrinam sacram, quam non satis rectè perceperunt, in quos adeo quadrat illud Pauli, *I. Tim. I. 7. Volentes esse Legis doctores, non intelligunt, quæ loquuntur.* Quemadmodum etiam olim Nestorius ex mera ruditate & superbia, in suam incidit hæresin, docente *Socrate in Hist. Eccl. libr. VII. cap. XXXII.* qui inter alia ait, *ubi libros à Nestorio editos lego, comperio virum hunc ex ignorantia dimicasse.* Et post nonnulla interjecta: *Inflatus propter eloquentiam, veteribus non accuratè incumbebat* &c. vel (2.) non sunt pares suo officio, quando adversariis os est obturandum, secundum illud Pauli *ad Tit. I. v. 9.* vel (3.) Consiliorum sanorum sunt inopes, & vel excessu vel defectu subinde peccant, adeoque damnum nunc integris Ecclesiis, nunc singulorum conscientiis inferunt, quas vel negligunt, vel imperitè tractant. Referri huc possunt loca *Prov. XXIX. 18. Thren. II. 14. I. Tim. VI. 3. 4. 5. II. Tim. II. 16. 17. 18. &c.* Nō solùm autem imparati & imperiti ejusmodi homines Ecclesias & conscientias miserè affligunt; sed etiam sibimet-

ipsis

ipsis sunt exitio, similes quippe illis, qui suo damno, igne peregrino utebantur in cultu sacro, *Levit. X. 1.* Conf. *Ezechiel. XXXIII. 8. Malach. II. 8. 9. Apocalyps. III. 15. 16. 17.*

Pag. ead. §. XIV. Adscito præceptore seu amico:) In re tanti momenti consilio accurato opus est; nec quisquam adeo sibi placeat, ut non malit sapientiorum & integrorum hominum judicia de se audire.

Ibid. Exploret vires ingenii:] Repete huc quæ diximus ad §. præcedentem in nota prima.

Ibid. Industriam suam magis magisque excitet:) Consideratione *partim* excellentiæ muneris sacri rectè tractati, *partim* verborum Christi *Matth. IX. v. 38.* ubi jubemur solicitè rogare DEUM, ut operarios mittat in messem; unde non potest non in animo pio oriri industria & attenta tantæ rei tractatio; *partim* meditatione gravitatis & periculi, quæ munus sacrum comitantur, nec animum levem socordem ferunt. Præterea excitatur industria, confirmatur & augetur ipso exercitio sui, quo mediante labor in consuetudinem, & hæc in alteram naturam abit.

Ibid. Recreationem aut otium in vicissitudine laborum quærat:) Otia damnantur, quæ nulla negotia tractant:

& nihil agendo homines malè agere discunt. Optima indoles est eorum, qui, dum animi vires remittunt, corpus exercent; vel magis feriis negotia minus operosa, recreationis causa substituunt.

Pag. ead. §. XV. Immoderata Φιλαυτία:) Huc pertinet illud *B. Lutheri Tom. IIX. Jenens.* Germ. fol. 283. b. Es gefällt einem nichts so wohl als die Philautia, wann einer sein eigen Lust an seiner Weißheit hat. Die Begierde der Geitzigen ist nichts dargegen / wann einem sein Eigendünckel hertzlich gefällt / und bringt dann die schönen Gedancken in die Schrifft / das ist der Teufel gantz und gar.

Ibid. Si assentatoribus aures præbeantur:) Pestis bonarum mentium, & animorum vanorum mors sunt assentatores. Hi enim ordinariè emendationem impediunt, & vitia dum ornant & laudant, miseros in iisdem confirmant.

Ibid. Societas hominum malorum atque inertium:) Hi enim corrumpunt bonas mentes, & malas reddunt incurabiles. Non solum quippe horum hominum conversatio nos avocat ab operibus nostræ vocationis, sed si ipsis sæpius indulgeamus, sensim discimus illorum indolem, malitiam, inertiam.

Pag. ead. §. XVI. Adminiculis sacræ Theologiæ:) Adminicula hæc προπαιδεία *studio*

dio Theologico præmittenda dicuntur *B. D. Joh. Gerhardo in Methodo Studii Theolog. Part. II. pag.* (edit. Jen. 1622.) *38.* qui eadem comparat *atrio gentium & ſancto ſeculari* in templo Hieroſolymitano. *B. Philippus Melanchthon* eadem adminicula comparabat *Cophinis*, in quibus fragmenta panum colligi & reponi jubebantur *Matth. XIV. 20.* Plura hanc in rem repete ex laudato D. Gerhardo.

Ibid. Cognitione linguarum ſanctarum:) Per Linguam ſanctam alias ſolent intelligere *Ebræam*, de cujus prærogativis nunc nihil attinet dicere. Certè B. auctor omni jure etiam *Græcam* ſanctam dixit, cùm Lux N. T. affulſerit orbi hoc idiomate. Addi poteſt *Chaldæa*, ob particulas aliquot Scripturæ Canonicæ, quæ in Vet. Teſt. hac in lingua proſtant. Jungi ſolent ob vicinitatem & verſiones antiquas, *Syriaca & Arabica.* De harum linguarum neceſſitate, uſu, & adminiculis, qui poſt tot doctos Viros aliquid diceret, ſine dubio judicari poſſet Iliada canturus poſt Homerum. Fuſus in talibus fuit *B. D. Pfeifferus* in *Introduct. in orientem*, item in *Critica ſacra*, quæ in plerorumque manibus eſt. Addatur B. D. *Joh. Gerhardus in Methodo* cit. loc. *à pag. 40. ad pag. 88. Quenſtedt. Ethic. Paſtor. Monit. I.* &c.

Ibid. Itemque Logicæ:) Hac diſciplina non poteſt Theologiæ cultor carere, non modò propter communia principia Hermeneutica,

neutica, quæ huc pertinent, sed etiam propter conclusiones theologicas, quæ virtualiter in Sacra Scriptura latitant, & non nisi per consequentiarum legitimarum catenas protrahi possunt.

Ibid. Rhetoricæ:) Facultas hæc requiritur *partim* ad analysin textuum sacrorum, quæ non modò Grammatica & Logica, sed etiam Rhetorica datur, inquirens in verborum proprietatem, figuras, tropos, pathemata &c. *partim* ad Oratoriam Ecclesiasticam seu Theologiam Homileticam.

Ibid. Philosophiæ tum Theoreticæ:) Huc pertinent variæ disciplinæ, *Pneumatologia*, *Physica*, *Mathesis* cum suis partibus; *Metaphysica* quoque, nisi malis eandem pro nudo Lexico Philosophico habere, & ad partem primam Logices, ubi de apprehensione terminorum agitur, reducere: Qua de re hic non est locus disputandi.

Ibid. Tum practicæ:) Huc pertinet *Theologia Naturalis*, quam practicam esse, hodie satis liquet. Accedit *Ethica*, *Politica*, *Oeconomica*, de quarum limitibus plurimum disputationis viget. De usu Philosophiæ in Theologici splura dixit *B. D. Joh. Gerhardus cit. loc. à pag. 88. ad pag. 137.* Adde *B. D. Georg. Calixtum in Apparatu Theologico à pag. 12. ad p. 28. D. Quenstedt cit. loc. Monito II. p. 17. 18.*

Ibid.

Ibid. Historiæ :) Hujus usum insignem in Theologicis nemo ausit vocare in dubium. Ex professo hanc in rem scripsit *B. Joh. Andr. Bosius, in Oratione Inaugurali*, à B. D. Sagittario edita. Conf. B. *Calixtum in Apparatu, pag. 29. seqq. B. Gerhard. in Methodo à pag. 236. ad 241.* Non solum autem Historia sacra & Ecclesiastica huc est referenda; verùm etiam quàm maximè Historia prophana, quæ non mediocriter studium Theologicum juvat & ornat, *partim* Historiæ sacræ & Ecclesiasticæ documenta illustrando, aliqua etiam quodammodo supplendo, *partim* varia utilia exempla, rerumque eventus notabiles suggerendo &c.

Ibid. Pro ratione scopi plus minusve temporis impendat :) Aliæ atque aliæ sunt functiones Ecclesiasticæ, pro quarum diversitate, etiam apparatus diversus requiritur in hisce propædeumatibus. Solent autem auctores peritiam Theologicam constituere triplicem; *Unam*, quæ omnibus Christianis communis, capita fidei & morum, ex revelatione Spiritus Sancti supernaturali pia simplicitate tenet, pro fide propria formanda, & privata conscientiæ propriæ informatione. *Alteram*, quæ communibus Ecclesiæ pastoribus & ministris sufficit, qui eum in finem cœtibus fidelium præficiuntur, ut sanam doctrinam populo in fundamentalibus proponant, & capita morum cardinalia inculcent, claves

regni cœlorum geraris simulque dispensent Sacramenta. *Tertiam*, quæ Antistites Ecclesiæ, Doctoresque Academicos decet, ad quos sublimiores controversiæ & casus intricatiores remittuntur. Hanc *Academicam* item *Acramaticam*; illam *Ecclesiasticam*, *Homileticam*, *Pastoralem*; istam *Catecheticam* salutant. Ab adminiculis indicatis maximè instructum esse, oportet Theologum Academicum; mediocriter Pastoratuum Candidatos; minimè Christianum gregarium; quanquam non negemus, cognitionem linguarum originalium, præ cæteris adminiculis, quemlibet Christianum, non mediocriter juvare posse: unde laudem merentur illi, qui similem operam, quam alii linguis exoticis aliis, propter commoda terrena addiscendis impendunt, etiam addicunt linguis Bibliorum originalibus.

Pag. ead. §. XVII. Qui studiis istis neglectis, tamen ad Theologiæ sacra advolant:] Peccant hi in defectu, suntque temeritatis maximæ rei. Uti enim voluit Christus in Ecclesia sua vigere varia dona ministrantia; ita non debent illa contemni, sed est iisdem, tanquam medio ordinario, utendum. Conf. Pauli consilium de istiusmodi donis, *I. Corinth. XIV. v. 1. 2. seqq.*

Ibid. Illis intemperantius:) In excessu peccant, qui sic sunt animati. Meritò enim culpantur, qui ordinem rerum pervertunt,

tunt, & adminiculis immoriuntur, neglecto ſtudio principali. Conf. *Dn. D. Spenerum cit. loc. pag. 71. ſeqq.* Præterea iutemperantia illa Criticorum quorundam ſatis prophanorum, & Philoſophaſtrorum temerariorum, qui ſacræ Theologiæ faciem cœleſtem, ad illius Helenæ ſuæ, quam depereunt, fucum æſtimant, nihil niſi præjudicia, hhreſesque parere ſolet, Hiſtoria ſacra teſte perpetua. Nec mirum: cùm illi audaculi, qui Spiritum Chriſti negligunt, non poſſint non carnali illa ſua ſapientia, cui immerſi ſunt, inſultare fidei ſimplicitati. Conf. *B. D. Gerhard. cit. loc. pag. 108. ſeqq.* de malis variis ex abuſu Philoſophiæ in Theologia enaſcentibus.

Pag. 501. §. XVIII. Ex ipſa eorum habitudine ad functionem ſacram:) Habitudo Philologiæ ſacræ ad ſtudium Theologicum ſatis evidens eſt, & omnino major, quàm habitudo Philoſophiæ: eo quod ipſi fontes ſacri & principium Theologiæ proprium non poſſit indubie percipi, ſine cognitione Linguarum Originalium, niſi raptus fanaticos aut ſaltem illuminationes extraordinarias ſupponere velis. Porro quid cognitio antiquitatum judaicarum, item linguarum originalibus cognatarum, in evolutione textuum ſacrorum plurimorum valeat, hodie nemo doctorum ignorat. Etſi autem majorem dicamus Philologiæ ſacræ ad Theologiam,

quàm Philosophiæ habitudinem, non tamen negamus ideo Philosophiam etiam studio Theologico plurimum inservire. Nam (1.) philosophia sobria & vera, instar pædagogi est ad Theologiam supernaturalem, per Theologiam naturalem sanam. (2.) Philosophia Pagana facit ad sui ipsius eversionem, si citra præconceptas opiniones, æstimetur ex præjudiciis & hypothesibus erroneis, quas egregiè passim ostendit & denudavit *B. Jacobus Thomasius, in Historico Schediasmate, Dissertationibus ad Exercitationem de Stoica mundi exustione* & alibi. (3.) Vera Philosophia etiam Theologiam juvat mirificè in examine consequentiarum Theologicarum, dum exhibet principia formalia Rationis, quæ non sunt alia in discursibus Theologicis, quàm in aliis materiis. (4) Facit sanior Philosophia ad plurimorum dubiorum profanorum solutionem &c. Plura hanc in rem dixit *B. Gerhardus cit. loc. à pag. 93. ad pag. 107.* ubi integro capite *de Philosophiæ in Theologia usu multiplice ac salutari* disseruit.

Ibid. Exemplis insignium Ecclesiæ Doctorum :] *Moses* in omni Ægyptiorum sapientia erat institutus, *Actor. VII. 22.* Paulus erat institutus omni cura in doctrinis Pharisæorum, qui etiam potentissimè judaismum confutavit. Confer de ipsius eruditione in adminiculo Linguarum, quæ ipse de se docet. *I. Cor. XIV. 18.* Nec puduit eum allegare versus ex Poëtis Græcis, Arato

to, Menandro, Epimenide. Patrum Ecclesiasticorũ exempla multijugæruditionis in Philologicis & Philosophicis plurima sunt. Vid. *B. D. Calixt. in Apparatu*, pag. 35. seqq. ubi ex professo docet, priscos Ecclesiæ Doctores & Patres literis ac disciplinis instructos fuisse. Inter Recentiores eminent Reformatores, *Lutherus & Philippus*, de quibus videri potest *B. D. Nicol. Selneccerus* in Recitationibus, Lipsiæ A. 1582. editis, *Recitatione XIII.* quæ est *de Auctoritate Lutheri & Philippi*, pag. 322. seqq. Quod si magnorum, qui hos secuti sunt, Theologorum nomina huc pertinentia congerere auderemus, & dies & charta nos deficerent.

Ibid. Præclara horum studiorum dignitate & jucunditate:) Studiorum Philologicorum & Philosophicorum præstantiam passim extollunt docti Viri, qui vel orationes hanc in rem condiderunt, vel methodis studiorum argumenta huc facientia inseruerunt. Ex plurimis paucos nominamus, *Gerhardum in Methodo pag. 38. seqq. D. Quenstedt in Ethica Pastorali Monitis I. & II. D. Georg. Calixtum* Orat. *de philosophiæ incluta dignitate & summa necessitate*, (quæ est inter orationes ejus selectas posthumas, *Anno 1660.* editas, numero ultima, pag. 141. seqq.) &c.

Ibid. Damno alioquin exspectando:) Quid damni neglectus fontium sacro-

sacrorum, in tenebris superiorum seculorum papalibus dederit, crassissimi errores inde invalescentes satis probarunt. Flacii errorem ex Philosophiæ ignorantia natum esse, notum est. Nec plura alia huc facientia exempla desunt. Quid? Nemo speret, se hodie inter nostros Empæctas felicem Theologum futurum, nisi à Philosophia Naturali & Mathesi præcipuè fuerit instructus.

Pag, ead. §. XIX. Præceptoribus fidelibus & eruditis -- diligenter adhæreat:) Incredibile beneficium sunt præceptores fideles, si quis cupiat proficere in quocunque literarum genere. Nam (1.) reperiunt Studiosi in his, velut in compendio, quod non sine magno labore conquirendum esset ipsis, si suo Marte rem eandem vellent aggredi. (2.) Dubiis occurrentibus, habent promtas solutiones, & uberiores explanationes. Unde hoc medium proficiendi per præceptores semper est maximi à maximis & optimis quibusque habitum.

Ibid. Audita sedulo repetat & expendat:] Nec enim fideliter hærent in animo, quæ non repetita meditatione concocta, digesta & in succum & sanguinem conversa sunt. Excidunt ergo fructu collegiorum Studiosi illi, qui in collegiis, quæ levi attentione vix perceperunt, postea transmittunt & negligunt. Dixeris etiam hos

hos in suo genere, ex *Jacobi I. v. 25. Auditores oblivioſos:* ecntrario qui nõ est talis auditor, sed qui, quæ audivit, repetit, expendit, inter se confert, dubiorum exorientium solutionem quærit, autores, ad quos remissus fuit, evoluit & auditis jungit, is incredibiles faciet profectus.

Ibid. Exercitia privata pariter & publica frequentet:) Talia exercitia privata sunt collegia oratoria, disputatoria, examinatoria, itemque ipsorum Studioſorum cordiatorium & literas seriò tractantium mutua conversatio, colloquia literaria &c. Publica exercitia sunt Disputationes & Orationes publicæ &c.

Ibid. Mensuram temporis -- & ingenii sui sedulo observet:) Tempus studiis Academicis non æquè omnibus obtingit. *Alii* per sumtus, ætatem, & alias circumstantias diutius subsistere possunt; *alii* coguntur perbreves ducere lineas, eo quod vel sumtus necessarii desint, vel aliæ circumstantiæ vitam Academicam decurtent. Facilè intelligitur, prioris generis studioſis incumbere, ut rectius propædeumata tractent, eisque plus temporis impendant, quam posterioribus hisce concessum est, nisi vel mira ingenii felicitas, vel naturalis quædam propensio quodammodo sumtuum & temporis angustiam compenset. Quod si qui tardioris ingenii fuerint, rectius linguis & studio historico se tradunt, quam di-

scipli-

sciplinis subtilioribus, quæ plus temporis & ingenii postulant, si vel mediocriter ingenia mediocria in iis proficere velint. Interim perpetuò æstimetur tractatio linguarum & disciplinarum philosophicarum ex proportione ad scopum principalem, de quo diximus plura ad §. XVI. nota ultima.

Pag. ead. §. XX. Si αὐτοδίδακτοι esse malit:] Αὐτοδίδακτοι dicuntur, qui sibi ipsi præceptores exsistunt, & neglecta aliorum institutione, omnia suo studio privato, suisque speculationibus conficere laborant. Ordinariè enim hi homines sibi relicti non modò non eo usque proficiunt soli, quo potuissent adjuti aliena ope proficere; sed etiam subinde impingunt, tempusque inutiliter conficiunt, similes viatoribus, qui viam ignotam malunt suo periculo tentare, quàm peritum sequi ducem, vel comitem adhibere viæ gnarum, unde sæpius errant, & tempus, laboremque frustra perdunt.

Ibid. In delectu præceptorum erret:) Præceptorum varia facies & indoles est. *Alii* non satis solidi sunt in arte, quam profitentur; *alii* non habent donum docendi; *alii* fideliter non informant; *alii* pigri sunt & negligentes &c. Uti ergo pessimè sibi consulit viator, si ducem sequatur mendacem & viæ ignarum, vel negligentem, vel planè latronem; ita pessimè agunt, qui sine consilio certo quemque, in quem incidunt, vel qui seipsis offert, sequuntur. Cui malo

lō non rectius obviam itur, quam precibus & consilio hominum, quorum fides jam explorata habetur.

Ibid. Contentus, audisse lectiones &c.] Hoc malo innumeri pereunt Studiosi, *Vel* enim inconstanter lectionibus adsunt, *vel* negligenter audiunt, *vel* audita velociter transmittunt. Infundibulo tales ex Rabbinorum proverbiis dixeris similes, quia quod hinc intromittunt, illinc emittunt. Conf. *B. Frischmuthium* in Epistola ad CL. Virum Dn. M. Matth. Frider. Beckium, exarata, & disputationi posteriori de Fœdere Novo, Jenæ 1671. habitæ subjuncta. Malo huic mederi possumus, si pauca malimus rectè coquere, quam multa non concoquenda miscere. Quod enim alias de Lectione dicitur, multum legendum esse, non multa, id etiam quadrat in auditionem sive ἀκροάσεις Academicas.

Ibid. Vel etiam exercitia examinatoria & disputatoria:) Examinatoria exercitia plurimum fructus habent. Plura credimus nos scire, quæ si examen rectum instituatur, ignoramus; &, si quæ aliquando scimus, nescimus tamen distinctè & ordine eloqui. Utrumque ergo examinatoria præstant; & rem dilucidiorem reddunt, nosque ad distinctos magis conceptus perducunt, & simul nos ad id adigunt,

ut

ut discamus, mentis nostræ conceptus clarius, distinctiusque proponere. Idem præstant disputatoria rectè instituta. Ut autem cum fructu disputatoriis exercitiis defungamur, sciendum est, quod ad hæc tria in omni disputatione sit attendendum. (1.) An conclusio argumenti nostræ thesi rectè contradicat, secundum leges veræ contradictionis, (2.) An Forma argumentationis sit legitima, & ad illas ordinata regulas, quas Formalia Rationis principia in Institutionibus Logicis suggerunt. Quod si & conclusio nostræ thesi verè contradixerit, & argumentum sit in legitima forma; Jam (3.) ad Materiam progrediendum est h. e. ad præmissas argumenti, ubi nihil æquè faciendum est, quàm ut ad nexum, qui in utraque præmissa, inter subjectum & prædicatum intercedit, sedulò attendamus. *Vel* enim pugnabunt inter se subjectum & prædicatum, & sic enunciatio negativa erit vera; affirmativa falsa: *vel* non nisi accidentarius erit nexus, qualis esse solet, quando *Accidens*, quod abesse & adesse, salva manente rei essentia, potest, enunciamus de suo subjecto; *vel* nexus inter subjectum & prædicatum erit necessarius, sicque *vel* quia quod prædicatur, ingreditur subjecti essentiam, ut esse solent *Genus*, *Species*, *Differentia specifica*; *vel* quia essentiam consequitur, ut *Proprium quarti modi*.

Ibid.

Ibid. Ad exempla, quæ vulgo occurrunt:) Talia sunt exempla commilitonum negligentium, inertium, vel studia præposterè tractantium &c.

Ibid. Scopi & ingenii sui atque occasionis minus observans sit:) Propædeumata quomodo æstimanda sint ex *scopo*, quem quilibet sibi præfixum habet, edocuimus in nota ultima ad præcedentem §. XVI. Illam, qui negligit proportionem, miserè sua tractabit studia. *Ingenii* ratio non habetur, quando vel plura, vel sublimiora aggredimur, quàm nostrum ingenium perfert. *Occasio* non observatur, quando collegia commoda negligimus in loco & tempore; vel ex ruditate non paramus libros præstantiores aut similia instrumenta æquo pretio alicubi parabilia &c. Ne impingatur in hos scopulos, juvabit subinde consuluisse viros cordatos, itemque peritiam optimorum librorum hominumque in tempore sibi comparasse. Quid? Hodie, meo judicio, graviter peccatur, quòd homines pelagus literarum tentare in Academiis jubentur, qui nec se norunt, nec studia, nec sciunt, quid in Academiis agendum sit: Unde plerique & sumtus & tempus, imò & aliquando salutem miserè perdunt, nec proficiunt, sed deficiunt in Academiis. Qua de re aliàs.

Pag. ead. §. XXI. Ipsam Theologiam revelatam:) De qua pluribus

egit *B. Auctor* noster *in Compend. Theol. Posit. Proleg. cap. I. §. XIV. seqq.* Intelligimus autem hic loci per Theologiam Revelatam, illam scientiam Practicam, quæ ex divinis Scripturis, tanquam ex Revelatione supernaturali, ea omnia, quæ Homini peccatori, cùm ad fidem in Christum cognitu, tùm ad vitæ sanctimoniam factu sunt necessaria, docet, confirmat ac defendit, consequendæ in DEO beatitudinis æternæ causa.

Ibid. Eamque non solum catecheticam:) Theologia Revelata solet passim dividi in *Catecheticam*, *Homileticam* & *Academicam*, de qua divisione vide *auctorem* in *Proœmio Theol. Homiletica §. III.* Uti autem ipse *Compendium Theolog. Homiletica* edidit Jenæ A. 1677. & *Compendium Theol. Positivæ*, Jenæ A. 1686. quod sæpius deinde recusum fuit; sic quoque superiori anno, Vinariæ prodierunt Ejusdem *Aphorismi* posthumi de *Informatione Catechetica*, quos *Compendium Theologiæ Catechetica* dixeris: unde plura huc repetantur.

Ibid. Verum etiam Positivam seu Didacticam acroamaticam:) Alii vocant Theologiam Theticam, alii Theologiam Locorum. Differt à Catechetica non quoad rem, sed quoad Methodum. Catechetica Doctrinam cœlestem populariter & succinctè in usum plebis rudioris tradit: Positiva seu Didactica Acroamatica eandem doctrinam cœlestem nonnihil accuratiùs & plenius, terminis-

minisque paulò magis exquisitis proponit, præcipuè propter fraudes hæreticorum depellendas.

Ibid. Itemque exegeticam:) Alii *Hermeneuticam Sacram* dicunt. *Theologiæ Exegeticæ compendium* posthumum edidit *B. Auctoris* filius congener & cognominis, itidem anno superiori unà cum luculento commentario in Epistolam ad Galatas. Aliàs distinguunt docti viri inter Exegeticam & Exegematicam Theologiam: hanc dicunt, qua explicatio Textuum sacrorum; illam, qua modus explicandi traditur. Exegetica igitur est, quæ tradit bonæ interpretationis regulas & præcepta; Exegematica, quæ exhibet Interpretationum Biblicarum exempla, sive in universum codicem sacrum, sive in hujus unam alteramque partem.

Pag. 502. §. eod. Homileticam:] Hanc quoque noster *Auctor* eleganti *compendio* pridem proposuit, ut paulò ante monuimus. Solet etiam hæc Theologia duplex constitui, Docens & Utens. Illa circa præcepta concionandi versatur; hæc in ipsis concionibus habendis occupatur.

Ibid. Moralem:) Aliàs absolutè practica salutatur, estque pars habitus Theologiæ, qua hominis Christiani vita ex verbo cumprimis revelato ita dirigitur, ut fidei conformis evadat. Huc referri solet *Casuistica*, quæ tamen quomodo Morali Theologiæ contradistingua-

tur, patet ex eo, quod ipse noster auctor superiùs in *Parte III. generali cap. III. §. XIII. not. (b) pag. 177.* monuit.

Ibid. Historicam :) Theologia Historica vulgò Historia Ecclesiastica audit, utut Historia Ecclesiastica & Theologia Historica non omnia communia habeant. Conveniunt equidem, ut celebris quidam Theologus docuit, objecto materiali, quod sunt res in Ecclesia & circa Ecclesiam gestæ: differunt tamen modo easdem considerandi atque fine proximo. Historia quippe Ecclesiastica res in Ecclesia & circa eandem gestas tradit ordine seculorum & millenariorum: Theologia verò Historica exhibet easdem ordine materiarum seu locorum Theologicorum. Porro Historia Ecclesiastica in rebus in Ecclesia & circa Ecclesiam gestis, erudit, ut erudiat; Theologia autem Historica in iisdem erudit, ut dirigat, ut realia amplificationi substernat, ut controversias Theologicas elucidet, orthodoxias propagationem exhibeat, vitæ fidei conformis exempla subministret &c. Specimen Theologiæ Historicæ dedit *Henricus Altingius* per quatuor Locos Theologicos, videlicet (1.) de Natura Theologiæ, (2.) de verbo DEI sive Sacra Scriptura, (3.) de DEO Essentiâ uno, Trino Personis, & (4.) de decretis DEI in genere, deque prædestinatione divina in specie. Hujus exemplum pauci hactenus imitati fuerunt. Historiæ autem Eccle-

sia-

siasticæ plura Systemata & Compendia prostant. De studio Historico, quatenus Theologiæ studiosum decet, dixerunt *B. Gerhardus & Calixtus locis ad §. præcedentem XVI. citatis*, aliique methodistarum passim.

Ibid. Polemicam :) Polemica Theologia est illa pars Habitus Theologici, quæ bella Domini h e. controversias circa articulos fidei morumve capita ita exhibet, ut veritatem cœlestem ex verbo Revelato demonstret, confirmet, defendat; Oppositos autem errores detegat, confutetque.

Pag. ead. §. XXII. Vel sola naturæ benignitate :] Id sæpius usu venit, ut præstantissima ingenia, sui felicitate nitantur, omnemque sui cultum negligant, eò quod possint unica hora plus præstare, quàm alii, qui aliquot dies & noctes meditantur. Hinc nihil culti, nihil solidi proferunt, sed rudia & sæpius profana dogmata, tanquam homines animales, projiciunt in medium, prout superius ex Socrate, de Nestorio Hæretico observavimus.

Ibid. Imprimis Postillarum :) Postilla barbarum nomen est. Nuncupantur ita commenta, quæ Pericopis Evangelicis & Epistolicis superaddi solent, quia post Textum sacrum, ante istiusmodi commentarios seu explicationes Textuum sacrorum, scribebantur hæ voces : *Post illa*, scil. verba. Hinc nomen

Postilla, æ, & Postilla, orum. Ingens proventus talium librorum ubique est, maximè in Pericopas Dominicales & Festivales, quibus suos defectus supplent miseri illi Decoctores potius, quàm Ecclesiarum Doctores, qui nec statum conscientiarum in auditorio sibi concredito ipsi intelligunt, nec sciunt orationem sacram, pro indigentia auditorii sui elaborare, sed conciones suas ex Postillis exscribunt & recitant: qua de re aliàs.

Ibid. Qualicunque lectione & imitatione:) Lectio & imitatio non omnis rejicitur vel improbatur, sed illa superficiaria, & insulsa tantùm, quâ Postillantes, quos vocant, infames sunt. Quòd si Doctorum cordatorum labores consulantur, & dextrè imitatio instituatur, adeo non improbamus hunc conatum, ut etiam laudemus.

Pag: ead. §. XXIII. Ex ipsis officii sacri partibus:) Partes officii sacri sunt (1.) docere Gregem sacrum sensum genuinum oraculorum divinorum, quæ in Scriptura Sacra exstant, tàm quoad credenda, quàm quoquoad agenda. (2.) Ostendere Applicationem salutarem verbi divini tàm in fide, quàm in vita. (3.) Defendere sinceritatem Doctrinæ cælestis & adversariis os obturare. (4.) Secundum divinam constitutionem administrare Sacramenta &c. Qui has partes officii sacri expendit, facilè intelliget, quàm necessarium sibi

sibi sit, noviſſe omnes illas Theologici Habitus partes, quas noſter §. XXI. recenſuerat.

Ibid. Exemplis illuſtrium Eccleſiæ Doctorum:] Talia non modò exhibent hiſtoriæ Patrum, qui in illis Theologiæ partibus ſe pro temporum ſuorum indigentia ſedulò exercuerunt; ſed etiam teſtes eſſe poterunt noſtri Lutheri, Philippi, Chemnitii, Gerhardi, Meiſneri, Hunnii, Muſæi, & ſimiles.

Ibid. Damno ab imperitis hominibus Eccleſiæ illato aut inferendo:) Damna Eccleſiæ illata ab hujus furfuris hominibus Hiſtoriæ paſſim recenſent. Et res in propatulo eſt, quia qui ineptus eſt ad negotia Eccleſiaſtica, & illa nihilominus aggreditur, non poteſt non ineptè ſe gerere in ipſa negotiorum adminiſtratione. Imperiti enim quæ agunt, corrumpunt nunc ſuâ temeritate, nunc ſuâ inſcitiâ & imprudentiâ, nunc intempeſtivitate, nunc alio modo. Minimum officiunt Eccleſiæ, quòd ſuo deſunt officio, quod nec intelligunt, nec implere ejus numeros norunt. Vid. *I. Tim. I. v. 6. 7. cap. VI. 2. 4. 5. &c.*

Ibid. Pœna ipſis exſpectanda:] Hanc comminatus eſt DEUS negligentibus paſtoribus *Ezechiel. XXXIII. 8.* Conf. *II. Petr. II. 12. ſeqq.*

Pag. ead. XXIV. Si curſus ſtudiorum rectè dividatur:) Dividitur autem rectè quando (1.) digerimus noſtra ſtudia

pro ratione scopi nostri, loci, temporis, & aliarum circumstantiarum. (2.) Quando ordo debitus servatur, quem inter alios egregiè edocuit *B. Gerhardus* in Methodo, item *D. Hülsemannus*, aliique nostratium, qui Studii Theologici methodos ediderunt.

Ibid. Facto initio à Compendio faciliore ac breviore:) Virtutes talium compendiorum sunt (1.) si loco Theologicos omnes contineant, aut certè nobiliores. (2.) Si thesin nostratium terminis perspicuis & usu publico approbatis exhibeant. (3.) Si uniuscujusque theseos sedem ex Scripturis ostendant, ac quomodo quælibet thesis in dictis Divinis radices agat, demonstrent. (4.) Si Librorum Symbolicorum nostrorum dicta consentanea fideliter excerpta offerant. Qui semel tale compendium sortitus est, is rectissimè eidem semper inhæret, sibique quotidiano usu familiarissimum reddit, ne memoria turbetur multitudine lectionis, si certum desit ingenium, cui innutritus adhæreas, & ad cujus methodum, quæ alibi invenies, referas. Nusquam est, qui ubique est. Tale compendium credimus esse *compendium Theologiæ Positivæ B. nostri Bajeri.* Thesin enim Nostratium paragraphi ejus perspicuè habent & rotundè exhibent. Dicta classica potiora suggerunt Notæ, in quibus etiam subinde ad consensum

sensum Nostratium provocatur. Præcipuè autem in eo laudandæ sunt Definitiones singulis locis subjectæ, in quibus semper loci Theologici cujusque Compendium breviter repetitum invenies.

Ibid. Conjuncta Scripturæ S. Lectione:) Scriptura Sacra est unicum principium cognoscendi, in studio Theologico. Hinc uti Christus *Joh. V, 39.* auditores suos remisit ad Scrutinium Scripturarum; ita Paulus *I. Tim. IV. v. 13.* Ministro Ecclesiæ mandat, ut *attendat Lectioni*, scil. *Scripturarum*, prout ex *II. Tim. III. v. 15. 16. 17.* colligimus. Conf. *Quenstedii Ethic. Pastoral. Monit. III. pag. 25. 26. &c. Gerhard. in Method. Part. III. sect. I. cap. I. p. 142.* Quemadmodum igitur laudatos legimus *Actor. XVII. 11.* Auditores Pauli, *quòd receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes Scripturas, an hæc ita se haberent:* ita cavendum est cordato Theologiæ cultori, ne unquam sine Scripturarum consensu & filo, nudum aliquot compendium Theologiæ, suis studiis fundamenti loco substernat. Imitetur Beroeensium vestigia; quotidie scrutetur & conferat Scripturas, ne vel præconceptis opinionibus occupetur ex hominum fallabilium scriptis, vel saltem ne humana fide nitatur magis, quàm fide divina, in ipso studiorum suorum limine. De reliquo quemadmodum caveri debet occupatio à præjudiciis

humanis; ita cave, ne in scrutinio literarum sacrarum præcipites tua judicia. Suspende, & coerce ab initio Lectionis, tuum judicium, nec prius judica & certi quid defini, antequam satis fueris in Scripturis divinis subactus.. In limine ergo instar discipuli, non instar judicis, Scripturas sacras tracta; lege, relege, confer inter sese Prophetarum & Apostolorum effata tàm principalia, quàm secundaria; tàm clara, quàm obscura. Expende cujusque effati Scopum, respice ad locum, tempus & reliquas circumstantias &c. Donec hoc attentum Scripturarum sacrarum scrutinium tibi sua sponte compendii tui theses demonstret, confirmet. Certitudo enim doctrinæ, quam compendia Theologica exhibent, pendere debet ex Scrutinio & ἀποδείξῃ Scripturarum Divinarum; Compendium autem conferre debet ad Studium Theologicum, methodi lucem, & memoriæ judiciique subsidia. Hoc enim posterius est de officio Doctorum Ecclesiasticorum, ut sint διδακτικοὶ, h. e. ad cujusque captum, dogmata divina disponant ac applicent; prius autem est de officio Virorum Θεοπνεύστων, scil. ut oracula mera, & talia verba proferant, quæ Principia cognoscendi esse possint, & Doctorum discursibus inde derivatis, vim divinam & ἀποδείξεως πνεύματος, ingenerent. Hinc rectè studiosus Theologiæ, ex ordine divino, utramque institutionum con-

conjungit, pro felicioribus profectibus capiendis, h. e. meritò & Doctores Ecclesiæ in compendiis methodicis, & Viros divinos in Scripturis Sacris, subinde consulit, &, ut felicius proficiat, utrorumque donis, tanquam beneficio divino, utitur.

Ibid. Cum quotidiana & Prolixiore inlingua vernacula :) Scripturarum lectionem plerique duplicem statuunt, *Cursoriam & Accuratam* : quanquam *B. D. Hülsemannus in Methodo Stud. Theol. pag. m. 228.* dicat, *Lectionis* esse *tres quasi species : 1. Scripturæ lustrationem* per sensum visus : *2. ἀκρόασιν* per sensum Auditus : *3. Meditationem*, per Reminiscentiam, quæ tres species Studioso Theologiæ sint conjungendæ, non separandæ. B. nostro Auctori placuit cum B. Gerhardo duplex Lectionis Biblicæ differentia. Una enim est Cursoria, quàm Noster *quotidianam & prolixiorem* vocat, de qua *B. Gerhardus in Method. p. m. 147.* ait : *Cursoriæ lectionis nomine nequaquam hoc volumus, quasi in transcursu duntaxat, sine studio & attentione legenda sint Biblia, sicut canis è Nilo bibit fugiens ; sed cursoriam Lectionem, respectu accuratæ sic dictam vocamus eam, qua in lingua vernacula vel Latina, absque inspectione & collatione fontium, absque notatione emphasium, & sine interpretum commentariis adhibitis, quotidie aliquot capita Biblica percurrimus, ut Scripturæ textus fiat nobis*

his familiaris, is enim scopus talis Lectionis est facilè primarius. Hæc Cursoria, quam Gerhardus dixit, sive, ut Noster Auctor loqui mavult, *Quotidiana & prolixior*, aut plura simul capita absolvens, lectio debet fieri (1) *in Lingua vernacula*, suadente nostro auctore. Ratio in promtu est. Quia videlicet futurum Ecclesiæ Ministrum decet, ut discat coram auditorio suo illa, quæ Codex Sacer, quem in lingua vernacula Populus legit, edocet atque inculcat, promtè edisserere: cui promtitudini Lectio illa quotidiana in sermone vernaculo plurimùm inservit. Accedit apud nos Germanos, quibus *Lutheri Beati* versio vernacula est, quòd vix præstantiorem versionem possimus exspectare, quàm hæc nostra Germanica est, de qua *D. Til. Hesbusius* apud D. *Quensted. in Etb. Past. p. 35.* scribit: Wann alle Commentarien/ so in Griechischer und Lateinischer Sprache über die gantze Bibel gemacht sind/ derer ein sehr grosser Hause ist/ und viel Centnerwägen/ mit grossem Fleiß durchlesen werden/ so geben sie doch allesamt nicht so viel Lichtes und Verstandes dem Christlichen Leser/ als die klare und gar herrliche Dollmetschung Lutheri. Plura in Laudem hujus versionis Germanicæ congessit *B. Gerhard. cit. loc. pag. 153. 154.* (2.) In hac lectione quotidiana decet eos, qui ad sacram pergulam adspirant, ut Exemplar quodpiam Bibliorum Germani-

manicorum sibi comparent, quo per totam vitam uti possint, cùm variatio exemplarium vehementer memoriam turbet. Hinc par est, ut Charactere non adeo minutulô, sed tali, qui visum Legentis non offendat, impressum codicem eligat. Perquam apta huic negotio, Sterniorum editio in quarto majori, videbatur magno cuipiam Theologo. Conf. *Quensted. cit. loc. p. 36. 37.* (3.) In lectione hac Cursoria seu quotidiana, inter legendum, subductâ lineâ vel aliô modô notari debent *partim* dicta præcipua, in capitibus fidei & morum inculcandis prædominantia; *partim* diviniores phrases & formulæ, quæ mentem vividius afficiunt atque percellunt. Finitâ Lectione, jam sunt (4.) quæ notasti, repetenda, atque etiam frequenti repetitione memoriæ altius infigenda. Sic enim stilum divinum & Scripturisticum nobis acquiremus. Denique (5.) multum commodi futuro oratori sacro istud afferet, si lectioni huic quotidianæ adjunxerit *Dn. M. Abrahami Kromayeri Dispositiones Memoriales Biblicas*, quibus non modò cujusque libri Biblici, sed etiam cujusque Capitis & Thema & partitio, pro juvanda memoria, Studioso Lectionis Biblicæ offeruntur. Plura de usu harum Dispositionum repete ex præfatione earundem.

Ibid. Tum breviore, sed accuratiore in ipsis fontibus:) Hanc alteram Lectionis Biblicæ speciem nuncupavit

B. Ger-

B. Gerhardus Accuratam, de qua ex instituto sua consilia communicavit *cit. loc. pag. 157. & seqq.* Describit hanc lectionem ita: *Accuratæ Lectionis nomine intelligo eam, quæ adhibitis fontibus, Hebræo scil. textu in V. & Græco in N. T. adhibitis etiam interpretibus, in quovis Scripturæ capite, membrorum connexionem, vocum & phrasium emphasin, adeoque singula notatu maxime digna accuratè observat, & in peculiarem librum consignat.* Pergit porro Gerhardus & consilium subjicit prolixum de locis communibus Biblicis adornandis, quæ nolo huc transscribere. Conf. quoque quæ hanc in rem attexuit *D. Quenstedius* Ethicæ suæ Pastorali, sub titulo, *Rationis seu Methodi scriptores sacros & Ecclesiasticos cum fructu legendi, excerpendi & Locos communes Theologicos conficiendi.* Add. *Hülsemanni Method. p. m. 250.* &c. ubi plurima huc referenda deprehendes.

Ibid. Gradatim ad sublimiora & difficiliora fiat progressus:) Optimum hoc est monitum, cujus hic sensus est: Non esse putandum, nos simul & semel una lectione, etiam accuratâ, esse omnes divitias codicis Biblici exhausturos; vel non licere, à primo Geneseos versiculo recedere, nisi omnia prima statim vice huc traxerimus, quæ occasione illius versus, vel dicta sunt, vel dici saltem poterant à doctis & peritis interpretibus. Qui enim hoc præjudicio laborans, vel-

let aggredi Lectionem Biblicam, sine dubio nihil profecturus esset. Sed fiat lectio prima, pro modulo virium primarum & apparatûs qualiscunque nostri: Reliqua reserventur Lectioni secundæ, tertiæ & sequentibus: Hæ enim supplebunt, quæ priores Lectiones non planè exhauserant. Idem quod de Lectione Biblica dictum est, analogicè valet in reliquis partibus Studii Theologici, ubi per gradus & partes eundem est; ita ut fundamentalia primo loco excolantur; reliqua, pro ratione Scopi nostri, successu temporis suppleantur, qualia sunt v. g. Polemica, Casuistica, Patristica &c. Vid. omnino quinquennii labores, quos *B. Gerhardus* in Methodo Studii Theologici egregiè digessit, eorumque gradus & incrementa monstravit.

Pag. ead. §. XXV. In accuratiori Theologiæ Positivæ tractatione:] Accuratior Tractatio est, de qua *B. Gerhardus* egit in *Methodi* suæ *Part. III. Sect. II. cap. I. pag. m. 168. seqq.* eamque allegavit ad secundum Theologici studii annum. Ostendit ille, quomodo Loci Communes huc pertinentes ordinari debeant, commendatque Accuratioris hujus tractationis studioso *Locos Theologicos D. Chemnitii*, quos diligenter vult evolvi inque succum & sanguinem converti. Præ reliquis laudat D. Hunnii, D. Menzeri, D. Meisneri erudita scripta. Nostra ætate in pretio habe-

haberi meruerunt plures Celebrium Doctorum, quorum nomina notiora sunt, quàm ut nunc demum hic laudari debeant. Scripta Hülsemanni, Musæi, Baieri, similiumque, ob soliditatem & ingenium laudantur; Gerhardi ob multijugam Lectionem; Calixti, Horneji, Kortholti ob antiquitatis Ecclesiasticæ apparatum &c.

Ibid. Loci cujusque Partes præcipuæ, quæ summam rei continent, fideliter animo serventur:) Loci Theologici cujusque partes, omni jure digeri solent secundum Causarum genera, ita ut edoceatur in quolibet loco, quæ sit Causa Efficiens, Impulsiva, Formalis, Materialis, Finalis &c. Item quæ Affectiones Adjuncta, Oppositа &c.

Ibid. Partis cujuslibet sensus genuinus solicite investigetur:) Hoc fiet, si sedulò attenderit, quomodo termini illi, qui sensum accuratum, pro removendis heterodidascaliis, periunt, explicentur, distinguantur, applicentur &c. Hoc enim solo modo contra falsos doctores, sensum doctrinæ divinæ verum asservare possumus, determinate scilicet distinctèque exprimendo nostram thesin, & accuratè formando controversiæ statum, contra doctores corruptos; præcavendo etiam inutiles, imo noxias, pugnas de vocibus ambiguis non rectè intellectis &c.

Ibid.

Ibid. Sententia rectè intellecta, Scripturæ fundamentis sufficienter confirmetur:) Scriptura divina dogmata sacra proponit vel expressè, vel implicitè & per consequentiam. Alterutro modo necesse est, ut quælibet thesis Theologica exstet in Scripturis. Quæ neutro modo in Scriptura habetur, peregrina est doctrina, nec in foro Theologico foveri aut urgeri debet. Nihil ergo prius habere debet Studiosus Theologiæ Positivæ, quam ut cujusque suæ theseos fundamentum certum ex Divinis Scripturis ostendere sciat, atque ex his, tanquam unico suo principio cognoscendi, indubiè & manifestè, cuique attendenti demonstrare.

Pag. 503. §. eod. Ad sedem dogmatis in Scriptura S. occurrentem diligentissime attendatur:) Sedes dogmatum divinorum dicuntur alio nomine dicta Classica, neque ullus datur articulus fidei fundamentalis, vel caput morum, cujus non detur alicubi in Scripturis sedes, h. e. dictum planum, in quo, tanquam dogma divinitus revelatum, proponatur. Has ergò sedes vult noster præcipuè probè ponderari & expendi: id quod fiet, si studiosus Theologiæ acroamaticæ (1.) inquisiverit, per Regulas Hermeneuticas, in ipsius dicti cujusque sensum genuinum; (2.) Si inquisiverit, quomodo,

do thesis inde probanda, in tali dictô radices agat atque fundetur.

Ibid. An verbis expressis:) Expressis verbis dicitur in Scriptura contineri, quod ipsa litera immediatè docet, sive apices ipsi totidem ductibus in Scriptura picti habeantur, sive res significata terminis æquipollentibus tradatur. Hinc dicimus, Mysterium Trinitatis in Scriptura tradi expressis verbis *I. Joh. V.* 7. Etsi enim ibi illi apices, T, R, I-N, I, T, A, S, non omnes neque hoc ordine occurrant; occurrunt tamen ibidem hæc expressa verba: *Tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus, ET HI TRES VNVM SVNT.*

Ibid. An per consequentiam :) Per consequentiam illud in scripturis exstat, quod quidem immediatè litera Scripturæ nullibi dicit; dicit tamen immediatè illud, ex quo hoc, ob necessarium nexum, non potest non sequi, v. gr. In scripturis nullibi dicitur, quòd Filius DEI assumserit in hypostasin suam, humanam naturam propria hypostasi carentem: dicitur tamen illud, ex quo hoc assertum necessario sequitur, dum dicitur *Ebr. II. 16.* Filium DEI *semen Abrahæ*, non autem angeos *adsumsisse*, sive, ut *Joh. I. 14.* eadem res effertur, *Verbum carnem esse factum*, & quidem sic, ut, etsi hic filius DEI incarnatus, & DEUS & Homo sit; tamen ideo non sit factus geminus

minus Christus, vel duplex persona, sed *unus Dominus Ephes. IV. 5. unus mediator I. Timoth. II. 5.* in quo tantum divinæ & humanæ naturæ sit commercium, ut *sanguis Filii DEI nos emundet ab omni peccato I. Joh. I. 7.* ut *Deus proprio suo sanguine sibi redemerit Ecclesiam, Actor. XX. 28.* ut *sanctum hoc ex Maria natum sit filius Altissimi Luc. I. v. 35.* Ex quibus locis, ut & pluribus aliis inter se collatis evidens est, quòd incarnatio Christi, vel seminis Abrahæ à filio DEI assumtio importet talem divinitatis & humanitatis unionem, quæ illud, ex quo duplicitas suppositorum seu personarum oritura esset, omnino excludat. Cùm autem divinitas sit immutabilis, imo cùm hujus essentia in ipsa existentia & subsistentia consistat; subsistentia autem personalitatis sit proximum fundamentum: planum est, cùm subsistentia à divina natura non possit separari; ad unitatem personæ Christi obtinendam omnino requiri, ut humana natura, sine eo, quod divinæ personæ Christi alteram adhuc personam additurum fuisset, (h. e. sine subsistentia humanæ naturæ propria) dicatur in subsistentiam filii DEI, adsumta, ita ut humana natura, sine propria quadam subsistentia, in subsistentia filii DEI actualiter subsistat, ex qua unitate subsistentiæ, ista fluit unitas Personæ Christi, quam Paulus citatis locis asseruit; item communicatio idiomatum & Naturarum, (de quibus

bus reliqua loca loquebantur) ut neque illa unitas personæ, neque hæc communicatio Naturarum, esse posset, nisi esset illa humanæ naturæ in subsistentiam vel personam Filii DEI, assumtio.

Ibid. Consequentiæ ad probandum dogma necessariæ, quam fieri potest, manifestissimæ & certissimæ fiant:) Hæc consequentiarum certitudo ostendi solet & potest, quando ostenditur, Scripturam alicubi expresse illud docere, in quo nostra thesis, sive nostrum dogma probandum contineatur, *vel* ut essentiale constitutivum, *vel*, ut essentiale consecutivum, *vel*, ut pars in toto, *vel* alio modo. Sic in exemplo, quod notâ præcedente adduximus, ostenderamus ex Scripturis, unitatem personæ Christi & communicationem naturarum divinæ & humanæ: Hæc autem dogmata Scripturæ expressa, cohærent cum unione personali seu assumtione humanæ naturæ in subsistentiam filii DEI, tanquam Essentialia consecutiva, cum ipsa, unde fluunt, essentia. Vnitas enim personæ in Θεανθρώπῳ, & communicatio Naturarum, sunt necessarium & essentiale consequens unionis hypostaticæ.

Ibid. Ut momentum & necessitas loci cujuslibet, adeoque habitudo ad finem Theologiæ diligenter consideretur:) Finis Theologiæ

lõgiæ est ipse ille, qui Scripturarum, h. e. *salus hominis peccatoris per fidem in Christum*, *Joh.XX.v.31. II. Timoth. III.v.15.* Omnis igitur thesis theologica, quæ non habet hoc cum fine nexum necessarium, est annata & non fundamentalis. Quæcunque autem nexum necessarium habet cum hoc fine & ejus consecutione, illa est fundamentalis, nec ferri potest in Ecclesia, ejus contradictoria; cum hæc esset Finem Theologiæ vel eversura, vel interceptura, vel saltem sufflaminatura: in quorum incommodorum nullum homo Christianus consentire potest.

Pag. ead. §. XXVI. Duo pertinent præcepta:) Regulæ Theologiæ Exegeticæ variæ sunt, quarum summam dedit ***B. Auctor*** in loco de Scriptura sive *cap. II. Proleg. Theol. Potsi. §. XLIV*, ubi eadem, quæ hîc præcepta generalia repetiit, jam inculcaverat & notis suis illustraverat. Conf. ejusdem *Theol. Exeget. cap. III. p. 34. seqq.*

Pag. ead. §. XXVII. Perspicuo & ad audiendum suaviter accommodato sermone:) Hoc dicenti genus Homiletæ, tanquam oratori sacro, quàm maximè competit. Per hunc enim Theologica dogmata tractandi & proponendi modum ipse à Catecheta & Theologo Academico seu Acroamatico præcipuè differt.

Ibid. Sensus Scripturæ verus &c. Ad usum salutarem fidei & morum :) Homiletici Theologi duo sunt officia hæc generalia, quæ Auctor Beatus heic nervosè indicat. I. Ut sensus Scripturæ genuinus pro captu & indigentia auditorii explicetur. II. Ut idem Scripturæ sensus rectè explicatus, ad auditorii indigentiam & captum adplicetur, atque inde tam fidei, quàm morum ædificatio decenter procuretur. Ex his duabus regulis tota Theologia Homiletica pendet & unicè æstimari debet.

Pag. ead. §. XXIIX. Ad rationem Theologiæ Polemicæ rectè tractandæ pertinet :) Studium hoc varia fata experitur. Alii in excessu, alii in defectu peccant. Utrosque egregiè castigat B. *Joh. Arndius libr. I. de Vero Christianismo, cap. XXXIX.* Non possum nonnulla inde huc transferre: Die reine Lehre / ait, und Wahrheit des heiligen Christlichen Glaubens muß nothwendig wieder die Rotten und Ketzer verantwortet und vertheidiget werden/ nach dem Exempel der heiligen Propheten/ welche wieder die falsche und abgöttische Propheten / im alten Testament hefftig geprediget haben / ja nach dem Exempel des Sohns Gottes / welcher wieder die Phariseer und Schrifftgelehrten zu Jerusalem ernstlich disputiret. Item nach dem Exempel Johannis des Evangelisten/ wel-

welcher sein Evangelium wieder die Ketzer Ebionem und Cerinthum, und seine Offenbahrung / wieder die falsche Kirche der Nicolaiten / und andere geschrieben. So sehen wir auch / wie S. Paulus den Artickel von der Rechtfertigung des Glaubens / von den guten Wercken / von der Auferstehung der Todten / von der Christlichen Freyheit / und dergleichen / so hefftig vertheidiget wieder die falschen Apostel. Welchem Exempel die Heiligen Bischöfe und Väter der ersten Kirchen emsig nachkommen und gefolget / und wieder die heydnische / abgöttische Religion / und andere Ketzer / so aus ihnen selbst aufgestanden waren / viel und wohlgegründete Streit-Bücher geschrieben. Zu dem Ende auch die Haupt-Concilia von den löblichen Christlichen Kayfern angeordnet sind / wieder die Ertz-Ketzer / Arium, Macedonium, Nestorium und Eutychem. Was auch zu unsrer Zeit dem Papstthum und andern Secten / durch des theuren Manns D. Martini Lutheri Streit-Schrifften für Abbruch gethan / ist der gantzen Welt bekannt. Bleibet demnach billig dabey / daß man wieder die Ketzer und Rotten schreiben / predigen und disputiren muß / zu Erhaltung der reinen Lehre / und wahren Religion / wie der Apostel Paulus (ad Tit. I. v. 9.) befiehlet / daß man straffen und überwinden soll die Widersprecher. Allein dasselbige ist zu unsrer

Zeit gar in einen Mißbrauch gerathen / also daß über dem vielen hefftigen disputiren / Streit-Predigen / Schreiben und Wiedersprechen / des Christlichen Lebens / der wahren Busse / der Gottseligkeit / und Christlichen Liebe gar vergessen ist / gleich als stünde das Christenthum nur in disputiren / und Vermehrung der Streit Bücher / und nicht vielmehr darinnen / daß das Heil. Evangelium und die Lehre Christi / in ein heilig Leben verwandelt werde. hæc sententia B. Arndii, uti media incedit via, & ita tollit abusum, ut usum non simul tollat, sed potius extollat; & vice versa, ita extollit usum, ut intolerabilem Sophistarum abusum castiget: sic sine dubio optima est, & omnibus veræ Theologiæ studiosis non satis laudari vel commendari potest. Conferri omnino meretur *Dn. D. Spenerus* in Præfat. ad Tabulas Hodosophicas B. D. Dannhavveri, lit. h. 3. seqq. Regulæ in Theologiæ Polemicæ cultura tenendæ non modò sunt à B. nostro Auctore satis nervosè traditæ; sed etiam à Methodistis, maximè *B. Gerhardo cit. loc. Sect. II. cap. II. & III. ut & Sect. III. & porro Sect. IV. cap. I. Hülsemanno, cit. loc. p. m. 240. seqq.* & pluribus aliis fusius propositæ: ut omnino liceat hunc paragraphum sine ulteriori notarum apparatu dimittere.

Pag.

Pag. 504. §. XXIX. Partim in auctorum delectu:] Auctores Theolodiæ Historicæ Studioso evolvendi, vel sunt veteres, vel recentiores. De utrisque egerunt docti Viri passim, v. gr. *B. Gerhardus* cit. loc. *Sect. V. cap. I. B. D. Kortholtus*, *Introductione in Histor. Eccles. pag. 3. ad 6.* & similes, quos consule.

Pag. 505. §. eod. Ea, quæ legimus, referamus, alia quidem ad dogmatum orthodoxorum confirmationem &c.) Historia uti solet dici Philosophia quædam exemplaris seu Paradigmatica; ita etiam Historia Ecclesiastica potest dici Theologia Exemplaris. Hinc etiam ipsi Scriptores divini vel Historici sunt ex instituto, vel saltem Historiis sua subinde illustrarunt. Nulla enim methodus facilior, nulla planior, nulla profundiùs in animos hominum descendit. Nihil igitur mirum, si nulla pars Theologiæ fuerit, quam non mirum in modum Historia Ecclesiastica juvet & ornet. Agnoscimus B. Auctoris consilium optimum, qui Historiarum sacrarum cultores jubet alias Historias referre *ad dogmatum orthodoxorum confirmationem*, ut, si notetur ex Historia sacra, quo tempore, quove ordine, & quibus in sedibus dogma quodlibet divinum, sit divinus revelatum, illustratum, defensum: item ex Historia Ecclesiastica, quibus certaminibus doctrina cœlestis, ventilata, vindicata, con-

firmata & propagata fuerit. *Ad heterodoxorum rejectionem* faciet, si Theologiæ Historicæ cultor annotarit cujusque dogmatis à Scripturarum doctrina alieni, auctores, horumque technas, versutiamque: item errorum fontes, præjudicia carnalia, ambitionem, impotentiam, avaritiam, quæ nonnisi ex foro historico constare possunt: fata etiam hæresiarcharum & sectariorum &c. *Ad morum formationem & emendationem* pertinet, ut observetur Virorum divinorum, itemque primorum Christianorum vivendi ratio prorsus à senili moribus remotissima... Hic notare speciatim juvabit fontem tantæ sanctitatis, quæ semper fuit fides viva, in verbo DEI ita unicè acquiescens & triumphans, ut non modò peregrina dogmata sedulò repudiarit, & contra hæreticos illibata steterit, sed etiam non minus pedibus conculcarit carnales concupiscentias ac seculi hujus bona, divitias, auram, voluptatem &c. Porro par est, ut annotentur media & artes, quibus in Pietate sese exercuerunt optimi & certissimi quique Christiani. Hi enim velut in tabula depicti offerunt nobis, quod imitemur. Expende monita divina, *ad Philipp. III. v. 17. Ebr. XIII. 7 Jacob. V. 10. 11.* &c. Denique *ad rituum Ecclesiasticorum institutionem & custodiam* spectant illa, quæ Historia Ecclesiastica offert de Rituum origine, rationibus & incrementis: item de rituum inter veteres Christianos paucitate & simplicitate:

de

de eorundem usu & abusu &c. *Ad Gubernationem Ecclesiasticam* referendum est, quando videmus, quæ ratio obtinuerit in primitiva Ecclesia, procurandi Ecclesiæ commoda publica, quo pacto, lapsu temporis enata sit tyrannis papalis; quibus technis propagata & aucta; quomodo superiori seculo concussa; & postmodum vel restaurata, vel commutata &c.

Ibid. Excerpamus & colligamus in subsidium memoriæ:) Ratio colligendi & excerpendi simplicissima est, si compendium tuum, quod præ cæteris elegisti, in Positivis, item aliud in Polemicis, item aliud in Moralibus &c. curaveris chartâ purâ trajici, sicque singulis hisce Compendiis, suo quoque loco inserueris, quæ eò pertinere videbuntur. Quod si hoc nolis; conscribe promiscuè in librum unicum, quicquid rerum notabilium tibi obtulerit lectio Historica; additô tamen indice accuratô, quò possis in illa miscella statim, quod desideraveris, denuo reperire.

Pag. ead. §. XXX. Studium Theologiæ Moralis:) Terminus hic maximè ambiguus est. Sumitur (1.) generalissimè, quatenus non modò omnia officia generalia & specialia Christianorum huc referuntur; sed etiam quatenus casus Conscientiæ, quos vocant, h. e. facta aut facienda juris dubii, eorumque solutiones, ad Theologiam Moralem revocantur. Facilè ergo apparet in hoc latissimo significatu,

tu, Theologiam Moralem complecti, non modo *Theologiam Moralem strictissimè talem*, quæ officia Christianorum communia exponit, sed etiam *Theologiam Pastoralem*, *Consistorialem* &c. quæ circa officia specialia certorum statuum Ecclesiasticorum occupantur; imo ipsam quoque *Conscientiariam*, seu *Casuisticam*. (2.) Accipitur terminus Theologiæ moralis strictè, pro illa parte Habitus Theologici, quæ officia generalia & specialia Christianorum exponit, exclusis casibus conscientiæ. In hac amplitudine media pertractavit noster hoc in Compendio Theologiam Moralem. Nec enim, ut primùm valuerat, poterat Casus Conscientiæ, suis locis inferere, sicque huic Compendio significatum illum laxissimum induere. (3.) Sumitur Theologia Moralis strictè, pro sola illa parte Theologiæ, quæ Officia Christianorum generalia, occasione Decalogi, tradit; omissis officiis specialibus & casibus conscientiæ. Hic loci Nostrum, Theologiam Moralem Cultori Theologiæ commendare, quatenus latissimo amplexu, & officia, Generalia & Specialia, ut & Casuistica occupat, ex ipso textu patet.

Ibid. Generalia præcepta morum:) His solis finiverunt Theologiæ Moralis conceptum, *Hornejus*, *Osiander*, & alii in suis Compendiis Theologiæ Moralis, ubi præter officia omnibus Christianis communia nihil reperies.

Ibid.

Ibid. Singulis ſtatibus hierarchicis:] Ad hæc officia explicanda acceſſerunt in ſuis Compendiis, *Bajerus noſter*, *Dürrius* & nonnulli alii. Pertinent huc Theologia Conſiſtorialis, Paſtoralis, & ſi quæ ſimilia ſunt Compendia, quæ ſpeciatim certorum quorundam ſtatuum officia peculiaria tradiderunt, v. gr. Officia Præceptorum, Parentum, Conjugum, Virginum &c. Quales libelli non deſunt.

Ibid. Quæſtiones ſeu caſus conſcientiæ:) Caſus Conſcientiæ propriè loquendo eſt factum vel faciendum juris dubii, cujus ſolutio Theologica, pro informatione Conſcientiæ, quæritur. De his, ut & ſcriptis huc pertinentibus, diximus plura in noſtra Diſſertatione procœmiali ad B. Dürrii Moralis Theologiæ Notas poſthumas, §. XXI.

Ibid. Primum quidem dicta ſcripturæ:) Scripturæ dictis, ut alibi, ita etiam in ſolutione Caſuum Conſcientiæ, meritò princeps aſſignandus eſt locus: Quò enim propius & plenius caſus datus ex Scripturis ſolutionem ſuam nactus eſt, eò illuſtriùs & diviniùs eſt ſolutus.

Ibid. Deinde Conſtitutiones Eccleſiaſticæ:) Hæc non modò ſunt ex Conciliis veterum Chriſtianorum repetendæ, adeoque ex ipſo etiam jure Canonico, quod illarum veterum Conſtitutionum plurima excerpta habet;

habet; verùm etiam recurrendum est ad Nostrarum Ecclesiarum Evangelicarum ordinationes varias, quarum pro varietate regionum & dominiorum, plurimæ exstant.

Ibid. Responsa prudentum:) Sive illa sint Facultatum integrarum & ministeriorum, capitulorumque, sive singulorum Theologorum & Jureconsultorum, pietatis, eruditionis & experientiæ laude celebrium. Talia congesserunt Bidembachius & Dedekennus.

Ad Cap. I.
SECTIONEM II.

De

INGRESSU MINISTRI
ECCLESIÆ AD OFFICIVM SACRVM PER VOCATIONEM ET CONNEXA ALIA.

Pag. 506. Per vocationem legitimam:) Vocatio h. l. accipitur non pro vocatione Generali & Naturali, de qua ad Sectionem præcedentem diximus; sed pro Speciali, qua quis ab eo, qui jus vocandi habet, nominetenus ablegatur ad munus sacrum alicubi obeundum. Præterea notandum, quòd vocatio

tio hæc Specialis nunc latè sumatur, nunc strictè. Latè sumta complectitur 1. *Electionem.* 2. *Ordinationem.* 3. *Missionem*, quæ aliàs strictè *Vocatio* dicitur. Porro *legitimè vocatus aut constitutus Ecclesiæ minister intelligitur, si constitutus ab iis sit, quibus jus & potestas, DEI nomine, homines ad ministerium Ecclesiasticum vocandi, competit,* dicente *B. D. Kortholto, in Past. Fideli Cap. I. Posit. II. §. I p. 17.*

Pag. ead. §. I. Non tamen, nisi legitime vocatus:) Vocationem, & quidem vocationem peculiarem, futuro Ecclesiæ ministro esse necessariam, probant auctores variis argumentis, quorum aliquot, indicare juvat. Argumentantur (1.) ex *Jerem. XIV. 15. XXIII. 20. 21. XXVII. 15.* ubi fulmina divina in sponte currentes exstant. (2.) *Rom. X. 15. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* (3.) Ex *Ebr. V. 4. Nemo sibi ipsi sumit honorem, sed qui vocatur à DEO sicut Aaron. B. Kortholtus cit. loc. Posit. I.* hæc argumenta nervosè urget & explicat. Confer *D. Quenst. Ethicam Pastoralem Monit. XXIII. pag. 145. seqq.* Digna sunt hæc Quenstedii verba, quæ huc transferamus: *Dei missio,* ait, *vel vocatio munus legitimum facit, & qui à DEO vocatus non est, ritè & ordine, bonaque cum conscientia & auditorum fructu in eo versari non potest. Hinc etiam definitur Ecclesiæ minister, quod sit persona vocata à DEO.* Articulus XIV. *Aug. Confessionis* quoque docet, *quod nemo in Ecclesia*

clesia debeat publicè docere aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.

Ibid. A Deo:) DEUS vocat ministros suos vel *immediate* h. e. nulla intercedente arbitraria aliorum hominum opera: sic vocati fuerunt *Moses Exod. IV. 10. Prophetæ* Vet. Test. itemque *Apostoli* in N. T. Immediatæ etiam vocationi accensent vocationem *Aaronis* & *Elisæ*, quia, etsi mediantibus hominibus, attamen singulari & expresso mandato divino iidem ad munus sacrum admoti fuerunt. Vel vocat DEUS homines *mediatè*, nempe per Ecclesiam, quæ nomine DEI munus illud certis personis committit. Vide B. nostrum *Auctorem in Comp. Theol. Posit. cap. de Minist. Eccles. §. III.*

Ibid. Pro statu Ecclesiæ hodierno:) Status Ecclesiæ hodiernus est, quod habemus Ecclesiam plantatam, adeoque hoc respectu diversam ab Ecclesia plantanda.

Ibid. Ab Ecclesia:) Ecclesiæ DEUM dedisse jus vocandi ministros suos, probat B. noster Auctor cit. loc. *partim* quod Christus dederit Ecclesiæ claves cœlorum h. e. jus aperiendi & claudendi regnum Cœlorum, adeoque etiam jus constituendi eos, per quos claudat & aperiat: *partim* ex praxi veteris Ecclesiæ *Actor. VI. 5. cap. XIV. 23.* Atque hoc jus seu potestas constituendi ministros, competit *toti Ecclesiæ particulari*, cui persona vocanda

eanda inservire debet. Vid. *Bajerum* nostrum *cit. loc. §. IV.* & quem ibi laudat, *Musæum P. I. de Eccl. Disp. III. §. VII. seqq.* De reliquo etiam hanc mediatam vocationem verè divinam esse facilè constat. Certè nullum discrimen facit Paulus *Ephes. IV. 11. 12.* inter eos, qui sunt immediatè vocati à DEO, ut *Apostoli, Prophetæ*, &c. & qui sunt mediatè vocati, ut *Pastores & Doctores*, ratione divinitatis, in eorundem vocatione. Nam omnes hos, tàm mediatè, quàm immediatè vocatos *à Christo constitutos* appellat.

Ibid. Aut his, in quos ecclesia illud muneris transtulit :) Jus vocandi Ecclesiæ ministros, penes totam Ecclesiam esse, adeoque neutrum statum Hierarchiarum debere ab hoc jure removeri, sed quemlibet quod suum est, conferre, ex Theologia Positiva constat. Videri meretur Disputatio inauguralis *D. Prettenii* de *Vocatione Ministrorum Ecclesiæ*, sub præsidio *Dn. D. Beckmanni*, habita, *§. XXIV. seqq.* Interim, hoc non obstante, potest Ecclesia transferre exercitium hujus juris in certas personas, quæ nomine Ecclesiæ totius, ministros novos eligat & vocet, si qui novi necessarii sunt. Paulus hanc provinciam demandaverat olim *Timotheo* suo, *II. Epist. II. 2.* & *Tito Epist. I. v. 5.* Hodie in nostris Ecclesiis, praxis, quoad negotium præsens variat. Conf. *D. Koenig. Cas. Cateth. pag. 804.*

Ibid. De voluntate eorum, qui ipsius operam seu ministerium expetunt, certior redditus :) Confessionis Augustanæ socii in Ecclesiam particularem, cui persona vocanda præficienda est, negotium vocationis latè acceptæ ita devolvunt, ut dicant, unicuique statui relinquendum esse, quod suum est. Et quidem *in plerisque nostris Ecclesiis ita constitutum est, ut PATRONO Ecclesiæ seu ei, qui aliquando fundavit Ecclesiam, vel qui in illius locum successit, jus conveniat Pastores nominandi & præsentandi; EPISCOPO autem Ecclesiæ vel Consistorio vel etiam toti clero, jus eum examinandi, & de ipso, an ad Ministerium idoneus sit, judicandi; Si inventus fuerit dignus, toti sistendus ECCLESIÆ, ut publicè audiatur, priusquam vocetur.* Verba sunt B. D. *Musæi* ex collegio quodam manuscripto adducta, in disputatione quadam inaugurali, olim sub præsidio *B. D. Bajeri*, de *Ministris Ecclesiarum Augustanæ Confessionis ritè vocatis, rectè ordinatis*, habita, *pag. 15.* Plura repeti possunt de hac materia, ex Theologiæ Positivæ scriptoribus, ut & iis, qui contra Pontificios calamum strinxerunt. De horum ergo, quos diximus, statuum Hierarchicorum, ex quibus Ecclesia particularis, cui ministro verbi opus est, constat, voluntate certior redditus debet esse, qui vult legitime vocatus salutari. *Bajerus* in *Comp. Theolog. Positiva cit. loc. §. VI.* ordi-

ordinis Ecclesiastici & secularis tantùm mentionem facit, sed ita ut moneat, ordinem secularem suo ambitu & Magistratum & populum complecti. Hinc, postquam notâ ad §. cit. ultimâ, eadem ferè, quæ ex B. Musæo paulo antè dixeramus, repetiisset, mox addit: *atque ita* vel *ab Ecclesia*, vel *à Patrono*, *consentiente Ecclesia*, vocatur; *ab Episcopo autem, vel jussu ejus, penes quem sunt jura Episcopalia per ministros Ecclesiæ* ordinatur, *ac demiq.* confirmatur. Declarari solet voluntas à populo sæpius tacitè annuendo; ab iis autem, qui jura vocationis exercent, *literis vocatoriis*, & ad ministerium, à quo novellus minister ordinandus est, *Systaticis*, vel modo quodam huic æquipollenti.

Pag. ead. §. II. Peccant, qui privato ausu:) Ausus privatus est, quando quis nullâ vocatione pollens, ad munus Ecclesiasticum, h. e. publicum docendi & Sacramenta administrandi officium sese accingit. Quæri hic solet, quid sentiendum sit de Studiosorum concionibus publicis? Non enim hi sunt vocati ad munus hocce, quod exercent. Respondent Theologi, distinguendo inter vocationem *publicam* & *privatam*. De publica concedunt, quod studiosi eam non habeant: sed monent, habere eos privatam ab Antistite, qui iis potestatem exercitii concesserat. B. Lutherus in Colloquiis Mensalibus hanc privatam vocationem dixisse legitur, *vocationem charitatis*, uti publi-

cam illam, *vocationem fidei* vid. *Balduin. brev. instit. minist. Verb. c. VI. pag. 46. seqq.*

Ibid. Invita Ecclesia:) Scilicet illa particulari, cui destinant operam suam, quæque constare debet iis statibus tribus, quorum jura ad §. præcedentem tetigimus. Quod si autem per Ecclesiam particularem intellexeris solam plebem, cui quis, v. gr. in pago aliquo præficiendus est, jam non nisi unicum ordinem Ecclesiasticum, h. e. Oeconomicum, Ecclesiam abusivè dixeris. Invitâ ergo Ecclesiâ, propriè illi ministerio se ingerunt, qui tribus statibus Hierarchicis, quibus quod ipsorum erat, relinquendum fuisset, invitis, vel vi, vel fraude munus Ecclesiasticum invadunt.

Ibid. Vel uno saltem alterove ordine :) Sive Ecclesiasticus is fuerit, sive Politicus, sive Oeconomicus. Horum enim omnium, si non expressus, saltem tacitus consensus in legitima vocatione ordinariè requiritur.

Ibid. Legitimas dissensus causas habente :) Ordinariè diximus trium statuum Hierarchicorum requiri consensum. Potest autem extraordinariè fieri, ut præjudicium unius alteriusve ordinis, dissensum pariat : Id quod præcipue ex parte plebis haud raro usu venit. Hic ergo vocatio æstimanda est non tam ex unius ordinis dissensu, quàm ex dissensus causis, quæ si carnales fuerint, non poterunt irri-

irritam reddere vocationem aliàs ex parte reliquorum ordinem, legitimam. Sunt autem causæ legitimæ, quando in Candidato Ministerii, vel ratione fidei, vel ratione vitæ, vel ratione utriusque, aliquis, præcipuè notabilior, demonstrari potest defectus; vel etiam quando dona, sine quibus officii subeundi partes expleri non possunt, alicui desunt, & ob id dissensus oritur.

Ibid. Ad majora, quam quibus pares esse possunt :) Ad officia majora, quàm quibus pares esse possunt, hodie plures, vel Ambitione, vel Avaritiâ moti prosiliunt. Sunt autem officio, quod ambiunt, impares, quibus vel dona naturalia necessaria, vel sufficiens eruditio & experientia, vel illa pietas, vitæque inculpatæ splendor nativus & verus, quem præ cæteris, muneris ratio requisiverat non competunt.

Ibid. Emtis per dona Suffragiis :) Hoc nihil hodie frequentius, ex quo vulgò non propter Ecclesiæ salutem & ædificationem, sed propter familiæ sustentationem & commoda domestica, officium sacrum ambimus & gerimus. Querela hic non tàm gratæ sunt, quàm necessariæ.

Ibid. Remotis per calumnias competentibus :) Hoc artficium multorum est. Quid ? non solùm competentes calumniis sæpiùs removent; sed etiam moliuntur quandoque

illos, quorum munera desiderant, movere loco; &, si hoc non sustinent efficere, mortem saltem iis imprecantur, cupiunt, & horum exsequiis non minus avidè, quàm vultures cadaveribus inhiant.

Ibid. Aut aliis mediis illicitis:) Artes, non dicam parum Christianas, sed planè inhonestæ & illiberales, quibus hodie officia sacra diripiuntur, vix omnes enumerari possunt: nec enumerari merentur, sed potius iis sunt tenebris dignæ, ad quas miseros illos Simonis Magi, non Simonis Petri æmulos tandem deducunt. Legi interim possunt observationes egregiæ apud *D. Quenst. in Eth. Pastor. cit. loc. pag. 148. 149.* ex *D. Pelargi Commentario ad Deuter. Cap. X. & Salmerone, Tract. XIV. in Parab. Evangel.*

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:) De seria voluntate DEI, quòd nemo, nisi missus, debeat Munus Ecclesiasticum gerere, constat ex dictis divinis ad §. præced. I. citatis, *Jerem. XIV 15. XXIII. 20. 21. XXVII. 15.* &c. Huc pertinent constitutiones Pauli *I. Timoth. III. Tit. I.*

Ibid. Exempla Christi & sanctorum:) *Christi* exemplum sanctè inculcatur *ad Ebr. V. 4. 5. 6. Prophetæ* Vet. Testam. omnes immediatam habebant à DEO vocationem, prout ex eorundem historiis constat:

Sacer-

Sacerdotium autem *Leviticum* instituit DEUS per Mosen *Exod. XXIIX. XXIX. Levit. III. IV. Apostoli* immediatè vocati fuerunt à Christo, prout ex Historia Evangelica notissimum. Judæ proditoris locum relictum suppleturi Apostoli & discipulorum Chorus, illa solennitate functi sunt, quæ *Actor. I.* legitur. De *Paulo* vide *Actor. IX.* item *Cap. XIII. 2*, Exempla illorum, qui *Pastores & Presbyteri*, post Apostolos, vocati fuerunt, generaliter indicata, leguntur *Actor. XIV. 23. II. Timoth. II. 2. ad Tit. I. 5.*

Pag. 507. §. eod. Utilitas cum ex parte ministri :) Maximum in adversis rebus Ministro Ecclesiæ solatium est, quòd jubente & volente DEO, munus sacrum gerat, & in se susceperit ; non autem sese ingesserit sponte, vel tantum ipse in se derivarit onus. Huc illud *Syracidis Cap. X. 31.* ex versione Germanica referunt. Sed & aliàs generaliter *per vocationem Conscientia docentis tranquillatur, & certa fit, sibi in ministerio suo affore DEI gratiam, & fructum impensi laboris successurum juxta illud scitum: vocatio qualis, successus talis.* Verba sunt *B. D. Kœnigii in Casibus Catech.* ex *Tabulæ Oeconomicæ Sect. II. Casu VI. prg. 802.* Adde *pag. 805.* Porro, eodem monente, consulitur per vocationem, Ecclesiæ ministro, dum ejus *doctrina minus suspecta redditur, ac si hausta*

esset ab illis, qui à sincera religione alienores: cujus contrarium facilè persvasurum sit collatum dextre vocantium testimonium. Conf. *Eundem Cas. VII. c. 812. 813,*

Ibid. Tum ex parte auditorum :) *Kœnigius* loc. cit. scribit : *Præsente vocatione, confirmantur auditores, se non vagantibus terræ volucribus, sed DEI Legatis esse commissos, quibus ut DEUS per vocationem, quasi votum suum tricuerit, ita paratus sit, deinceps etiam in illis operari, & per ministerium eorum, conversionis & salutis opus in populo suo perficere.*

Ibid. Damnum - - metuendum :) Nihil proficere eos, qui non sunt legitimè vocati, facilè colligitur ex *Pauli* loco, *Rom. X. v. 14. 15.* ubi fidem, prædicationem & prædicantium missionem, tanquam indissolubilia inter se connectit. *B. Lutherus* apud Quenst. cit. loc. pag. 149. scribit : *Nunquam fortunat DEUS labores eorum, qui non sunt vocati, & quanquam quædam salutaria afferant, tamen nihil ædificant.* Præcipuè huc pertinet, quod legimus de damno, Ecclesiæ Israëliticæ à Prophetis spontè currentibus illatò, *Jerem. XXIII v. 9. seqq. XXIIX. Thren. III. 14.* Temporibus N. T. cumprimis de Pseudo apostolis & damno, quod ipsi intulerunt Ecclesiis, videri possunt epistolæ Paulinæ ad Galatas, ad Coloss. ad Phillipp. ad Timotheum & ad Titum.

Pag.

Pag, ead. §. IV. Pietas:) Qui DEUM timet, atque à cupiditatibus carnis alienus est, is a deo se non obtrudit Ecclesiæ, ut potius multò cum tremore & timore, etiam, quando vocatur, tantum in suos humoros recipiat onus. Plena enim periculi res est, si quis velit ex voluntate DEI suo præesse cœtui. *Augustinus* ab Episcopo Hipponensi Valerio, ad Episcopatus adjuncturam evocatus, *Ante omnia*, inquit, *peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilibus Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur : Sed nihil apud DEVM miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud DEVM nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet.* Sic pietas Augustini rectissimè consideravit ministerii Ecclesiastici conditionem & apud DEUM & ex opinione hominum, ne vel horum temeritate seduceretur, vel immemor Voluntatis Divinæ, munus sactum, tanquam insuperabile onus planè repudiaret.

Ibid. Humilitas :) Qui de se & suis donis magnificè statuunt, præcipites sese præ reliquis dare solent. Egregiè olim B. Lutherus in Postilla de S. Andreæ : *Exspecta*, ait, *vo-*

cationem, interim esto securus ; imo si esses sapientior ipso Salomone & Daniele, tamen nisi vocaris, plus quam infernum fuge, ne verbum effundas. Si tui eguerit, vocabit te. Si non vocabit, non te rumpet scientia tua : Nemo fructificabit verbo, nisi qui sine voto suo vocatur ad docendum ; qui autem non vocatus docet, non sine damno & suo & auditorum docet, quod Christus non sit cum eo.

Ibid. Amor boni ordinis :) Hic nempe efficit, ut viâ regiâ malimus incedere, quàm ostiô neglectô, per casus obliquos prensare munera sacra, & ingredi locis, quibus prohibuit Christus.

Pag. ead. §. V. Ambitio :) Cum enim munera Ecclesiastica aliquando multum splendoris habeant, alicubi etiam nonnihil potestatis ; facilè invenit ambitio, quod quærat & affectet. Vide Simonis Magi specimen, *Actor. IIX.* ut & Jasonis, *II. Maccab. IV.* In historia Ecclesiastica plurimæ prostant schismatum historiæ, quæ sola ambitio clericorum, Episcopatum affectantium excitarat. Ita Donatisticum schisma ortum legitur, eò quod Donatus à Casis Nigris ad Episcopatum Carthaginensem adspirans, spe sua excidisset, prælato sibi Cæcilianô diaconô. Præcipuè autem Historiæ Patriarcharum Romanorum & Constantinopolitanorum exemplis huc pertinentibus abundant.

Ibid.

Ibid. Avaritia :) Lanum & Lac, non ovium salutem, plurimi pastorum quærunt. Hinc videas, primariò respicere functionum Ecclesiasticarum procos ad salaria, & commoda temporalia, unde se & familiam alant. Vel enim expressè audent nomina sua inter mercenarios profiteri ; vel, si pudet nominis, & medii hujus termini ; clam tamen produnt, se divinitatem vocationis, ex lucro & reditibus annuis æstimare.

Pag. ead. §. VI. Poscente Ecclesia:) Vel iis, quibus Ecclesia exercitium juris sui hac ex parte demandavit. Quod si Ecclesia, aliunde certa, non poposcerit specimen aptitudinis, poterit illa omitti.

Ibid. In examine instituto ;) Puta auctoritate illorum, quibus competit. Quò factâ exploratione, Ecclesia sciat, quem nomine DEI vocet, atque an idoneus sit ad munus obeundum. Nemini enim citò manus sunt imponendæ, ex Pauli præscripto *I. Timoth. V. 22.* Sed examen præcedere debet & solicita inquisitio. Vide *Actor. VI. 3. I. Tim. III. v. 10.*

Ibid. Aut colloquio erudito :) Colloquia hæc itidem instituì solent non casu, sed eum in finem, ut ex colloquio perspiciantur dona & profectus illius, cum quo colloquium habebatur. Differunt ab examine, non ratione finis & effectus, sed ratione modi tractan-

ctandi : atque in casibus illis ferè obtinent, ubi de aptitudine personarum, in quarum dona inquiritur, jam aliunde publicè constat.

Ibid. Sermone sacro publicè habendo:) Concionari est potior pars Ministrorum Ecclesiæ. Certè Prædicantes erant omnes olim Prophetæ, Johannes Baptista, *Matth. III. v. 1. 2. 3.* ipse Christus, *Marc. I. v. 14. 15.* Tales etiam esse voluit suos discipulos, *Marc. XVI. v. 15.* &c. Hinc non est mirum, quod in iis, quibus munus sacrum concredi debet, præcipuè exigatur, facultas concionandi, seu habendi sermones sacros ; unde etiam nihil prius esse solet, quàm ut in hanc aptitudinis partem inquiratur.

Pag. ead. §. VII. Sese subducunt:) Vel ambitione moti, vel singularitatis studiô vel aliâ causâ frivolâ. *S*ubducunt autem sese, qui per vias obliquas, sine speciminibus, ita in ministerium tendunt, ut nunc favore Patronorum, nunc donis & largitionibus, nunc aliis artibus elabantur.

Pag. ead. §. IIX. Mandatum DEI:) *S*pecimina ingressui ad officium sacrum præmitti jussit DEUS *I. Tim. III. 10.* Neque alium in finem conditiones & requisita boni pastoris atque episcopi recensuit *P*aulus *I. Tim. III.* & *ad Tit. I.* quàm ut secundum illa, candidati Ministerii æstimarentur. Referri huc possunt illa loca, quibus spirituum probatio præcipi-

cipitur. v. gr. *Matth. VII. 15. I. Johan. IV. v. 1.* &c.

Ibid. Exempla Veterum Ecclesiæ Ministrorum) Perquam solicitæ erant Ecclesiæ veteres in Ministrorum suorum electione. Non solum huc faciunt exempla electionum circumspectissimarum, *Actor. I. v. 21. seqq. VI. vers. 3. 4. 5. &c.* sed etiam constitutiones Apostolicæ, *I. Tim. III. 2. seqq. II. Tim. II. ad Titum I. vers. 5. 6. seqq. &c.* Ex antiquitate Ecclesiastica sequentium seculorum huc pertinet, quod legimus apud *Cyprianum epist. 68. Videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, dignus atque idoneus publico judicio & testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi præcepit, dicens: Apprehende fratrem Tuum & Eleazarem filium ejus & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga jubet DEVS constitui sacerdotem h. e. instituit & ostendit ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia geri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, bonorum merita prædicentur, & sic ordinatio justa & legitima; quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata &c.* Conf. B. *Königii Casus Catechet.* cit. loc. cas. VI. pag. 805. ubi præter *Augustinum*, etiam *Photius*, & *Arndius*, e Lex. Antiq. Eccles. citantur. Ibid.

Ibid. Dignitas seu gravitas illius officii:) Vices DEI, & locum Christi sustinere in Ecclesia, arduum est; neque sunt digni tanto munere, qui nolunt ferre Ecclesiæ solicitudinem, in ministrorum futurorum habilitatem cum cura inquirentes. Veteres ideò fugerant Episcopatus & aliorum munerum sacrorum functionem, quia dignitatem eorum majorem putarant, quàm ut ipsi in oblationem non violentam, atræ temeritatis notam, consentire possent. Vide quæ hanc in rem ex antiquitate sacra disserit *B.D. Kortholtus in Præfatione ad Pastor. Fidel.*

Ibid. Utilitas cum ex parte ministri:) Certiores sunt, qui examina sustinuerunt, (1.) quòd digni sint inventi, non suô, sed eorum, quibus DEUS illam dederat curam, judiciô: Quodque non temerariè velut subrepserint, sed per ostium probati introierint in ovile Christi. Præterea (2.) discere licet ex examinibus haud rarò, quid adhuc desit, & ubi studium nostrum præcipuè intendi debeat.

Ibid. Ex parte auditorum:) Auditores, quibus per specimina probati Pastores vel Ministri dantur, juvantur, (1.) quia sic certiores ipsi redduntur, non incertæ, sed probatæ fidei pastoribus se committi; (2.) quia reapse etiam pastores tales possunt hoc modo gregibus Dominicis præfici, & à piis superiori-

rioribus actu præficiuntur: quanquam seculi nostri corruptissimi mores etiam hic haud rarò deficiant. (3.) Facilius quid in variis casibus & causis certarum Ecclesiarum, factu opus sit, sciri potest, si de Pastorum profectibus, indole & donis, ex prævio examine constet &c.

Ibid. Damnum utrinque metuendum:) Notatu dignum est, quod Paulus *I. Tim. V. 22.* postquam scripsisset, *Manus citò nemini imponas*, mox addiderit, *ne communicato peccatis alienis.* Et profectò dubium nullum est, quin homines inepti & citra sufficientem cognitionem admissi ad curam animarum, multum damni Ecclesiis inferant, quorum peccata non possunt non redundare in eos, qui tales vocarunt, ordinaruntque. Pertinet huc illud *Jacobi cap. III. v. 1. Nesuis multi magistri, fratres mei, scientes fore, ut gravius judicium auferamus.* In re ergo tanti momenti nemo potest esse satis providus, nemo satis rigorosus, nisi velit se & alios, tàm quos in Ecclesiis misit, quàm quibus misit, in præsentissimum periculum adducere.

Pag. ead. §. IX. Ministri modestia:) Hâc virtute præditi homines adeo non declinant examina & specimina, ut etiam ipsi urgeant, pro conscientiæ suæ solatio & majore tranquillitate.

Ibid. Aptitudinis propriæ conscientia:) Aptitudo hic intelligitur talis, qualis

qualis per preces, meditationesque & ſtudium pietatis impetrari ſolet atque poteſt, ita ut quis in neutra ſtudii Theologici & officii Paſtoralis parte, quantum quidem per media ordinaria in ſe erat, ſic rudis; ſed vires acquiſiverit, illas, quibus gratiæ divinæ inſtrumentum in ædibus DEI agere poſſit. Conſcientia talis aptitudinis eſt, quando quem ſua conſcientia non accuſat, quod neglexerit aliquam illarum partium, atque in ea ſit rudis & plane hoſpes. Cave igitur, ne putes loqui auctorem beatum h. e. de magnificis judiciis, quæ homines vani & temerarii de ſe ipſis ferunt, vel de impia præſumtione quorundam, fures & latrones potius, quam paſtores in ovili Chriſti, acturorum, qui ſuis viribus, ſuis donis, ſua aptitudine freti paſtorale appetunt munus. A page! Nihil horum intendit auctor beatus, qui Modeſtiam non fictam, ſed veram, cum hac conſcientia aptitudinis junxit, & nihil aliud dicere voluit, quàm immunitatem ab inſultibus & morſibus conſcientiæ, quòd nos non exercuerimus in iis, vel, quòd, fortaſſis planè illa nobis deſint, ſine quibus non licet nobis eſſe paſtoribus bonis. Tales, quos conſcientia propria non damnat & reprobos intus declarat, non fugiunt lucem, ſed *veniunt ad lucem, ut manifeſta fiunt facta*, ſtudia, dona *eorundem, quòd ſecundum DEVM facta ſint*, *Joban. III. verſ. 21.*

Pag.

Pag. 108. §. X. Personæ vocandæ ambitio &c.] Secundum illa, quæ nota præcedente diximus.

Pag. ead. §. XI. Ritu ordinario ad functionem sacram solenniter inaugurandus est:) Hic ritus *Ordinatio* solet dici, atque absolvitur ex Apostolica consuetudine, impositione manuum & precibus: unde imponere alicui manus, Paulo *I. Tim. V. 22.* idem est, quod ordinare aliquem in Episcopum seu ministrum Ecclesiæ. Exempla hujus praxeos Apostolicæ legimus *Actor. VI. 6. cap. XIII. 3. I. Tim. IV. 14. cap. V. 22. II. Tim. I. 6. &c.* Pontificii majori apparatu utuntur, de quo post paulo. De reliquo dicimus, sacrum hunc ordinationis ritum, etsi non sit absolutè necessarius, uti non est præcepti divini, tamen temere negligendum non esse, ob Motiva seu Rationes, quas auctor beatus post pauca §. XIII. adduxit. Interim consuli meretur B. *D. Königius in casibus Catecheticis cit. loc. cas. V. pag. 799. 800.* ubi ostendit, Lutheranos equidem non flocci pendere, aut planè intermittere hunc ritum, sed eum exercere, tanquam antiquum ab Apostolis usurpatum, non tamen eo niti, quasi parte quadam essentiali ministerii Ecclesiastici, absque qua nemo possit legitimè suum obire officium, quam præeminentiam sola Vocatio sibi vendicet. Adducit postea testimonium *Chytrai*,

trai, & praxis territorii *Norici*, ubi iste ritus aliquandiu fuerit suspensus, donec tandem ab inclyto Noribergensi Senatu restitutus, Academiæ Altdorfinæ Anno 1583. posthac exercendus fuerit demandatus.

Ibid. Per preces & manuum impositionem :] Exemplô Apostolicorum temporum, prout ex Nota præcedente liquet. Pontificii in catechesi Romana septenariô numerô omnes ordines, (quorum quatuor priores, *minores*, tres posteriores, *majores* salutant) contineri dicunt, illorumque hæc referunt nomina: *Ostiarius*, *Lector*, *Exorcista*, *Acolythus*, *Subdiaconus*, *Diaconus*, *Sacerdos*. *A Clericali tonsura*, tanquam præparatione quadam ad ordines sacros accipiendos iidem ritus huc pertinentes auspicantur, atque per singulos gradus varias adhibent ceremonias, dum v. gr. Episcopus dat ei, quem *Ostiarium* vult instituere, Claves ex Altari acceptas; ei, quem *Lectorem*, Librum, quo descripta sunt, quæ ad hanc functionem pertinent; ei, quem *Exorcistam*, librum, in quo exorcismi continentur; ei, quem *Acolythum*, lumina, urceolosque vacuos; ei, quem *Subdiaconum*, post legem perpetuæ continentiæ receptam, calicem & sacram patenam, Archidiacono superaddente, urceolos vinô & aquâ plenos &c. Porro Episcopus, cum Subdiaconum sacris vestibus ornavit, tradit ei Epistolarum librum; ei, quem

Dia-

Diaconum, etiam manus imponit, adhibitô majori precum & sacrarum vestium apparatu, simul tradens Evangeliorum librum; Denique quem *Sacerdotem* creare vult Episcopus, *ei primò quidem, unà cum omnibus, qui adsunt, Sacerdotibus, manus imponit, deindè stolam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam componit: quo quidem declaratur, Sacerdotem virtute indui ex alto, qua possit crucem Christi Domini, & jugum suave divinæ legis perferre; eamque non verbis solùm, sed vitæ sanctissimè & honestissimè actæ exemplo tradere. Posteà manus sacro oleo inungit: tum verò calicem cum vino & patinam cum hostia tradit, dicens: Accipe potestatem offerendi sacrificium DEO, Missasque celebrandi, tàm pro vivis, quàm pro defunctis, quibus ceremoniis & verbis interpres ac mediator DEI & hominum instituitur: quæ præcipua Sacerdotis functio existimanda est. Ad extremum verò manibus iterum ejus capiti impositis, Accipe, inquit, Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt, eique cœlestem illam, quam Dominus discipulis suis dedit, peccata retinendi ac remittendi potestatem tribuit.* Hactenus ritus, Pontificiis in ordinatione Sacerdotum seu Presbyterorum, usitati, prout eosdem descripsit *Catechismus Romanus ad Parochos ex Decreto Concilii Tridentini editus & Pii V. Pontificis Romani jussu promulgatus, Part.*

N. cap. VII. Quæst. XXIII. Edit. noviſſimæ *pag. 452.453.* Noſtri precibus & manuum impoſitione, adhortationibusque Biblicis, ex Apoſtolica ſimplicitate peragunt, atque in *Articul. Schmalcald. part. III. art. X.* reliquos ritus pontificios, *larvas, præſtigias, deliramenta & ſpectra pompæ Ethnicæ* ſalutant. De reliquo omnes ſuperiùs memoratos ordines pontificios turpiſimè defeciſſe ab officiis veterum, oſtenditur in Diſp. *de Affect. Parochiam*, ſub præſidio B. Auctoris habita, p. 31.

Ibid. A Miniſtris Eccleſiæ faciendam:) Non ſolis Epiſcopis, ſed ipſis etiam Sacerdotibus ſeu Presbyteris, quales *B. Lutherus* & primi reformatores erant, competit jus ordinandi: quicquid etiam Pontificii fingant de Jure Epiſcoporum in Presbyteros, tanquam ex divina conſtitutione, profecto. Nos è contrario negamus, quicquam eſſe diſcriminis inter Epiſcopum & Presbyterum, vel de Jure divino, vel ex Praxi Apoſtolica: Unde tantò fortius contradicimus, quando fingitur, ad legitimam ordinationem de Jure divino requiri, ut quis ſit ab Epiſcopo ordinatus. Probamus noſtram ſententiam (1.) ex permutatione nominum, Epiſcopi & Presbyteri, v. gr. *Actor. XX. 17. & 28. Tit. I. 5. 7. I. Petr. V. v. 1. 2.* (2.) ex promiſcua poteſtate ordinandi. Paulus *I. Timoth. IV. 14.* teſtatur, Timotheum, Epiſcopum Epheſinum, impoſitionem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0364
DFG

nem manuum accepisse à Presbyterio, adeoque ipsum ordinatum fuisse à Presbyteris. Res adeò clara est, ut cordatiorum nemo dubitare ausit. Vide *Ambrosium in IV. cap. Epist. Ephes. Lombardus libr. IV. Sent. D. 24. Georgium Cassandrum, Erasmum* &c. Plura pete, ex *B. D. Königii Casibus Catech. cit. loc. pag. 796. 797.* Adde *Artic. Schmalcald. Part. III. Art. 10. pag. 554. seqq.*

Pag. ead. §. XII. Peccatur, quando ritus ordinationis temere omittitur:) Temere omittendus non est hicce ritus, quia, etsi non sit divinitus præscriptus, adeoque non necessarius absolutè; est tamen magnifaciendus I. propter praxin & consuetudinem Apostolicam. II. Propter varios usus, quos præstat in Ecclesia: de quibus ad §. sequentem, inter Motiva.

Ibid. Variis superstitiosis ex ceremoniis corrumpitur:) Ita peccant Pontificii suis gesticulationibus & superstitionibus, quas ad §. XI. ex Catechismo Romano recensuimus.

Pag. ead. §. XIII. Exempla Apostolorum:) *Actor, VI. 6. XIII. 3. I. Tim. IV. 14. V. 22. II. Tim. I. 6.* ubi ordinationes Diaconorum, Barnabæ, Pauli, Timothei, memorantur.

Ibid. Solenni voto obligari coram DEO &c.) In re tam ardua pium est atque bonum, non modò piis atque bonis homi-

nibus uti, sed etiam ita ipsis demandare suam functionem, ut tam illi ipsi, quàm qui testes adsunt, commoventur ex ipso ritu & modo demandandi. Certè infra dignitatem muneris tanti esset, si qui promiscuè vellent ad functiones sacras, sicut bubulci ad pascenda sua armenta, accedere.

Ibid. DEO commendatur ad gratiosam in gravi munere adsistentiam:] Rogare jussit Christus *dominum messis, ut emittat operarios in messem suam, Matth. IX 38.* Rectè igitur & ex voluntate Christi, commendantur ministri novelli DEO ejusque gratiæ. Neque hæ preces sunt inutiles, sed efficacissimæ: hinc Paulus hoc donum ordinationis, ejusque vim laudat *Timotheo I. Epist. IV. 14. II. cap. I. 6.*

Ibid. Ut cœtus auditorum tanto magis intelligat:] Quemadmodum probatos ministros habere, bonum magnum Ecclesiarum est: ita juvantur egregiè auditores, si boni & probati ministri, pio hoc & Apostolico ordinationis ritu, ipsis designentur & venerabiles efficiantur. Monentur præterea, muneris vim & efficaciam, non humanam, sed divinam esse, cœlitus piis precibus & suspiriis impetrandam: adeoque verè legatos DEI esse, qui Spiritus Divini beneficiô unicè creati erant.

Pag. cad. §. XIV. Quæ alias observa-

servationem rerum indifferentium in Ecclesia pertinent:] De talibus actum est in *parte Generali III. cap. IIX. Sect. V. VI. & VII.* ubi de officiis hominum Christianorum, circa vota, jejunia & festa, dictum fuit.

AD CAP. I.

SECTION. III.

De

ADMINISTRATIONE IPSA OFFICII SACRI SEU ECCLESIASTICI.

SUB-SECT. I.

De

PRÆDICATIONE VERBI DIVINI.

Pag. 509. §. I.

CONsistit in docendo seu prædicando verbo DEI:] Sic enim ait Christus ad discipulos, *Matth. XXIIX. & Marc. XVI. Docete, prædicate Evangelium omni creaturæ & baptizate.* Christus ipse *erat Prædicans Marc. I. vers. 14. 39.* Et Paulus gloriatur titulô *Prædicantis, & officio prædicationis*, passim, *Rom. I. 16. I. Corinth. II. 4.* I. *Timoth.* II. 7. II. *Timoth.* I. *v. 11.* &c. Unde mirum est, quòd non

non pudeat Pontificios, titulum Prædicantis, pro infami habere, quemadmodum *Kellerus* Jesuita adversus Heilbrunnerum, sagst du das/ so redest du wie ein Prædicant. Kan nicht höher fluchen/ solst auch untedlich seyn und bleiben/ biß du es erweisest. Vide plura hanc in rem apud *B. Auctorem*, *Disp. de Affect. Paroch. pag. 39. 40.* Porro non quid vis decet eructare vel prædicare, seu tantùm EVANGELIUM CHRISTI, hoc est, DOCTRINAM EX SACRIS LITERIS HAUSTAM, prout constat ex *II. Tim. II 15. 16. 17.* Quod si quis *Prædicantem* agit *non-Evangelicum*, atque nugas, fabulas, traditiones natratas, loco verbi DEI prædicat, is *impostor* est, judice Paulo, *II. Tim. III. v. 13.* & anathemate dignus, *Galat. I. 8. 9.* Nihil ergo magis curandum est, Christi ministro fideli, quàm ut bona fide agat PRÆDICANTEM, & quidem non quemlibet, sed præcisè EVANGELICUM. Hinc etiam solent MINISTRI VERBI dici; quia hæc palmaria functio est eorum, qui veri in officio sacro sunt Apostolorum successores, sicut Apostoli dicunt *Act. VI. 2. 3. 4.* ad multitudinem discipulorum: *Non est æquum, nos derelictò VERBO DEI, ministrare mensis. Dispicite* ergo, *Fratres, ex vobis Viros septem, idoneo testimonio ornatos, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos præficiamus huic negotio: Nos verò in precibus & ADMINISTRATIONE VERBI perdurabimus.*

Ein

En Apostolici officii partem præcipuam, verbi administrationem! En Apostolos verbi Ministros seu Logodulos! En Ministros verbi seu Logodulos, Apostolorum in officio indubios successores! Ostendant, quibus Ministri verbi risui sunt, quibus Longoduli, homines tantùm non infames judicantur, simili evidentiâ, sacrificulos esse in officio Apostolico quôdam occupatos, adeoque sese æquè indubiè Apostolorum in officio successores esse.

Ibid. Quod potissimum fit:) Aliàs non negari potest, quòd ad Ecclesiæ ministrum quoque pertineat Catechisatio: quanquam hanc pro potissima officii Pastoralis parte non habeamus. Notatu digna sunt, quæ hanc in rem monuit *B. D. Kortholtus cit. loc. Cap. II. Posit. III. §. 2. p. 85. 86.* judicans, optandum esse, ut Parentes domi & Præceptores in scholis, suum facerent officium; imo ut Ecclesia præter Ministerium verbi, etiam, more primitivæ Ecclesiæ, certos constitueret Catechetas, neque omnia onera conjiceret in colla Pastorum. Quò etiam pertinet, quod ex *B. Chrysostomi Homil. 9. in Epist. Col.* adducit. Interim rectè addit. §. 3. *pag. 86. Verum enim verò si neque Catechistas peculiares Ecclesia habeat, neque Præceptores in Scholis, neque Parentes domi partes suas fideliter exequantur, quod tum supereſt, nisi ut tanto majori industria hei vigilent, quibus specialiter commissa est cura animarum.*

Ibid. Per conciones publicas :] Sive sermones sacros publicè ad populum Ecclesiasticum habitos, quos aliàs Græca voce *Homilias* salutant : unde illa pars Theologiæ, quæ conciones habere docet, *Homiletica* dicitur, de qua aliàs.

Ibid. Ad populum habitas :] Populus Ecclesiasticus, qui proprium auditorium sermonum illorum sacrorum constituit, supponitur jam satis in Catecheticis instructus, unde idoneus auditor h. l. non est, qui prima illa fidei rudimenta, quæ Catechismus exhibet, nondum tenet. Huc pertinet utique illud Pauli, *Ebr. V. 12. 14.*

Ibid. Ex revelatione divina seu scriptura sacra :] Quemadmodum hodie non aliud Revelationum supernaturalium genus in Ecclesia prostat, quàm Sacra Scriptura; ita pridem doctores Ecclesiæ ad hoc principium cognoscendi & docendi ablegavit Spiritus S. per Paulum *II. ad Timoth. II. 15. 16. 17.* & ita quidem ut secus animatos, *v. 13.* etiam *impostores & seductores* appellet, *qui & ipsi seducti sint & alios seducant.* Confer huc, quæ *D. Quenstedius* disseruit cit. loc. ad *monitum* suum *LXII. pag. 374.* quod est : *Minister verbi proponet in Ecclesia, non sua somnia, aut humana adinventa & commenta, sed divina oracula, seu purum & sincerum DEI verbum.*

Ibid. Rectè explicata :] Rectè ex-

explicatur Scriptura, quando Scriptura per Scripturam explicatur, sive sic, ut ipsa Scriptura sui interpres constituatur, dum videlicet Scripturarum omnium & singularum scopum proprium & communem rectè expedimus, dicta Scripturæ inter se attentè conferimus, phraseologiam consideramus divinam, & reliqua media interpretandi, divinitus subministrata, rectè applicamus, adeoque à præconceptis opinionibus nostris & aliorum, nobis temperamus. Nec enim Scriptura est *privatæ interpretationis*, ut *Petrus* docet *II. Epist. v. 20. 21.* unde etiam Paulus non aliter Timotheum ex Scripturis perfectum doctorem esse posse judicat, quàm quatenus *Scripturas à puero didicerat*, adeoque hanc veluti in succum & sanguinem converterat. Facilè hinc constat, quòd concionatorem non oporteat citra præmeditationem, precesque pias, provolare in suggestum, cùm ipsius illuminatio non sit immediata, qualis promissa erat discipulis, *Matth. X. 19. 20.* & alibi, sed mediata, ex Scripturarum meditatione pia & perpetua, exemplo Timothei l. c. Vide *D. Quensted.* cit. loc. *Monito XVII.* quod est: *Nunquam sine pia præmeditatione suggestum conscendat, p. 106. seqq.*

Ibid. De his, quæ ad fidem & mores pertinent:] Illa Articuli fidei item Credenda; hæc Capita Morum, item Agenda salutantur. Huc omnia in Concionibus revocari debent, ut Fidei Fundamentum

&

& Morum sanctitas perpoliantur. Huc pertinent loca Pauli *I. Tim. IV. 11. Cap. VI. 2.* prout doctè ostendit *D. Quensted. cit. loc. monit. LIX. pag. 364 365.* Quæ verò nullum cum his, aut nonnisi levem nexum habent, illa nonnisi modestissimè, pro auditorii captu attingat. Salutare monitum est *D. Quenstedii cit. loc. n. LXIV. pag. 384. Abstrusiora vel non proponat, vel conetur, ut explicando plana fiant, imprimis à quæstionibus subtilibus & disputationibus inutilibus prorsus abstineat.* Nec minus salubre est monitum præcedens LXIII. *Facetias, Jocos, Scurrilitates, inutilium rerum narrationes à suggestu penitus removeat, pag. 381.*

Ibid. Dogmata sincera doceantur & confirmentur:) Sincera dogmata sunt, quæ Scripturis divinis ritè explicatis conveniunt. Docendo ergo & confirmando dogmata Scripturarum divinarum illam muneris sui partem minister verbi explet, quam ex *II. Tim. III. 16. Didascaliam* vocant. De Regulis officii didactici non modò videndæ sunt Institutiones Homileticæ passim; sed etiam Scriptores Institutionum Pastoralium, præcipuè *Quensted. cit. loc. Monit. LXV. p. 388.*

Ibid. Errores oppositi refutentur:) Hæc pars officii Pastoralis seu episcopalis dicitur *Elenchus*, & aliquando differentiæ gratiâ, *Elenchus doctrinalis.* Denominatio est petita ex citato loco *II. Timoth. III. 16.*

Præ-

Præcepta est functio hæc passim, maximè *ad Tit. I. v. 9 10. 11.* adeoque negligi non potest, sed rectè potius usurpari debet, quod fit, si (1.) abstinuerimus ab Elenchis errorum auditorio nostro ignotorum: (2.) si eos solos refutaverimus, à quibus periculum nostris imminet, ut iis implicentur: (3.) si citra scommata, merita causæ, modô ad auditorii captum adaptatô, piè secundum scripturas excusserimus. Porro imminet periculum auditorio ecclesiastico, sive populo promiscuo, ab erroribus Hæreticorum vel vicinorum, vel quibus in itineribus & nundinis aliquando miscentur; itemque ab erroribus talibus, qui captum vulgi sua subtilitate non transcendunt. Plura pete ex *Quensted.* cit. loc. *Monitis LXVI. LXVII. LXIIX. à pag. 395. ad 430.*

Ibid. Virtutum Christianarum singularum atque omnium studium inculcetur:) Officium hoc Paulus *II. Tim. III. 16.* dixit *Pædiam.* Studium hoc maximè, nostrô cumprimis tempore, urgeri debet, ubi fides historica vel mera carnalis notitia & assensus humanus, loco fidei salvificæ longè & latè grassatur. Momentum rei æstimetur ex locis variis ad *Tit. I. 15. 16. II. Petr. I. 5. seqq. Jacob. II. 14. seqq. I. Timoth. IV. 7. 8. &c.* In studio hoc inculcando annitatur Minister verbi, ut Practica doceat practicè, hoc est, ita, ut non tantùm dicatur (1.) quid sit faciendum,

&

& (2.) quare; sed etiam (3.) Quomodo, quibus mediis; & quo ordine fieri possit ac debeat? Ingens quippe defectus est, quando virtutes edocturi, nihil urgemus vel edocemus, præter præcepta & elogia. Movent hæc quidem appetitum, sed non juvant, nisi plenior demonstratio modi agendi, & præstandi ea, quæ præcepta exigunt, accesserit: quemadmodum artis scribendi imperito frustra tantùm præcipis, ut scribat, vel artem scribendi commendas, nisi simul cum tuô exemplô, & consiliis & practica manuductione in ipsis conaminibus juveris. Porro nihil magis juvat virtutis Christianæ cultorem practicum, quàm exercitium ipsum, ad vivi & exercitati viri exemplum & consilia susceptum. Quotquot igitur impii sunt ministri, in hoc munere suo deficiunt, licet enim apti sint ad docendum verbis, quia tamen sanctimoniæ studium suo exemplo practicè, ut debebant, non edocêt, sinistra destruunt, quod exstruxerant dextra. Huc pertinet, quod Paulus scripsit, *I. Tim. IV. 12. Ἔστω τύπος, exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate*, Conf. *Tit. II. 7. I. Petr. V. 3. II. Thess. III. 9. Philipp. III. 17.* &c. Etsi autem certum sit, quòd non modò juvent, sed etiam necessaria sint ad virtutum doctrinam, exempla docentium, & consilia practica, qualia hodie institutio illorum, qui non illotis manibus studium pietatis tractant, sæpius offert; attamen modestiæ Theologi-

logicæ est, ut perpetuò observetur, quod optimè & utilissimè omnium, *D. Spenerus* in laudato superiùs libello, würdiger Studiosus Theologiæ, monet *pag. 113. seqq.* cujus verba adscribam: Es kan leicht geschehen / wo ein Studiosus (Pastor) es gut meynet / und bereit seinen guten Anfang der Heiligung bey sich gemacht /) wiewohl diejenige solcher Versuchung mehr unterworffen sind / die sich alzu gesetzlich gewehnet / dahingegen / welcher Frömmigkeit mehr aus dem Evangelio gehet / weniger Gefahr darvon haben) daß er dahin verfället / alle andere zu richten / und wo sie nicht nach seiner Art sich anschicken / wo sie einige Dinge thun / die und dero Ursachen er nicht begreift / oder wo sie auch insgesamt nicht die Wege von GOtt geführet werden / die er gegangen ist / sie zu verdammen: womit er sich aber schwehrlich versündiget / und viele Hinterniß des guten daraus entstehen kan / auch dergleichen offt geschehen ist. Indessen merckt ers nicht / daß solches so wohl offenbarlich wider des HErren Gebot Matth. VII. v. 1. nicht zu richten / streite / als auch sich daraus eine heimliche Hoffart bey ihm offenbahre / sich andern zum Richter zu setzen / und damit ihnen vorzuziehen. Dahingegen / wo ein Studiosus recht demüthig ist / solcher aus der demüthigen Erkäntniß seiner Schwachheit am liebsten glaubet / sein Maß des Lichts möge noch gering seyn / er habe auch die Erfahrung noch nicht von allem /

allem / er wisse wohl den Weg / den er gegangen / aber GOtt könne andre auch auff andre Art führen / die er noch nicht verstehe &c.

Ibid. Peccatorum retractatio, fuga & detestatio excitetur:) Hæc officii sacri pars dicitur *Epanorthosis ex II. Timoth. III. 16.* item *Elenchus Moralis. Retractatio peccatorum* principium *pœnitentiæ* est, quam urserant Johannes Baptista, ut & Christus & Apostoli ejus, in prima officiorum suorum parte, *Matth. III. 2. cap. IV. 17. Marc. VI. 12. Actor. II. 38. &c.* Ipsa etiam prima thesis *B. Lutheri*, quam contra papatum *Anno 1517. d. 31. Octobr.* ventilandam proposuit, hæc erat: *Dominus & Magister Jesus Christus, dicendo, pœnitentiam agite &c. omnem vitam fidelium pœnitentiam esse voluit.* Nihil ergo magis requiritur inter homines nostri præcipuè seculi, quàm ut sedulò pœnitentiæ studium urgeant Ecclesiæ ministri. Sed etiam hoc officium practicè debet exerceri, nec satis fuerit, detonuisse in vitia. Regulæ Elenchi Moralis passim ab auctoribus traduntur, tàm in præceptis Theologiæ Homileticæ, quàm Pastoralis: unde hic nolumus esse prolixiores.

Ibid. Pro statu & indigentia auditorum:) Homiletæ mensura est status auditorii. Quicquid pro suggestu neque ad captum auditorii, neque ad indigentiam ejus proponitur, peccatum est contra muneris

neris Ecclesiastici leges, atque hominem officii sacri imperitum arguit.

Pag. cad. §. II. PECCATUR A MINISTRO, SI A SACRIS SERMONIBUS SÆPIUS ET SINE CAUSA SATIS GRAVE SE SUBDUCAT:] Tales ministri Ecclesiæ sunt Episcopi in Papatu, de quibus B. Lutherus in *Articulis Smalcald. Part. III. Art. X.* scribit: *nec sunt, nec esse volunt, veri Episcopi, sed Politici dynastæ, & Principes, qui nec concionantur, & docent, nec baptizant, nec cœnam administrant, nec ullum opus & Officium Ecclesiæ præstant.* Apud nostrates deficiunt aliqui hac in parte, qui quacunque causa arrepta, Concionem omittunt, & vel capita, vel ex postillis orationem aliquam prælegi curant, ipsis interim alibi præter necessitatem circumvagantibus: id quod in aliquibus locis satis frequens est. Quod si autem vel morbus, vel alia causa prægnans subfuerit, nemo hoc cuiquam vitio vertet. Vicini sunt huic vitio, qui malunt aliis minus aptis suas in concionibus habendis partis committere, quàm gregi sibi commisso consulere per orationes ad statum ipsius ordinatas.

Ibid. NON EAM, QUÆ DECET, ADFERAT DILIGENTIAM:] Partim ardorem precum, partim meditationem textus, vel status auditorii debitam intermittendo. Qui preces omittit ardentes; Spiritum concionis intercipit. Qui non mediatur textum ex-

plicandum; DEUM tentat. Qui ſtatum auditorii ſui non rectè expendit; in aërem loquitur, nec ædificationem pro fine habere poteſt, ſed tantùm loqui cenſendus eſt, ut loquatur, non ut ædificet.

Ibid. MAGIS AD CAPTANDAM GRATIAM:] *Sive* dictione ſublimi & delicatâ, quæ magis delectat aures profanas, quàm ædificat muntes; *ſive* rebus ad indolem carnis & eruditionis ſecularis potius, quàm ad indigentiam auditorii accedentibus.

Ibid. AFFECTUS INORDINATOS EXPLENDOS:] Quales ſunt vindictæ privatæ cupiditas, auri ſacra fames, invidia, ſtudium partium, quibus ob privata commoda noſtra bene cupimus &c.

Pag. 510. §. eod. REFUTATIONIS ERRANTIUM:] Imprudentius adhibentur refutationes, quando *vel* tales refutamus errores, quos auditorium neſcit, & à quibus nullum ei imminet periculum; *vel* quando ſubtiliores ſunt, quàm ut à plebe percipi poſſint; *vel* quando non ſatis ſolidè fiunt.

Ibid. CORRECTIONES PECCATORUM:] Nam & in Epanorthoſibus facillimè exceditur modus, præcipuè (1.) quando non ſatis certa, tanquam certa, exagitantur: (2.) quando gradus adminitionis negliguntur, & ea, quæ occulta erant, nec adhuc ſcandalum elencho expiandum crearant, publicè proponuntur, & ſic

sic demum in scandali materiam, per improvidam epanorthosin publicam convertuntur: (3.) quando magis caro, quàm Spiritus Christi, magis ardor perdendi, quàm cupiditas sanandi, linguam & mentem creatoris impotentis exagitat, atque impellit &c.

Pag. ead. § III. MANDATUM DEI:] Talia mandata exstant *Ezechiel. XXXIII. 7. 8. Matth. XXIIX. Actor. XX. v. 28. 31. I. Tim. IV. 11. 12. 13. 14. 15. 16. cap. V. v. 20. 21. 22. II. Timoth. II. 14. 15. cap. III. 14. 15. 16. cap. IV. 5. I. Pet. V. 2. 3. 4.* & alibi passim.

Ibid. EXEMPLA CHRISTI ET SANCTORUM:] Pertinet huc totum officium Christi propheticum, quo in diebus carnis suæ fungebatur: itemque vitæ Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Patrum Ecclesiasticorum &c. qui in hoc munere ad carceres, ignominiam, imo ad sanguinis profusionem usque fideles fuerunt & constantes.

Ibid. PARS PRÆCIPUA EST TOTIUS FUNCTIONIS SACRÆ:] Unde Ministerium sacrum ministerium verbi dicitur, item Officium concionatorium, &c. Et ministri ipsi audiunt hinc Præcones Evangelii, Doctoresque Ecclesiæ. Confer quæ diximus ad §. I.

Ibid. NOMINE DEI LOQUENDUM EST AD POPULUM:] Hinc *Ezechiel. XXXIII. 7.* jubentur verbum ex ore DEI velut

sumere, & Christus ait *Luca X. v. 16. Qui vos audit, me audit.* Verecundè igitur & cum omni cura dabet tractari sermo, quem loco & nomine DEI, proferre tenemur, & tanquam DEI verbum recipi volumus.

Ibid. PRÆMIA:] Non quidem caduca & temporalia, nisi rariusculè & velut per accidens; sed æterna, *Daniel. XII. 3. I. Petr. V. v. 4.*

Ibid. POENÆ PECCANTIBUS DESTIMATÆ:] *Sanguinem ejus à manibus tuis requiram,* ait DEUS *Ezechiel. XXXIII. 8.* Conf. *Zach. XI. 17. Matth. XXIII. 13.* &c.

Pag. ead §. IV. ANIMUS PIUS ATQUE ERUDITUS:] Pietas non fucata esse debet, & Eruditio non secularis, sed sacra ex verbo DEI vivo, quâ tali, hausta. Conf. quæ diximus ad Sect. I. §. I. & II. &c. Porro qui hoc habitu pietatis & eruditionis divinæ pollet, subinde proficit, ulteriusque progreditur, cùm habenti detur, & ipsa pietas sacra eruditio seipsam promuveat, ornet, confirmet, atque vires acquirat eundo, nec sinat nos esse otiosos vel sine fructu, ut egregiè monetur *II. Petr. I. v. 8.*

Ibid. PATIENS LABORIS:] Per juge exercitium in laboribus sacris. Hinc Paulus hanc laboriositatem, ut ita dicam, adeo commendat *II. Tim. II. 3. cap. IV. 5.* Porro labor duplex huc pertinet: Unus, quem prædica-

dicatio verbi per se adfert, de quo vide *Eccle-siasten cap. VII. 12.* alter, quem per accidens verbi prædicationi admiscent Satanas recalcitrans & ejus squamæ.

Ibid. MODESTUS, MANSUETUS ET ἀυτάρκης:] Hinc has virtutes in studioso Theologiæ & futuræ Ecclesiæ ministro noster Auctor statim in principio exegerat Part. Specil. *Cap. I. Sect. I. §. I. pag. 498.* Vide notas nostras ad locum citatum.

Pag. ead. §. V. VITIA:] De his dictum fuit ad §. II. Cap. I. Sect. I. partis hujus specialis. Confer *Quensted. cit. loc. Monit. XXXIV. seqq.*

AD CAP. I.

SECT. III.

SUB-SECTIONEM II.

De

ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM.

Pag. 510.

IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM BAPTISMI ET S. COENA:] Non nisi duo esse propriè sic dicta Sacramen-

ta ex Positivis & Polemicis supponimus. Baptismi administrationem competere Ecclesiæ ministris, constat ex ipsa institutione Baptismi *Matth. XXIIX. v. 19.* ubi Christus munus docendi & baptizandi simul suis discipulis in mundum omnem ablegatis demandavit. Paulus *I. Cor. XI. v. 23.* dicit, se à Domino accepisse Cœnæ Sacramentum, & Corinthiis tradidisse. In genere autem pertinet huc locus Pauli *I. Corinth. IV. 1.* de ministris Ecclesiæ scribentis: *Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum DEI.* Ministrorum ergo est, dispensare mysteria DEI, quæ sunt verbum, & Sacramenta. Loquimur de casu ordinario, sive de eo, quod Christus voluit fieri per ordinem Ecclesiæ suæ inductum. Extraordinariè & in casu extremæ necessitatis, posse hominem Laicum administrare Baptismum, nostratium thesis est: Cœnæ autem administrationem nunquam hominibus privatis concedendam esse, iidem alibi demonstrant. Vide non modò Theologiam Positivam B. Auctoris Capp. de Baptismo & Cœna; sed etiam inter Casuistas, nostrum *D. Kœnigium* cit. loc. & quidem *de Baptismo Casu VII. p. 257. de Cœna* autem, *casu eodem VII. p. 265. 266.*

Pag. 511. §. II. ADULTOS IN DOCTRINA CHRISTIANA JAM INFORMATOS:] Ob rationes & Motiva inferiùs ad §. IV. expendenda. Accedit experientia quotidia-

tidiana, qua edocemur rarò bona fide agere, qui hodie ex Judaismo, vel Turcismo ad nostram religionem Christianam transeunt. Dignalectu sunt, quæ de Judæis, proselytis hodiernis, seu conversis, ex ore beati Lutheri annotavit *B. Joh. Mattheſius Concione XIII. de vita Lutheri*, ubi inter alia hæc ejus verba de hoc argumento refert: Es ſind arme und verſtockte Leut/ ſie gehen mit Büberey um vor und nach der Tauffe. Darum ſo bleibet des getaufften Juden/ ſo Probſt zu Cölln ware/ letzt Teſtament in ſeiner Krafft. Der hielt viel Jahr-Meſſe/ und als man nach ſeinem Glauben und Bekänntniß fragt/ In meiner verſiegelten Truhen/ ſpricht er/ werdet ihr mein Teſtament und Confeſſion bey einander finden: Darein hat er eine gegoſſene Katz und Mauß gegen einander geſtellt mit dieſer Schrifft: Wenn die Katz die Mauß friſſt/ ſo wird ein getaufft Jud ein rechter Chriſt. Cautè ergò procedendum eſt, ne Sacramentum Baptiſmi, talium hominum ludibrio exponatur. Quoties igitur tales ſe offerunt, accuratè inquirendum eſt in Motiva eorundem, ex quibus facilè conſtabit, cujus Spiritus filii ſint. Præterea in informatione nihil diſſimulari debet methodus Chriſti, qui in diſcipulorum ſuorum Catechiſatione incepit ab abnegatione ſui ipſius & à crucis tolerentia *Luc. IX. 23. XIV. 27. &c.* non autem ab illecebris & pollicitationibus commodorum temporalium,

rium, quod Satanas & ejus Apostoli facere solent. Quem crux offendit, is sine dubio carne agitur, & illudit Christianæ religioni. Intelligitur ex dictis, in talium Convertendorum informatione, haudquaquam licere memoriam & linguam tantùm exercere, sed etiam ipsum intellectum, voluntatem & conscientiam hominum, quò ex toto pectore credere discant, exemplo illius Eunuchi, *Actor. IIX. 37.* Conf. institutiones Catecheticas Johannis Baptistæ, *Matth. III. & Luc. III.* ad Baptismi candidatos.

Ibid. INFANTES, POSTQUAM PERFECTE SUNT IN LUCEM EDITI:] Baptismus est Lavacrum Regenerationis *Joh. III. 3. 5. Ephes. V. 26.* Quomodo autem renasci potest nondum natus? Accedit, quòd infans nondum separatus à Matre pro parte matris, cujus sanguine nutritur, & visceribus continetur, habendus sit. Exstat locus notabilis hanc in rem apud *B. Lutherum Tom. VIII. Jenens. German. fol. 44. 6.* wann sichs zuträgt mit einer Frauen/ die in Kinds-Nöthen gehet/ daß die Frucht nicht mag gäntzlich von ihr kommen/ sondern allein ein Arm oder ander Glied/ so soll man dasselbe Glied nicht tauffen/ in Meynung/ als ob dadurch das gantze Kind getaufft sey. Viel weniger soll man ein Kind/ so noch in Mutterleib steckt/ und von ihr nicht kommen mag/ tauffen/ also/ daß man wolte über der Mutterleib Wasser giessen &c. Dann daß solches unrecht

und

und göttlicher Schrifft ungemäß ist / erscheinet klärlich aus den Worten Christi Joh. III. da er von der Tauffe also spricht / es sey dann / daß der Mensch anderweit gebohrn werde / &c. Darum soll nun ein Kind getaufft und also anderweit gebohrn werden / so ist von nöthen / daß es zuvor einmahl gebohrn / und auf die Welt kommen sey: welches nicht geschicht / so nur ein einiges Glied aus der Muter herfür kömmt. Hæc B. Lutherus. Plura de Nostratium sententia, hac repete ex *B. Kœnigii Casibus Catechet. ex Instit. Baptismat. cas. XIIX.* qui est, *An fœtus nondum perfectè in lucem editi, bona cum conscientia possint baptizari?* ubi & nostrarum partium decisionem demonstrat, & Pontificiorum oppositam sententiam confutat. Huic casui vicinus est casus, quem idem Königius decidit *num. XI. pag. 288. seqq. An monstrosis partubus, quin ipsis etiam campsoribus, Baptismus bona cum conscientia possit ministrari?* ubi quidem variis utitur distinctionibus monstrorum & casuum, quas inde huc, si placet, repete. Denique monendum, *Abortivos baptizandos esse, si vivant, figuramque & membra humani corporis habeant. Kortholt. Past. Fid. cap. V. Posit. II. §. 2. p. 162.*

Ibid. DE QUIBUS SPES EST PERMANSUROS IN RELIGIONE CHRISTIANA ET ORTHODOXA:] Tales sunt quorum Parentes *vel* actu jam vivunt in Ecclesia verè Christiana; *vel* quorum alteruter parens ab

infidelitate ad Religionem noſtram tranſitum, catechiſatione ſuſceptâ, paravit, & infantem baptiſmo offert; *vel* ſi qui infantes juſto bellô capti Chriſtianorum juris fiant &c. Conf. *Kœnig. cit. loc. caſ. XIII.* qui eſt, *Numquid Gentilium aliorumque Infidelium liberi, bona cum conſcientia, ad baptiſmum ſint admittendi?*

Ibid. AQUA VERA ET NATURALI:] Hæc enim illud eſt elementum, quod Chriſtus in baptiſmo adhibendum conſtituit. Id quod patet (1.) ex voce Baptiſmi & Baptizare, quâ elementum aquæ involvitur, cùm Baptiſmus nonniſi aquâ fieri conſueverit: unde de Johanne Baptiſta dicitur, *Joh. III. 23.* quòd *baptizarit in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illinc.* Conf. *Actor. IIX. 30. X. 47.* &c. (2.) Expreſsè determinavit Chriſtus aquam *Joh. III. 5.* ubi baptiſmum *nativitatem ex aqua & Spiritu* vocat. Conf. Paulum *Eph. V. 26.* ubi Baptiſmum appellat *Lavacrum aquæ in verbo.* De reliquo nihil refert, ſive Aqua fontana ſit, ſive fluviatilis, ſive frigida, ſive tepida, quia hæ aquæ differentiæ ſunt tantùm accidentales. Alius autem liquor non admittitur, ne ſubſtantia Sacramenti mutetur: unde pro baptiſmo nullo habetur, qui vino, lacte, oleo, cereviſia, vel etiam aquis artificialibus adminiſtratur. Conf. *Kœnig. Caſ. Catech. cit. loc. caſ. II. p. 230. ſeqq.*

Ibid. ABLUAT:] Sive immergendo, ſive aſpergendo: utrumque enim vox baptiſmi denotat,

notat. Antiquis temporibus immersio erat usitatissima, aspersio autem minus frequens erat, & ferè tantùm in baptismo clinicorum: tandem apud nos in borealibus terris, partim ut pudori adultorum, partim infantilium corpusculorum teneritudini consuleretur, aspersio invaluit. Neutra, sive Aspersio, sive Immersio, est simplicis necessitatis, sed ad essentiam Baptismi nihil præcisè requiritur, quàm *Ablutio*, quæ & aspergendo & immergendo fieri potest. Interim caveat Ecclesiæ minister, ne temere a consuetudine recepta recedat, sed inhæreat mori ordinario, ne turbet innovatione intempestiva populum. Plura hanc in rem disputat *Kœnig. cit. loc. cas. V. pag. 245.*

Ibid. IN NOMINE PATRIS, FILII ET SPIRITUS SANCTI:] Sic enim expressa est formula institutionis *Matth. XXIIX. 19. Baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti:* quam adeo plenam servandam esse, contendimus. Interim perinde erit, sive dicatur cum Ecclesia Latina, *Ego baptizo te in nomine P. F. & Sp. S.* sive cum Græcis, *Baptizetur hic servus Domini in nomine P. F. & Sp. S.* Ubi tamen cavendum, ne intempestivo libertatis usu Ecclesia turbetur. Conf. *Bajer. Comp. Theol. Posit. Cap. de Baptismo §. VI. nota (e).* & fusiùs *B. Kœnig. cit. loc. cas. IV.* ubi ex professo *de Formulis loquendi in administratione Baptismatis, quibus actus iste corrumpatur, & conscientia lædatur,* disserit.

Ibid.

Ibid. AD REMISSIONEM PECCATORUM &c.] Est hic finis Cujus, qui & effectus ab aliis nuncupatur. Qua de re in Positivis.

Ibid. NON SOLUM IPSE ATTENTE AC DEVOTE HÆC PERAGAT:] Etsi enim intentio ministri non reddat baptismum efficacem; graviter tamen peccat, si citra pietatem & devotionem, debitamque attentionem & curam tantum peregerit opus. De reliquo plura disputantur, de intentione ministri, nos inter & Pontificios, quatenus hæc ad efficaciam sacramenti requiratur: De qua quæstione videri poterunt Polemici.

Ibid. CURET, UT ADSTANTES SIMILITER PIOS AC DEVOTOS SE EXHIBEANT:] Curare hoc debet minister (1.) exemplo proprio suo (2.) admonitionibus per vocis directionem, gestusque gravitatem, implicitè, vel etiam, si opus fuerit, admonitionibus expressis: (3.) observatione εὐταξίας, & prohibitione confluxus profani hominum malè feriatorum, qui sæpius sic satis sacras hasce actiones turbant.

Ibid. UT MATURETUR BAPTISMUS INFANTUM:] Pædobaptismus probatur (1.) ex *Joh. III. 5.* unde argumentum: Quousque se extendit caro, eousque se extendere debet Baptismus, siquidem quis velit fieri salvus. Sed Caro se extendit ad Infantes non minus, quàm ad adultos: Ergo infantes æquè ac adulti sunt baptizandi, cum Christus velit infantes æquè salva-

salvari quàm adultos, *Marc. X. 14.* (2.) Petrus *Actor. II. 38. 39.* pro pædobaptismo suggerit argumentum. *Quibuscunque facta est divina promissio Genes. XVII. 5. Ero DEVS tuus & seminis tui post te &c. ad illos pertinet baptismus. Sed ad adultos & infantes pertinet promissio. Ergo.* Plura argumenta vide ap. *Auctorem* nostrum *in Theol. Posit. de Baptismo §. VII. not. (h). Kœnig. cit. loc. casu I. pag. 229. 230.* Hoc autem supposito (1.) quòd infantes debeant baptizari, & quidem, quòd (2.) Baptismus sit ipsis necessarius necessitate præcepti & medii, prout ex dictis constat: jam facilè infertur, de officio boni & fidelis Pastoris esse, ut non modò ipse non impediat collationem baptismi, sed etiam sua auctoritate atque monitis urgeat sibi commissos, ut Baptismum recens natis conferendum, tanquam salutis medium, maturent: memor illius Christi, *Marc. X. 14. Sinite parvulos ad me venire & ne prohibete eos.*

Pag. ead. §. III. ADULTI NONDUM INFORMATI:] Hoc delictum notavit *Brerevvodus Scrut. Relig. p. m. 91.* in iis, qui sacro lavacro tinxerunt incolas Indiarum occidentalium. Conf. *Dn. D. Carpzovii Dissert. de Catechizandis rudibus, pag. 41. qui Monachos*, inquit, *seculo superiori in Indiam missos de numero Neophytorum magis, quàm de solida eorum institutione sollicitos, absque ulla præeunte Catechizatione accurrentem plebis multitudinem baptizasse accepimus,*

mus. Quos inter cumprimis celebratur Sacerdos quidam in provincia Panaguojana, quem ex baptizandis nihil aliud sciscitatum, auctore Acosta, referunt Hospinianus Histor. Jesuit. fol. 139. & Hottingerus Part. IV. Hist. Eccl. Sec. XV. Sect. IV. pag. 891. quàm de nomine imponendo, & utrum Didaci, Alphonsi, Petri, an alio nomine appellari vellent?

Ibid. INFANTES INFIDELIUM PER VIM INIQUAM ABLATI:] Vis iniqua est, quæ jura potestatis patriæ violat, ut quando invitis parentibus, infantes vel artibus inhonestis, vel vi juri gentium contrariâ eripiuntur. Qui autem infantes jure belli in potestatem Christianorum veniunt, non censentur vi iniqua ablati, eò quòd alibi probetur, licere bellum etiam Christianis gerere Magistratibus.

Ibid. QUOS JAM BAPTIZATOS ESSE CONSTAT:] Constat (1.) baptszatos esse infantes, quos adeo non patimur rebaptizari; sed hunc *Anabaptistarum* errorem damnamus, de quibus vide commentarios ad *articul. IX. Aug. Confess.* passim. Constat (2.) etiam baptizatos esse infantes, quos v. gr. in casu necessitatis baptizavit Mulier vel Laicus, unde repudiamus conditionatum baptismum Pontificiorum, qui tales infantes rebaptizant sub conditione, *Si non est baptizatus, baptizo* &c. Conf. *B. Kœnig. cit. loc. cas. XIV. p. 320.* Cùm enim constet, Baptismum semel ritè collatum repeti non debere;

hinc

hinc illud indubium est, quod non conditionatè sit repetendus, cùm conditionatus Baptismus sit purum putum figmentum pontificium, cujus nec vola, nec vestigium in sacris literis habetur. Hoc interim de officio est boni pastoris, ut coram testibus examinet personam, quæ baptizarat, quomodo baptismum peregerit, quo de baptismo ritè administrato tantò rectiùs & certius constet. Quod si in examine defecerit persona baptizans, & aliquid in substantialibus fuerit mutatum vel omissum, tunc hicce baptismus habendus erit pro nullo, & demum veniet administrandus baptismus verus & in substantialibus integer, non autem conditionatus. vid. *Kortholt. cit. loc. pag. 157. 158.* Porrò constat (2.) infantes esse baptizatos, in quorum baptismo omnia ad institutionem Christi peracta fuerunt, etsi fortè vel nomen fuerit omissum, vel ratione sexus, permutatum, & v. gr. puero nomen fœmellæ, vel fœminæ, nomen masculi impositum: unde ne in tali casu quidem erit repetendu baptismus. Vide *B. D. Kœnig. cit. loc. casu IIX. pag. 268. seqq.* Quod si autem (3.) non certò constet de baptismo, nec etiam certitudo haberi possit, ut si expositii infantes reperiantur; tunc magna erit dexteritate opus. Vid. B. *Bœnigius cit. loc. cas. XIV. pag. 317. seqq.* qui definit, in tali casu, ubi neque Parentum, neque aliarum circumstantiarum firma certitudo haberi queat, Baptismi administrationem cum ulteriori mora protrahendam

dam non esse, sed infantem exposititium esse, baptizandum, non tamen conditionatè. Neque impedire poterit administrationem Baptismi scheda infanti appensa, qua indicatur, infantulum jam fuisse baptizatum, nisi simul nomen loci, ministri, & Patrinorum teneat expressum &c.

Ibid. FOETUS AB HUMANA SPECIE ALIENI:] Monstra sunt in duplici differentia. *Alia* enim aliam planè ab ea, ex qua nata sunt, speciem referunt; *Alia* tantùm in dispositione partium, earumque numero deficiunt vel excedunt. Illi fœtus monstrosi, qui prorsus à specie humana alieni sunt, non debent baptizari: sed alia ratio est eorum, qui speciem humanam retinent, sunt autem v. gr. bicorpores, bicipites, vel alio modo ita recedunt à communi forma, ut non simul transeant in alienæ speciei faciem. Hi enim sunt baptizandi, & quidem, si exactè constare potest, duas esse animas in distinctis, tametsi aliquo modo conjunctis corporibus, distinctis actibus baptismalibus opus est: sin minus, consultissimum est, ut uno actu baptismus peragatur. Vid. *Kortholt. Pastor. Fidelem. Cap. V. Posit. II. §. 5. pag. 164. Kœnig. Cas. Catech. cit. loc. Cæs. XI. p. 288. ad pag. 301.* De reliquo nisi periculum in mora fuerit, nihil tutiùs judicamus, quàm ut casus tam rari communicentur cum Magistratu & Consistorio vel Decano, aut Superattendere loci, sicque communi deliberatione tes tam ardua agatur. Ibid.

Ibid. RES INANIMATÆ BAPTIZANTUR:] Ut Campanæ, corallia &c. Quibus abusibus Papatus & alii nonnulli superstitiosi sese contaminant. Rectè B. Lutherus *Artic. Smalcald. Part. III. Artic. XV. Hæc baptizatio fit in contumeliam, ignominiam & dedecus sacrosancti baptismi, & ideo minimè tolerandæ est.*

Ibid. QUANDO BAPTISMUS NON FIT AQUA NATURALI:] Sic enim substantia baptismi mutatur, & baptismus habetur, qui non est ex aqua & Spiritu, qui non est Lavacrum aquæ in verbo, h. e. qui non est baptismus. Erroris ergo nostri postulant *Bezam* & similes, qui alium liquorem crediderant, aquæ loco in baptismate usurpari posse. Pontificii exagitant quoque locum ex Symposiacis Lutheri, ubi similis sententia de eo refertur, cui tamen obstat, imo contradicit ipse *Lutherus Tom. VII. Jenens. Germ. fol. 404.* expresè scribens: So er (nempe qui baptizat) nur die Einsetzung Christi hält / und nimmt dazu nicht Wein / Bier / Laugen / oder ein ander Ding / sondern Wasser mit zugethanen GOttes Wort / so heist und ist es eine heilige Tauffe. Dann hie ist alles / so zu dem Wesen der Tauffe gehört / nemlich natürlich Wasser mit dem Wort aus GOttes Stifft und Befehl. Conf. *Kœnig. Cas. Catech. cit. loc. p. 231.* ubi defendit B. Lutherum. Adde *B. D. Gerhard. in Loc. Theol. de Baptismo. cap. IV. Sect. I.*

Ibid. AUT NON FIT IN NOMINE PATRIS, FILII ET SPIRITUS SANCTI:] Peccatur horum verborum vel mutatione, vel omissione, quia Christus *Matth. XXIIX. v. 19.* hanc formulam expressè præscripsit. Vapulant ergo non modo antiqui Hæretici, de quorum formulis consuli meretur *Kœnigius cit. loc. p. 240. 241.* sed etiam minus rectè verba Lucæ, *Act. II. 38. X. 48.* accipiunt, qui inde exsculpunt; Apostolos formulam baptismalem mutasse, & baptizasse *in nomine Christi*, cùm ibi non tàm formula babtismalis exprimatur, quàm discrimen inter babtismum Christi & Johannis, ut sæpius, ratione non quidem dignitatis & effectus, sed ministerii indicetur, hoc sensu, Apostolos baptizasse conversos ad fidem, auctoritate & jussu Christi, non imitatione Johannis vel discipulorum ejus. Eodem igitur ferè sensu dicitur à Luca, Apostolos baptizasse in nomine Jesu, quô vulgô in Catechismo nostro minore dicimus, *nos esse Christianos, qui sumus baptizati in nomine Jesu Christi.* Huc pertinet famosus ille casus, qui in Bavaria circa annum Christi 744. acciderat, ubi Presbyter quidam baptizarat *in nomine Patria, Filia, Spiritua Sancta:* de quo baptismo disquirunt, an fuerit validus? Videatur hanc in rem *Kœnigius cit. loc. pag. 245.*

Ibid. AUT NON FIT ATTENTE AC DEVOTE AD FINEM

NEM SALUTAREM :] Ut quando baptismus magis ex lucri cupidate, vel aliis motiviis profanis, quàm propter Regenerationem & salutem baptizandi infantis exercetur. Pertinet huc quod disputari solet de necessitate hujus attentionis in ministro. Et quidem quod ad quæstionis hujus controversiæ ventilationem attinet, illam equidem h. l. non occupabimus. Repetemus tamen summam doctrinæ sanioris circa hanc quæstionem tenendæ. Videlicet requiritur utique ad officium ministri Ecclesiastici, ut is attento & devoto si animo, atque non modò animo præsente actionem sacram suscipiat, sed etiam intendat finem, effectumque salutarem conferre ei, cui confert Sacramentum. Hinc graviter in suum delinquit officium, qui minus devotè & attentè agit, quod agendum erat. Enimverò etsi hæc ita se habeant; non tamen potest dici, quòd intentio Ministri requiratur ad integritatem & efficaciam Sacramenti, cui nihil decedit, si vel maximè hoc se peccato contaminet minister, ut vel ex negligentia, vel ex malitia, non sit intentus ad id, quod agit.

Ibid. AUT TEMERE DIFFERTUR:] vel ob præjudicium de Pædobaptismo, vel ob negligentiam, vel ob apparatum & pompam.

Pag. ead. §. IV. INSTITUTIO DIVINA:] Tàm ratione speciei actus, quàm ratione exercitii. Speciem actus determinavit

institutio divina, præscribens ablutionem in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Exercitium non tantùm præscribunt verba institutionis modô imperativô, *Baptizate*; sed etiam necessitatem medii ex verbis Salvatoris, *Joh. III. 5.* apertè agnoscimus. In specie Pædobaptismus, ex hoc loco, si cum illo altero *Marc. X. 14.* conferatur, apertè infertur.

Ibid. EXEMPLA SANCTORUM:] Ex quo baptismus est institutus, sanctè eundem habuerunt fideles, tàm administrandô, quàm suscipiendô. Admonitiones Johannis Baptistæ ad Baptismi Candidatos, discimus ex *Matth. III. 7. 8. 9. seqq. Luc. III. 7. 8. seqq.* Sic quid Philippus monuerit ad Baptismum Eunuchi, patet ex *Actor. VIII. v. 37.* Porrò baptizasse Apostolos integras familias, & adeo parentes & liberos, discimus ex *Actor. XVI. 15. 33. XVIII. 8. I. Cor. I. 16. &c.*

Ibid. PRÆMIA MINISTRIS RECTÈ AGENTIBUS PARATA:] Servi enim fideles sic deprehenduntur, quibus æterna & immortalia præmia sunt destinata, vid. *Matth. XXV. 21. Luc. XII. 42. 43.*

Ibid. POENÆ PECCANTIBUS PARATÆ:] Infideles servi premuntur comminationibus, quæ mox citatis locis annectuntur, scil. *Matth. XXV. 30. Luc. XII. 45. 46.*

Pag. ead. §. V. PARTIM PERITIA EORUM &c. Peritia hæc habitualis esse debet, acqui-

acquirenda studiô sacrô, hoc est, precibus, meditatione verbi divini, institutionibus pastoralibus, & hominum piorum cordatorumque consiliis, ut ipsâ experientiâ & praxi pastorali.

Ibid. ANIMUS DEUM SINCERE TIMENS:] Officium hominis Christiani est, maximè autem Pastoris, excellere in studio *Pietatis*, quæ *ad omnia*, adeoque etiam ad hanc officii sacri partem rectè explendam, *utilis est. I. Tim. IV. 8.* Unde *timor Domini* alibi *principium discendi* dicitur *Prov. I. 7.* Confer *Tob. IV. v. 6.*

Pag. 512. §. VI. IMPERITIA AUT MUNERIS NEGLIGENTIA:] Oritur hoc impedimentum ex neglectu mediorum, quibus peritia debita acquiritur, h. e. ex neglectu precum, meditationis verbi institutionum pastoralium, præpostera studiorum academicorum tractatione, quâ sæpius fit ut discamus, quæ olim nos parum aut nihil in munere sacro poterunt juvare, è contrario illa, quæ utramque in officiis Ecclesticis paginam faciunt, vel leviter attingamus, vel planè præter volemus. Non parum etiam huc confert oscitantia in ipsa praxi pastorali, quæ optima in practicis hisce magistra est, atque plurima suggerit, quæ præceptis exprimi nequeunt.

Ibid. NON MALO PLANE ANIMO:] h. e. Non destinato consilio precandi, sed ex ignorantia, crassa tamen, vel saltem vin-

cibili. Unde qui sic deficiunt, & minus rectè in administrando baptismo sese gerunt, non excusandi sunt, sed meritò adiguntur ad illa media, quibus peritia debita acquiritur.

Ibid. ANIMUS MUNDO MAGIS, QUAM DEO DEDITUS:] Homines istius modi vani & profani, nihil sani, nisi per accidens, operantur. Dum enim ducuntur amore rerum vanarum, passim seducuntur, nunc ad defectus, nunc ad excessus plurimos: id quod tristis experientia passim ad oculum demonstrat.

Pag. ead. §. VII. VERUM ET NATURALEM PANEM:] Talem enim adhibuit & nominavit Christus in institutione. Est autem verus & naturalis panis, qui ex farina & aqua permistis, ope caloris pinsitur. De reliquo parum in se refert, sive panis ille sit triticeus, sive siligineus, sive hordeaceus, sive ex alio frumenti genere paratus: itemque sive sit azymus, sive fermentatus, sive rotundus, sive oblongus, sive subtilior, sive crassior, &c. Omnes enim hæ differentiæ sunt tantùm accidentales, nec tollunt substantiam panis. Abstinendum est autem à panibus æquivocè talibus, v. gr. panibus mellitis, butyraceis, & similibus arte coquinaria parari solitis. Vide *B. D. Kœnigium Cæs. Catech. III. & IV. de Sacra Cœna pag. 508. 509. seqq.* De reliquo monendum etiam hic est, quòd non sit temere à more Ecclesiæ recepto, per abusum Libertatis Christianæ, in scandalum

lum informorum & contemtum εὐταξίας recedendum.

Ibid. VINUM VERUM ET NATURALE :] Valet hic analogicè quod diximus de Pane. Nec enim in usu sacro hoc tolerari potest vinum factitium ex aromatibus, vel herbis parari solitum, multò minus alius liquor, qui non est vinum. Interim si vinum fortius in aliis regionibus, quàm apud nos, provenerit, cujus usus non est commodus, nisi paulisper dilatum fuerit aquâ, quali vinô jam olim Ecclesias fuisse usas constat, licet etiam tale vinum temperatum usurpare. Nostræ autem Ecclesiæ non patiuntur sibi imponi necessitatem mixtionis : quam in rem consule *B. D. Kœnigium cit. loc. pag. 510.* qui ex ipsis Pontificiis ostendit, quòd ritus miscendi vinum cum aqua, utut vetustus, non tamen vel universalis fuerit, vel absolutè necessarius possit haberi.

Ibid. FACTA BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE PER PRECES :] Actiones, quæ circa sacra symbola ex institutione Christi suscipiendæ sunt, non esse unam, sed plures, sine tamen divulsione exercendos, ex Positivis constat. Nimirum in celebratione Cœnæ (1.) sumi debent panis & vinum, & (2.) consecrari, (3.) distribui, & (4.) panis quidem manducari, vinum autem bibi, De nexu harum actionem non divellendo videri potest *Kœnigius cit. loc. Cas. XXIV. de Sacr. Cœn. pag.*

695. qui idem de Benedictione & Consecratione prolixè agit Cas. II. pag. 461. seqq. & quidem cùm pag. 496. Consecrationem definivisset *Actum Eucharisticum, qui Minister Ecclesiæ, ante Communionem, nomine Christi, ad mandatum & promissionem ejus divinam, repetitis primæ institutionis verbis, elementa panis & vini, à communi suo usu segregat, eaque sic præparat ac elevat, ut, virtute Christi, qui verbo suo ore ministri prolato, potentissimè adest, in Communione, panis verè Corporis, vinum verè Sanguinis Christi distribuendi sit & existat medium.* Cùm, inquam, sic Consecrationem definivisset *Königius*, mox addit, voces *Benedictionis* & *Sanctificationis* priores esse voce *Consecrationis*, quæ quarto demum seculo originem suam debeat, translata ex Gentilismo ad sacra Christianorum: *quanquam* (ut idem p. 497. scribit: *præstitisset, ab hac καινοφωνίᾳ, prioribus eorum Antecessoribus ignotâ etiam in futurum abstinere. Nam utut non eam, quæ Gentibus in more erat posita, intelligebant consecrationem; fraudi tamen fuerunt posteris, qui cùm nomen audiebant, apud Gentes prius frequentatum nescio in qua ἀποθεώσεως materiâ, statim & b. l. eandem denotari crediderunt.* De reliquo, dum noster Auctor *Benedictionem & Consecrationem* ait *fieri* debere *per preces*, quibus verba institutionis contradistinguit, patet eundem paulò aliter Benedictionem & Consecrationem accipere, quàm prout eandem modò ex B. D. Königio

gio descripsimus. Et profectò disputari solet; (1.) an Christus in primâ Cœnæ institutione, peculiaribus verbis consecrârit? an verò nullâ plenè peculiari Consecratione fuerit usus? quod posterius congruè dici, ait *Königius cit. loc. pag. 491.* (2.) Disputatur, quâ ratione hodie in Cœna fieri debeat consecratio? *Alii* enim statuerunt ad consecrationem solam Orationem Dominicam sufficere; *Alii* consecrationem absolvi putant solâ verborum primævæ institutionis repetitione; *Alii* denique contendebant, verbis institutionis necessariò jungi debere precationes & benedictiones à sanctis patribus traditas: de quibus vide laud. *Königium cit. loc.* qui tandem pag. 496. definit, etsi Commonefactiones ad populum & preces Communioni rectè præmittantur ad sumentium ædificationem; non tamen pertinere illas ad ipsius consecrationis οὐσίαν.

Ibid. VERBIS INSTITUTIONIS RECITATIS:] In verbis institutionis, cum actionibus circa symbola sacra, conjunctis ratio Formalis Sacræ Cœnæ, secundum nostrum Auctorem beatum, consistit. Vide *Theolog. Posit. Ejusdem Loc. de Sacr. Cœn. §. IX.* Conf. *Königium cit. loc. Cas. X. pag. 574. seqq.* ubi simul disputat *de formulis in porrectione benedicti panis & vini à Ministro communiter recitari consuetis, anne bonâ cum conscientiâ possint intermitti?* atque respondet, temere illas quidem, ubi rece-

ptæ sint, omittendas non esse; esse tamen non de essentia Actionis sacramentalis, unde non sit duriùs pronunciandum de istis Ecclesiis, quibus formulæ tales non sint usitatæ.

Ibid. HOMINIBUS, QUI SE PROBARE POSSUNT:] Secundum illud Pauli *1. Corinth. XI. v. 28. Probet homo seipsum & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat.* Non ergo est Cœna porrigenda iis, *qui se probare non possunt*, ut sunt infantes, amentes, Capitum fidei Christianæ rudes &c. vel etiam *qui se probare nolunt*, ut sunt homines notoriè carnales, securi atque impœnitentes. Non autem simpliciter à Cœnæ usu excludendi sunt muti & surdi, nec qui ob crimen accusati, nondum tamen convicti sunt, si fortè in morbum incidentes desiderio Cœnæ teneantur, & pastoris officium requirant. Conf. *Kortholt. c. l. cap. VI. Posit. l. II. seqq.*

Ibid. MANDUCANDUM ET BIBENDUM DISPENSET:] Christus enim hoc expresse mandavit, *Edite, Bibite.* Unde conficitur, quòd panis & vinum extra manducationem non sint Cœna Domini, adeoque nec Sacramentum, multò minus ipsum Corpus Christi transsubstantiatum. Est etiam utrumque Symbolum sacrum porrigendum cuilibet communicanti, ita ut satius sit ab utroque Symbolo abstinere, quàm alterutrum tantùm sumere: Quod non modò propter Pontificios, sed etiam propter abstemios tenendum est. Vid. *Kœnig. cit. loc.*

loc. Cas. XIX. pag. 648. seqq. Add. *Kortholt. loc. cit. Cap. VI. Pos. p. 195. seqq.*

Ibid. AD CONFIRMATIONEM FIDEI ET REMISSIONIS PECCATORUM:] Hæc verba indicant finem Cujus, de quo vide *Comp. Theol. Posit. Loco de Cœn. §. XII.*

Ibid. UT OMNIA HÆC FIANT DEVOTE:] Non tamen superstitiosè, sicuti solent illi, quibus cultus electius placet. Præcipuè hic meretur inculcari istud B. Lutheri in Catechismo minore monitum: *Jejunare & Corpus suum præparare, est quidem bona & externa disciplina. At ille est verè dignus ac probè paratus, qui habet fidem in hac verba: Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum. Qui verò his verbis non credit, aut de illis dubitat, ille est indignus & imparatus. Quia hoc verbum PRO VOBIS postulat omnino cor, quod DEO credat.*

Ibid. UT ILLI, QUI DESIDERANT -- MATURE ILLO POTIRI POSSINT:] Videl. cavendum est, maximè si ægroti hoc sacrum viaticum requisiverint, ne desit suo officio Pastor, & moras temerè nectat, sicque vel planè homines hoc bono privet, vel saltem illorum desiderium intercipiat & turbet. Interim cautè in talibus casibus agendum est, quando Pastor ad homines evocatur, qui in extremis constituti Eucharistiam postulant. *Alii* impii sunt, & nihil nisi honestam sepulturam usu

Cœnæ,

Cœnæ, quam in vita contemtui habuerant, quærunt: *alii* verò inopinato morbo in has rediguntur angustias. Illis non est danda Cœna, *nisi earum adhuc viriunt sit ægrotus, ut sermones cum eo miscere possit, unde de fervia ejus resipiscentia certior fiat. Aliàs enim sanctum canibus dari in propatulo est. Kortholt. cit. loc. Posit. V. p. 200.* Quod autem ad posteriorem attinet casum, cavendum est, ne Cœna porrigatur in agone sic constitutis, ut omnem etiam usum rationis amiserint, cùm in tali casu nec commemoratio mortis Dominicæ, nec probatio sui amplius habeat locum, Vide *Kortholtum cit. loc.* Similiter incumbit ministro Ecclesiæ ad ægrotum evocato, ut sedulò inquirat, anno vomitu affligatur æger, cui Cœna est porrigenda, ne per imprudentiam porrecta sacra Symbola mox ab hoc non sine scandalo infirmorum & tentationibus ægri per vomitum reddantur. Confer, si placet, nostrum *Nucleum veri Christianismi Part. III. tract. V. p. 382. seqq.*

Pag. ead. §. VIII. SI VEL SYMBOLA SACRAMENTALIA MUTET:] Hoc est, aliud quid in Cœnæ usu adhibeat, quam panem verum & naturalem, vinum verum & naturale: qua de re ad §. præced.

Ibid. VEL VERBA INSTITUTIONIS MUTET:] Sive mutilando eadem, sive prorsus alia verba substituendo. Scil. integra verba institutionis recitanda sunt in consecra-

secratione, prout ostendit *B. Kœnigius cit. loc. Cas. II. pag. 495.* ubi adducit Chemnitium, Hunnium, Menzerum, Gerhardum, consentientes.

Ibid. AUT ALTERUTRUM TANTUM EX SYMBOLIS DISPENSET:] Rectè *B. Kœnigius cit. loc. Cas. XIX. pag. 648. Rejicimus opinionem nonnullorum modernorum in causis Religionis moderatorum, qui putant consultius esse, unam sumere Sacramenti speciem, quam nullam; & exemplo, firmiorem illis opponimus, consultius esse vel totum Sacramentum recipere, vel à toto abstinere.*

Ibid. AUT DISPENSATIONEM OMITTENS, EX SACRAMENTO SACRIFICIUM FACIAT:] Feriunt verba hæc Sacrificium Missaticum Pontificiorum: de quo ex Theologia Polemica constat, quid sit sentiendum. Lutherus in *Articul. Smalcald. Part. II. Artic. II.* scribit, *Quod Missa in Papatu sit maxima & horrenda abominatio, simpliciter & hostiliter è diametro pugnans contra Articulum primum &c.*

Pag. 513. §. eod. AUT INFANTES VEL ADULTOS INDIGNOS ADMITTAT:] Hoc est, tales qui sese vel non possunt vel nolunt probare, sive ex malitia, sive ex ruditate, sive ex teneritudine ætatis, sive ex morbo aliquo. *Augustana Confessio Articulo III. Abusuum mutatorum* ait: *Assuevit populus,*

ut

ut unà utantur Sacramento, si qui sunt idonei, id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati.

Ibid. MINUS ATTENTUS AC DEVOTUS SIT:] Sic enim delinquit graviter in officium suum Pastor, etsi vim Sacramenti hoc suo delicto non possit intervertere, modò omnia rectè de reliquo ad Christi institutionem fuerint peracta.

Ibid. AUT AB ALIIS PROFANARI ILLUD PATIATUR:] Suâ videlicet culpâ efficiens, ut homines leves ex suo cœtu, vel ob ruditatem, vel superstitionem, vel petulantiam, ore vel opere Sacramentum Cœnæ irreverenter tractent. Tales sunt, qui hostias artibus magicis profanant, vel de Cœna abjectè loquuntur, per Sacramentum jurant &c.

Ibid. DESIDERANTES DIGNOS DIUTIUS MORETUR:] Digni sunt, qui sese probant, adeoque non modò facultatem & voluntatem sese explorandi habent, sed etiam qui se reipsa probant. Cavendum itaque, ne pœnitentes diutius, quàm par erat, arceat, sed ad reconciliationem admittat. Præsertim verò Ægrotorum habenda est ratio, quorum desiderio adeo non debet deesse pastor, ut potius peccare censendus sit, nisi eosdem sua informatione & monitis sacris ad desiderium istiusmodi sacrum sponte concitarit.

AD CAP. I.

SECT. III.

SUB-SECTIONEM III.

De

OFFICIO MINISTRI ECCLESIÆ, QVOAD POTESTATEM CLAVIUM SEU REMITTENDI ET RETINENDI PECCATA.

Pag. 513. §. I.

CHRISTUM CONTULISSE MINISTRIS POTESTATEM --- REMITTENDI ET RETINENDI PECCATA:] Constat hoc ex *Matth. XVI. 19. Joh. XX. v. 23.* ubi ita Christus discipulis suis dedit facultatem solvendi & ligandi, ut simul dicat, in cœlis ratum habitum iri, quod ipsi, tanquam ministri Christi, ex institutione divina peracturi fuerint. De reliquo *certum est, auctoritatem & potestatem ipsam, peccata remittendi, formaliter non esse, nisi ejus, qui DEUS est. Vid. Esaiæ XLIII. 25. Marc. II. 7. sed exercet eam DEUS Christusque θεάνθρωπος per ministerium, voce sensibili eam annunciando hominibus.* Verba sunt B. *Auctoris* nostri *Theol. Posit. Loc. de Minist. Eccles. §. X. nota (a)*

Ibid.

Ibid. REMISSIONEM PECCATORUM PROMTE ANNUNCIENT &c:] Ne videlicet ipsi facilitatem DEI in condonandis delictis obfuscare deprehendantur, & ex privata opinione, duriores sint ipso DEO, cujus ex nutu pendere debebant. Porrò cùm Annunciatio Remissionis peccatorum duplex sit; *Una* universalis & indeterminata, qualis in nostris Ecclesiis, singulis diebus Dominicis, post conciones publicas, recitatur; *altera*, determinata & ad certorum individuorum privatim confitentium statum commodata; de utrâque intelligi debet monitum auctoris, præcipuè tamen de alterâ hâc determinatâ & ad specialem conscientiarum statum commodanda.

Ibid. ILLIS, QUI VERÆ CONTRITIONIS ET FIDEI SIGNA EDIDERUNT:] Contritio & Fides sunt partes essentiales constitutivæ, veræ pœnitentiæ; ad quas adeo in hoc negotio sedulò est respiciendum. *Illa est* retractatio peccatorum commissorum & ex verbo legis agnitorum; *hæc* est fiducia ex verbo Evangelii de Gratia DEI & remissione peccatorum in sanguine Christi impetranda, concepta. Signa utriusque sunt confessio partim ore, partim facie Davidicâ, qualis *Psalmo VI. & XXXIIX.* describitur, partim reali emendatione vitæ, edita. Porro cùm signa hæc sint fallacia & quandoque etiam ab Hypocritis adhibeantur, oportet Ecclesiæ Ministrum

nistrum ita verbum Legis & Evangelii subinde quoad usum jungere, ut & ipse suæ conscientiæ & absolvendorum indigentur consulat. Fieri enim potest, ut nimis urgendo illa signa, modum excedamus; & ex opposito nimis fidendo signis illis, ad hypocritis ejulantibus egregiè fallamur.

Ibid. SI FORTE PER CRIMINA MANIFESTA ECCLESIAM ANTE OFFENDERINT:] Prout v. gr. David adulterio & homicidio, Paulus persecutione Christianorum virulenta &c.

Ibid. CUM EA PER DEPRECATIONEM ITERUM IN GRATIAM REDIERUNT:] Scandala publica non modò in foro conscientiæ, coram DEO, per contributionem & veram pœnitentiam debent retractari; sed etiam ne alii, per scandalum ad similia delicta allecti, citra emendationem maneant, publica opus est delictorum retractatione, ad scandalum delendum tollendumque. Hi igitur dicuntur in gratiam cum Ecclesia reversi, qui post publica scandala & manifesta crimina, etiam publicis pœnitentiæ signis, malum anteà perpetratum retractant & quantum in se est, abolent. Publica hæc Reconciliatio cum Ecclesia scandalizata dici solet *Pœnitentia Ecclesiastica*, quæ ad nihil aliud valet, quàm ut satisfiat Ecclesiæ, & ut retractetur scandalum; neque haberi debet pro

satisfactione in foro Divino, in quo solum Christi meritum valet.

Ibid. DENEGENT ANNUNCIATIONEM REMISSIONIS PECCATORUM:] Nemo absolutione, nomine divino, est erigendus, nisi qui per contritionem & fidem est ad DEUM conversus. Ut huic officii sacri parti satis fiat, boni pastoris est, non modò generaliter subinde urgere cum Johanne Baptista *Matth. III. v. 8. seqq.* sinceritatem pœnitentiæ; sed etiam oportet eum, ubi ex rumore, qui non omnino vanus videtur, aut certis quibusdam circumstantiis de crimine aliquo suspectus sit confitentium quisquam, privatim hoc nomine eundem monere, & in facti veritatem inquirere, quanquam sic, ut non tàm conscientiarum tortorem, quàm parentem pium & gravem agat. Videatur omnino *B. Kortholt. in Pastore Fidel. cap. IV. Posit. I. p. 119 seqq.* ubi modum procedendi paulo fusiùs ostendit.

Ibid. IRAM DEI ANNUNCIENT:] Id quod in Scripturis dicitur *Ligare*, item *Retinere peccata*.

Pag. 514. §. eod. QUI VERA CONTRITIONE ET FIDE DESTITUTI:] Scilicet notoriè. His quippe DEUS in verbo suo peccata retinet: unde minister verbi diversum, salvâ conscientiâ & validè pronunciare non potest. Alligatur enim hoc ejus officium ad verbum oris divini. Conf. *Ezechiel. XXXIII. 7. 8.*

Ut

Ut verò, si qui sint hypocritæ, sibi consulat Minister Ecclesiæ, sedulò inculcet (1.) quid sit vera contritio & vera fides: (2.) quòd soli ab hac contritione & fide viva instructi efficaciam & virtutem sive fructum absolutionis sacerdotalis percipiant: (3.) quòd illi, qui citra veram contritionem & fidem, vel ex mera consuetudine, vel ob alias causas profanas ausint imponere Ministro, non tamen sint elusuri judicia DEI, sed sibi cumulaturi iram in die iræ: unde, ubi videbitur status quorundam confitentium ita exigere, poterit (4.) obtestari conscientias, ut sibi ipsis parcant, cùm DEUS non irrideatur. &c.

Ibid. ENORMIBUS PECCATIS IN DEUM ET ECCLESIAM COMMISSIS MACULATI SUNT:] Catalogum istiusmodi peccatorum contexuit Paulus *ad Galat. V. v. 19. 20. 21. I. Corinth. VI. 9. 10.* Qui itaque notoriè sunt talibus peccatis maculati, debent à pastore fideli graviter castigari, & priùs ex verbo legis ad agnitionem gravitatis peccatorum suorum & iræ divinæ perduci, itemque ad id adigi, ut Ecclesiæ scandalizatæ satisfaciant, exemplo Davidis, Manassis, Pauli, & aliorum enormia delicta publicè confitentium, & retractantium.

Ibid. NEQUE PER POENITENTIAM ELUERUNT:] Videl. per pœnitentiam veram & seriam apud DEUM, in foro conscientiæ; per pœnitentiam Ecclesiasticam

autem in foro Ecclesiæ scandalum passæ; imo etiam in reliquis foris, quibus satisfacere tenebantur, v. gr. foro civili, vel proximo privato, cui damnum intulerat, & cui satisfacere jubetur absolutionem consecuturus, *Ezech. XXXIII. 15.*

Ibid. IN ECCLESIIS NOSTRIS:] *Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi Corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissimè de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat silentium:* inquit Augustana Confessio articulo IV. abusuum mutatorum.

Ibid. SALUTARI CONSILIO:] Etsi Confessio hæc privata non sit juris divini, nec in verbo DEI præcepta, sed origo ejus in Ecclesia Græca ad Origenem; in Latina ad Leonem M. referatur: attamen salutari obtinet in Ecclesiis consilio propter varias utilitates, quas habet *partim* respecta Ministri, cui occasio præbetur explorandi communicantes, & de magnitudine peccati, lege DEI & promissione Gratiæ in Evangelio facta commonefaciendi; *partim* respecta Confitentium, qui hoc modo se ipsos probare possunt, & informationem de tanto negotio statui conscientiarum suarum specialissimè accommodatam nanciscuntur. Vid. *Kœnigii Casum I. de Confess. & Absolut. pag. 367. seqq.*

Ibid. ATTENTE AUDIRE CONFESSIONES:] Ex confessionibus specialibus indoles ani-

animorum & conscientiarum optimè perspicitur, sicque Pastor in suorum cognitionem, tam ratione fidei, quàm motuum, facilè descendit. Porro cùm vices DEI sustineat Minister audiens confessiones, non solùm requirit officii tanti ratio devotionem, sed etiam amor, quem Pastor suis ovibus debet, exigit, ut omnia accuratè in re tanti momenti observet, quò possit deficientes erigere; excedentes in ordinem reducere; errantes rectiùs informare, sicque reverà illas procurare utilitates, quarum in Nota præcedente meminimus.

Ibid. ADMONITIONES ET ABSOLUTIONES AD STATUM CONFITENTIS ACCOMMODARE:] Status confitentium varius est. Alii sunt contriti; alii securi, qui negant, de quo non possunt septem convinci testibus; alii sunt elati, alii humiles; alii rudiores & simpliciores, alii præstantioris indolis & eruditionis sive cognitionis; alii profundiùs immersi vitiis, alii minus habualiter mali; alii seductores, alii seducti; alii ad otium, alii ad avaritiam, alii ad sævitiam, alii ad luxuriem, alii ad petulantiam, alii ad alia vitia proclives. Ad hos status conscientiæ varios respicere debet Minister verbi, non autem varietatem status civilis vel fortunæ. Conf. *Jacob. II. v.* 1. *seqq.* Quanquam negandum non sit, etiam ex rerum fortuitarum facie nonnunquam varios conscientiarum oriri status. Aureus planè,

utut prolixus locus est *Gregorii Nazianzeni*, quem ex oratione ejus de Fuga sua, excerpsit B. *D. Kortholtus in Past. Fid. Cap. IIX. Posit. III. p. 233. seqq.* unde plura huc repete.

Ibid. LICET IPSE MINISTER OMNIUM AC SINGULORUM PECCATORUM CONFESSIONEM PRÆSCRIBERE NON POSSIT:] Egregiè nostra Conf. August. cit. loc. *De Confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ curâ enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, ut testatur Psalmus* (XIX. v. 13.) *Delicta quis intelligit? item Jeremias* (cap. XVII. 8.) *Pravum est cor hominis & inscrutabile. Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam acquiescere conscientiæ possent, qui plurima peccata neque vident, neque meminisse possunt.* Pertinet huc illud Kortholti cit. loc. p. 125. *Minister Ecclesiæ non est tortor conscientiæ.* Inquirere potest & debet in Conscientiarum statum, pro ratione circumstantiarum, tàm ratione doctrinæ, quàm ratione vitæ: at verò torquere conscientias & extorquere confessiones, non est de officio pastorali.

Ibid.] IN SILENTIO SERVARI A MINISTRO DEBENT:] *Sigillum Confessionis* dicitur aliàs, de quo exstat integra dissertatio *D. Quenstedt* Anno 1669. Wittebergæ habita & ibid. A. 1677. recusa. Nimirum confessio-

fessiones hæ privatæ, tanquam coram DEO, pro informatione conscientiarum, non pro prostitutione confitentium, eduntur & audiri debent. Hinc *B. Kortholtus cit. loc. Posit. II. p. 130.* ait: *Quæ in confessionibus sacris deteguntur, illa Ecclesiæ minister non modò non manifestare debet, sed etiam omni studio obvelare, ut si fortè ex admisso peccato aliqua macula famæ confitentis aspersa sit, illam delere & ejusdem apud singulos existimationem conservare studeat.* Et post pauca interjecta: *Si vel Magistratus ab Ecclesiæ Ministro contendit, ut detegat, quæ fidei suæ in confessione commissa sunt, quò facilius ad veritatem causæ pervenire possit, tamen silentio omnia premenda sunt, cùm imperium Magistratus ad confessiones sacras non pertineat, neque fas sit, ut ille res, quæ in iis pertractantur, in negotiis forensibus adhibeat.* Quod si autem mos non satis laudandus viget alicubi, ut confessiones recitentur, adstantibus aliis confessionem edituris, caveat minister suâ prudentiâ, ne quis anxius talia, quæ occulta sunt, in confessione effutiat, coram tot testibus: & arcana voce moneat confessurum, ut hæc alii loco servet, ubi ipse possit solus cum solo conferre.

Ibid. AD DENEGATIONEM VERO ABSOLUTIONIS, ET PRÆSERTIM AD EXCOMMUNICATIONEM QUAM VOCANT MAJOREM &c:] De duplici excommunicatione, *Majore* & *Minore*, agitur in

Articul. Smalcald. Part. III. Art. IX. ubi Major nonnisi civilis pœna judicatur; Minor autem vera & Christiana nuncupatur. *B. Dürrius in Theol. Moral. Part. Special. Sect. I. cap. V. p. 286. seqq.* cum cura hac de re differit, monens, Excommunicationem *unam* esse publicam & generalem, quando omnibus incredulis & impiis ex lege DEI denunciatur retentio peccatorum; *alteram* privatam vel particularem, quæ ratione Graduum in *Majorem* & *Minorem* dividatur. Per illam excluditur homo impœnitens, judicio & sententia publica totius Ecclesiæ particularis, non solùm à communione Sacramentorum, verùm etiam à consortio fidelium, & denunciatâ irâ divinâ Satanæ traditur. Conf. *I. Corinth. V. 5.* Imo juxta pontificios solvuntur per hanc excommunicationem Majorem, omnia humanæ Societatis, etiam quæ inter Parentes & liberos, Uxorem & Maritum, Magistratum & subditos, intercesserunt vincula: unde etiam pœna & civilis judicabatur à B. Luthero. *Minor* excommunicatio est, quando homo flagitiosus & impœnitens, post spretas fideles admonitiones, tàm diu ab usu sacræ Cœnæ arcetur, indicio ejus sive domi sive publicè facto, donec flagitia sua agnoscat & seriæ pœnitentiæ signa edat. Hujus etiam minoris excommunicationis jus penes totam Ecclesiam est, exercitium autem penes Ecclesiæ ministros: unde si ministri modum

excesserint, Ecclesiæ integrum est, causam cognoscere & sententiam dicere.

Pag. 515. §. II. MINISTRUM EX PRÆSCITU ET CONSENSU ECCLESIÆ HIC REM AGERE DEBERE:] In excommunicatione minore sufficere aliquando potest consensus interpretativus & virtualis; sed in majore etiam explicitus & formalis, ob gravitatem negotii, exigitur, neque debet minister suo soli judicio suo unquam fidere. Conf. *B. Dürrium cit. loc. §. IIX. p. 289.* & in *Annotationibus posthumis ad h. l. p. 85.*

Pag. ead. § III. SI POENITENTIBUS --- ABSOLUTIONEM DENEGENT:] Ex imprudentia fiat? an ex malitia? peccatum est; gravius tamen, si ex malitia, quàm si ex imperitia & imprudentia.

Ibid. VELUT ALIUD AGENDO ET FRIGIDE REM TRACTENT:] Nec satis attendentes ad magnitudinem negotii, & officii ardui; nec ad statum conscientiæ eorum, quorum confessiones audiunt, & quibus absolutionem dicturi sunt. In hos quadrat illud *Zachar. XI. v. 16.*

Ibid. VEL IMPOENITENTES --- ABSOLVANT:] Sive fiat ex ruditate, sic ex malitia, sive ex metu carnali, sive ex avaritia & Simonia, sive ex alia ratione carnali & profana.

Ibid. QUANDO SINGULORUM PECCATORUM, ETSI OCCULTORUM,

ENUMERATIONEM URGENT :] Qui error est Pontificiorum, de quorum confessione auriculari aliàs agitur.

Ibid. PECCATA A CONFITENTE INDICATA TEMERE EFFUTIANT :] B. D. Kortholtus cit. loc. scribit : *Nisi Ecclesiæ minister linguam compescere & detecta sibi arcana ita corde recondere didicerit, ut secum omnia in se pulchrum recondat, plurimarum animarum jactura illi tribuenda erit, qui impedit, ne tot afflictæ animæ solatio recreentur &c.*

Ibid. VIOLATO DECENTE ORDINE :] Neglectis *vel* gradibus admonitionis & castigationis Ecclesiasticæ ; *vel* etiam insuper habitis consiliis & judiciis Superiorum & aliorum, cum quibus res expendenda fuisset.

Pag. ead. §. IV. MANDATUM DIVINUM CUM GENERALE :] De partibus officii sui, ejusque omnibus numeris, solicitè explendis, *Rom. XII. 7.* & alibi.

Ibid. TUM SPECIALE, AD HANC PARTEM MUNERIS SACRI PERTINENS:] Huc pertinet non modò ipsa institutio potestatis clavium, *Matth. XVI. 19. Joh. XX. 23.* sed etiam constitutiones divinæ, *Ezechiel. III. 18. XXXIII. 7. 8. I. Corinth V. 1. 2. I. Timoth. V. 21.* &c. Nimirum rectè huc referuntur omnia præcepta divina de officio Pastorum elenctico, epanorthotico & paracletico, cùm absolutio sit species paracleseos, uti retentio peccatorum, summus

ſummus veluti gradus elenchi & epanorthoſeos, conf. *I. Cor. V. 5.* ubi docetur ipſam excommunicationem majorem, reſipiſcentiam intendere. Adde *II. Theſſal. III. v. 14. 15.*

Ibid. EXEMPLA SANCTORUM :] Exemplum Chriſti compeſcentis diſcipulorum, nimium ardorem in devovendis Samaritanis legitur, *Luc. IX. v. 54. 55.* Abſolutionis formulæ Chriſto familiares, notiſſimæ ſunt v. gr. *remiſſa ſunt tibi tua peccata, fides tua te ſervavit* &c. Vide *Matth. IX. 2. 21.* Præcipuè huc quadrat illa parabola *Luc. XVIII.* de Phariſæo & publicano confitentibus, & alibi paſſim apud Evangeliſtas. Porro ex Veteri Teſtamento huc pertinet exemplum Nathanis, Davidem & ligantis *II. Samuel. XII. 7.* & pœnitentem abſolventis, *ibid. v. 13.* Ex N. Teſt. cumprimis huc facit exemplum Petri *Actor. IIX. 20. ſeqq.* Pauli *I. Corinth. V. 3. 4. 5. II. Corinth. II. 10. 11. I. Timoth. I. 20.*

Ibid. DIGNITAS GRAVITASQUE SPECIALIS HUJUS FUNCTIONIS :] Quis enim poteſt peccata remittere niſi DEUS? Quod autem DEUS organis utitur nobis homuncionibus, atque hoc divinum negotium per verbi Evangelici miniſtros exſequitur, omni admiratione majus eſt. Certè qui hanc Oeconomiam divinam manſuetiſſimam vel mediocriter expendit, non poteſt non cum turbis illis, *Matth. IX. v. 8. glorificare DEUM, qui dediſſet poteſtatem talem hominibus.* Quò major autem & di-

& divinior est hæc pars functionis Ecclesiasticæ, eò fideliùs, cautiùs & religiosiùs debet tractari.

Ibid. PRÆMIA BENE AGENTIBUS DETERMINATÆ:] Hæc sunt eadem, quæ fidelibus servis DEI alibi indicavimus parata ex *Dan. XII. 3. I. Petr. V. 4. Matth. XXV. v. 21. 23.*

Ibid. POENÆ PECCANTIBUS DETERMINATÆ:] Quippe *maledictus est, qui negligenter facit opus Domini, Jerem. XLIIX. v. 10.* conf. *Ezechiel. III. 18. XXXIII. 8.* &c.

Pag. ead. §. V. QUÆ IN CÆTERIS MINISTRI PARTIBUS:] Puta prædicatione verbi & administratione Sacramentorum: de quibus diximus in Sub-Sectionibus præcedentibus.

AD CAP. I.

SECT. III.

SUB-SECTIONEM IV.

De

OFFICIO MINISTRI ECCLESIÆ CIRCA ADIOPHORA.

Pag.

Pag. 516. §. I.

BONI ORDINIS:] Cùm Ecclesia sit Societas amplissima, in qua non modò illa, quæ DEUS in verbo suo ipse definit, religiosè & sanctè sunt custodienda; verùm etiam quam utique decet, tanquam florem generis humani, ut in externis quoque, quæ per se non quidem cultum DEI ingrediuntur, attamen ad bonum ordinem, honestatem & saltem indirectè ad ædificationem, faciunt, omnia prudenter & sua illuminatione vocationeque dignè disponat: evidens est, facere Ecclesiam suum officium, quando ἀδιάφορα sive talia, quæ DEUS, ratione cultus divini intrinsecè & quoad indolem suam considerati, non determinavit, sed in arbitrio sanctæ hujus & divinitus illuminate societatis reliquit, porro, non quidem ut partem cultus divini, sed tamen propter honestatem, decus & ordinem, sapienter determinat, disponit atque ordinat, secundum illud Pauli, *I. Corinth. XIV. 40. Omnia decenter & secundum ordinem fiant.* Huc referunt Beati nostri Confessores in Conf. August. Artic. XV. *certas festas, festa & similia*, Paulus loc cit. docet, huc quoque pertinere ordinem in cultu publico, quoad idioma, & modum proponendi &c. Confer *I. Tim. II.* quæ de ritibus precantium, vestitu & similibus notantur. Huc refer quoque benedictionem sacerdotalem Neogamorum

rum, Ritus Funebres, baptismales quosdam &c. De quorum nonnullis infrà specialiùs dicemus.

Ibid. EXCITANDÆ AUT CONSERVANDÆ DEVOTIONIS GRATIA :] Devotio vera excitari & conservari debet per media divinitus ordinata, h. e. per preces, verbi meditationem & Sacramenta, ipsumque pietatis & devotionis exercitium. Juvari autem ab Ecclesia potest ac debet excitatio & conservatio devotionis (1.) per Methodum seu modum applicandi & tractandi illa media divinitus præscripta; in quo applicandi modo dexteritas ministrorum Ecclesiæ plurimum valet. Pertinent huc institutiones horarum precum, Catecheticorum exercitiorum, jejuniorum publicorum, & ipsæ etiam confessiones privatæ, à nostris Ecclesiis receptæ &c. Juvatur devotio. (2.) per remotionem & interceptionem obstaculorum, quæ per bonas constitutiones Ecclesiasticas, pro circumstantiis locorum personarum & temporum, quàm optimè tolli & prohiberi possunt, ut, si v. gr. Magistratus Ecclesiasticus prohibeat discursiones in templis, quando sacra tractantur, vel luxum vestium seculo probatum interdicat &c.

Ibid. PRUDENTER ET UTILITER RECEPTA FUERUNT :] Quicquid ita adjuvat devotionem & ordinem honestatemque promovet, ut absit superstitio & abusus major,

quàm

quàm usus esse poterat, illud prudenter & utiliter receptum judicari debet. Mensura enim talium constitutionum debet esse ordo, decus & ædificatio. Quamdiu ergo hanc mensuram implent, probari debent; ubi autem ab hac deficiunt, jam pro malis haberi merentur.

Ibid. CUSTODIRE ET COMMENDARE AUDITORIBUS, NE TEMERE CONTEMNANTUR:] Quippe nulla hæc est consequentia: Hic vel ille ritus non est divinitus institutus, ergo absolutè est abrogandus. Hoc enim tantùm sequitur; Ergo non est per se pars cultus divini. Melior autem ita consequentia instituitur: Hæc vel illa ceremonia sive constitutio Ecclesiastica facit ad ordinem, & decus, juvatque ædificationem; ergo est (cæteris paribus) recipienda, vel, si jam recepta fuerit, custodienda & servanda. Imo beati nostri confessores cit. Art. XV. Aug. Conf. non dubitarunt *de ritibus Ecclesiasticis* jàm actu receptis *docere, quòd ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia.*

Ibid. QUÆ CUM ACTIBUS MINISTERIALIBUS CONJUNGI SOLENT:] Actus ministeriales ex constitutione divina sunt prædicatio h. e. explicatio & applicatio verbi divini per Prophetas & Apostolos conscripti, itemque administratio Sacramentorum secundùm institutionem Christi. Cum hisce actibus Mini-

Ministerialibus, qui jure divino necessarii sunt, conjunguntur ex constitutione Ecclesiastica, actus aliqui, quorum fundamentum est ordo & decus, & quidem *partim* ab illis divinis separati, ut (1.) Actus benedictionum Neogamorum, qui ob ordinem bonum jure Ecclesiastico instituti sunt, (2.) Actus funebrales &c. *partim* autem dantur actus Ecclesiastici, ipsis actibus ministerialibus, per modum admonitionum, vel ob alios pios fines, superadditi. Sic Baptismo additi sunt ritus varii, v. pr. Impositio Nominis, exorcismus, preces peculiares, ἐπερωτήματα, quæ à Sponsoribus præstantur &c. Cœnæ administrationi præmitti solet in nostris Ecclesiis, confessio & absolutio privata, adjunguntur preces, hymni, acceduntur cereæ &c. De his actibus, qui de jure Ecclesiastico sunt variis in Ecclesiis varii, Minister ex *Agendis* & *Consuetudinibus*, cujusque Ecclesiæ certior esse debet, atque non modò illis divinis, sed etiam his Ecclesiasticis graviter, circumspectèque inhærere.

Ibid. MONERE SIMUL AUDITORES, NE INDIFFERENTIA ISTA CUM HIS, QUÆ PER SE AD CULTUM DEI PERTINENT, CONFUNDANT:] Hæ admonitiones fieri debent vel in institutionibus catecheticis, vel etiam in concionibus publicis, ficubi ita occasio tulerit: ipsi autem actus illi, quando ordine præscripto suscipiendi sunt, temerè talibus discursibus & admo-

admonitionibus intermixtis, haud debent turbari.

Ibid. AUT MERITORIA ESSE PUTENT:] Qui error Pontificius est, à quo nostri sunt sedulò arcendi, & profligandæ opinio omnis meriti, sive de congruo, sive de condigno dicatur. Conf. *Artic. XV. August. Confess.*

Ibid. NIHIL SIVE NOVI INTRODUCERE &c.:] Ratio est, quia ritus illi non unius ministri auctoritate privata nituntur, sed vim obligandi habent à tota Ecclesia, aut certè iis, quibus Ecclesia jura Episcopalia resignavit. Quòd si ergo alicubi hæreat etiam in talibus minister, & vel mutationem rituum quorundam exoptet, vel aliquid ad bonum ordinem faciens in usum deducere cogitet, adeundi erunt superiores v. gr. Antistites, Superintendentes, Consistoria &c. Quò res publici juris, publica etiam Ecclesiæ auctoritate transigantur.

Pag. cad. §. II. QUI VEL IN GENERE CONTEMNUNT RITUS SACROS:] Infantem puta cum sordibus ejicientes, quasi scilicet ordo & decor, jure Ecclesiastico introducti, cum religione vera absolutè pugnarent, & meræ superstitiones essent ceremoniæ omnes Ecclesiasticæ jure divino non præscriptæ.

Pag. 517. §. eod. VEL IN GRATIAM ADVERSARIORUM INTEMPESTIVE

CEDUNT:] Ceditur intempestivè, quando libertas Ecclesiastica privato proditur usu, sive ex metu carnali, sive ex collusione cum adversariis, qui res natura sua indifferentes, *vel* ut ad salutem & ad religionem per se necessarias obtrudere volunt, ut solent Pontificii; *vel* a-diaphora nobis usu recepta & ex libertate Christiana, comprobata, tanquam res impias & malas, eripere conantur, ut Reformatis solenne est, damnare Exorcismum, sugillare hostias, quibus in Cœna ex libertate Christiana, utimur &c. In talibus casibus culpabilis est (1.) Mutationis modus; quia non privati alicujus, sed totius Ecclesiæ nomine, res talis debebat tractari; (2.) Mutationis ratio; quia res indifferens, *vel*, ut pars Religionis, contra DEI verbum, obtruditur atque recipitur, *vel*, res per se indifferens, & honesto titulo usu apud nos recepta, contra veritatem, ut pugnans cum verbo DEI diffamatur, & sic conscientiæ rectiùs informatorum vis infertur; ii autem, qui infirmi sunt, scandalizantur in nostro cœtu. De reliquo, quando totæ Ecclesiæ de adiaphoris transigunt, distinguendum erit (1.) inter Ecclesias liberas & pressas: his enim vix suadendum est, ut temere sibi persecutiones procurent, si possint placare persecuturos, prudenti & maturo consilio, informandô videlicet adversarios de indole rei indifferentis, atque expresè testando, se cessuros esse, modò ne vis inferatur conscientiis, & ne muta-

mutatio exigatur, tanquam ex opinione necessitatis absolutæ & rei ipsi intrinsecæ. Hinc porro (2.) distingui debet inter rationem mutationis. Adiaphora, salvâ conscientiâ, etiam in liberis Ecclesiis aliquando, in gratiam dissidentium, mutari possunt ac debent, si videlicet Schismatis causa fuerit solus usus, vel intermissio alicujus Adiaphori. Quod enim Paulus cit. loc. dixit singulis Christianis, *Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est*; idem valet etiam, si quæstio sit inter totas Ecclesias, quæ in fundamento fidei conveniunt; Schisma autem imminet tantùm de re indifferenti aliqua, ejusque usu. Paulus omnibus omnia fieri didicit, *I. Corinth. IX. 18. 19. 20. 21. 22.* Et de jure Charitatis Christianæ est, ut qui firmior est, infirmiorem tolleret. Nec in talibus casibus violentiæ quicquam patiuntur conscientiæ firmiorum, quas non opinio necessitatis alicujus, sed studium pacis & ædificationis, in hoc negotio agit.

Pag. cad. §. III. MANDATUM DIVINUM GENERALE:] Legitur hoc *I. Cor. XIV. 40. Omnia decenter & secundum ordinem fiant.*

Ibid. EXEMPLA SANCTORUM:] David ordinavit cultum divinum *I. Chron. XVII. 7. Sir. XLVII. 11. 12.* Paulus ordinem Ecclesiasticum apud Corinthios fundavit, *I. Corinth. XIV.* & similia tractat *I. Tim. II.* De reliquo

restitit Petro simulanti, cùm ita postularet Ecclesiæ status *Galat. II. 11. 12. 13. 14.* Rursus ipse omnibus omnia factus est, *I. Corinth. IX. 18. seq.* &c.

Ibid. QUOD CEREMONIÆ NONNUNQUAM FIANT NOTÆ PROFESSIONIS FIDEI:] Etsi ceremoniæ per se hanc vim significandi non habeant, accipiunt tamen eam aliquando ex opinione & consuetudine. Sic ceremonia formandi triplicem crucem ante & post preces, hominem *Pontificium* denotat. Certè hoc charactere ipsi ab aliis ut passim libelli eorum catechetici habent, dignosci cupiunt. Sic etiam recitatio Orationis Dominicæ sine clausula hominem *Pontificium*, cum clausula *Protestantem* prodit. Porro Orationis Dominicæ verba initialia, Vater Unser / *Evangelicum*, transposita, Unser Vater / *Reformatum* arguunt. Hîc ergo, ubi ceremoniæ vel adiaphora abierunt in tales notas, cavendum est, ne talium notarum incauta usurpatione, fidem nostram vel negemus, vel saltem nos negare velle aliis videamur.

Ibid. QUOD POPULUS FACILE SCANDALIZATUR:] Certè fatendum est sæpius populum Ecclesiasticum simpliciorem nostrum, plus tribuere Ceremoniis & ritibus externis, quàm par est; ita ut sit populus noster non minus sæpe pro infirmo habendus, quàm cœtus adversariorum suis excæcatorum præjudi-

judiciis: Quod si jam habuerimus in tali de Adiaphoris certamine, infirmos Ecclesiæ nostræ fratres ex unâ parte; ex alterâ parte malè informatos adversarios; ità ut cedendo adversariis, bonam nostram causam & integram nostram fidem, suspectam reddituri simus populo nostro infirmo: satius fuerit, non cedendo in re per se indifferenti, non scandalizare nostros, quàm tentare cedendo, cum nostrorum offendiculo, adversariorum ædificationem incertam. Magnâ igitur circumspectione, pietate, experientia, multisque precibus, & maturo consilio opus est, ne, (quod Henoticorum ferè constans fatum est) locô unionis, perperam & carnali magis, humanoque consilio, quàm ex Christi Spiritu tentatæ, nova Schismata, scandala, & Apostasias procuremus.

Pag. ead. §. IV. QUÆ AD NATURAM ADIAPHORORUM PERTINENT:] Sive considerentur in se, sive in ordine ad cultum divinum, sive in certis circumstantiis ad varios conscientiarum status.

Ibid. TUNC STATIM CUM ACCESSURUS EST AD OFFICIUM &c.] Ritus Ecclesiæ, in qua serviendum est, debent peti à novello ministro, *partim* ex Ecclesiæ istius Agendis & Constitutionibus, *partim* ex hominibus, quibus consuetudines loci perspectæ sunt; *omnium commodissimè* verò ex inspectione propria ceremoniarum & Actuum ministerialium

ab iis susceptorum, quibus ex diuturna praxi consuetudines loci satis cognitæ sunt.

Ibid. MODERATIO ANIMI INTER AUDACIAM ET INTER PUSILLANIMITATEM:] Sumtâ Moderatione pro habitu mentis, crebrô exercitiô in hoc virtutis genere acquisito. Hæc enim moderatio si habitualis sit, actus congruos exinde fluentes, quoties opus fuerit, dabit. Atque hoc intuitu rectè inter media, moderatio illa numeratur.

AD CAP. I.

SECT. III.

SUB-SECTIONEM V.

De

OFFICIO MINISTRI ECCLESIÆ CIRCA PRÆMIA ET ONERA.

Pag. 517. §. I.

PRO LABORIBUS, QUOS ECCLESIÆ PRÆSTAT, POSSE ACCIPERE PRÆMIA:] Præmia intelliguntur hîc non illa divina & æterna, quæ DEUS pollicitus est *Dan. XII. 3. I. Petr. V. 4.* sed

sed temporalia, quæ ad vitam hanc tolerandam, & honestè alendam familiam faciunt: de quibus Christus agit, *Matth. X. 10.* dicens: *Dignus est operarius cibo suo:* item Paulus ex instituto *I. Corinth. IX.* & *I. Tim. V. 17. 18.* ubi ostendit, deberi sacerdotibus & Ecclesiæ ministris pro suis laboribus, honorem duplicem, itemq; sustentationem non modò pro ipsis, sed etiam pro muliere sorore circumducendâ: id quod confirmat praxi Apostolicâ. Porrò præmia illa pastoribus & Ecclesiæ ministris destinata varia sunt. Præter honorem, qui magis ad officii auctoritatem requiritur, quàm ad familiam alendam, sustentandis Ministris Ecclesiæ, destinata præmia fuerunt primitiæ, decimæ & similia, ex Lege Mosis nota, unà cum sedibus seu habitationibus liberis. Si praxin hodiernam æstimemus, destinantur iis Ædes, & alicubi salarium pecuniâ constans, alicubi Agri, Prata, Piscinæ, decimæ, grana, ligna, & similes reditus. Pertinent huc etiam variæ immunitates ab oneribus civilibus, nunc pluribus, nunc pauciori-bus &c. Vide *Dn. D. Schilteri Instit. Jur. Canonici, libr. II. Tit. IIX.* qui est *de Ædibus & rebus Ecclesiasticorum.*

Pag. 581. §. eod. NON SOLUM SUI QUOAD NECESSARIA:] Præter necessitatem nihil exigere debet bonus pastor, memor illius Pauli, *I. Tim. VI. 8. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti erimus.* Hæ ne-

cessitates autem intelligendæ sunt non de sola Ministri persona, sed etiam de uxore & liberis, quibus prospiciendum est, prout ex præcedente nota constat.

Ibid. SED ET ECCLESIÆ SUÆ:] Ecclesiæ nomine h. l. intelligitur, non modò cœtus fidelium, cui quis est præfectus, sed etiam Templum, & quicquid ad hujus, ut & Scholarum conjunctarum conservationem destinatum habetur. Vicina sunt ædificia alia publica ad pios usus facta & ordinata, ut orphanotrophia, nosodochia, Xenodochia &c.

Ibid. ANTECESSORUM IN OFFICIO ET SUCCESSORUM:] Ne videlicet præter meritum illorum fama, vel olim horum sustentatio vulneretur, si quid temere negligatur à nobis, quod illi vel receperunt, vel his olim opus futurum esse poterat, si ampliorem atque nos, aluerint familiam.

Ibid. SE CONTENTUM MEDIOCRITUS EXHIBEAT:] Secundum illud Pauli *I. Tim. VI. 8.* & præscriptionem Christi, *Luc. X. 7. edite & bibite, quæ dantur ab illo.* Qui autem omnia revocant in his temporalibus ad suos labores, jam in hac vita, ut mercenarii, recipiunt mercedem, nullam gratiam olim accepturi in altera vita. Non tam igitur præmia Ministris oblata debent æstimari ex laboribus, quàm ex indigentia eorundem, cùm laborum magnificam ratio-

rationem sit olim habiturus DEUS, cujus gratia à mercenariis ejusmodi perditur.

Ibid. IMMUNITATEM NEQUE ABSOLUTAM AB OMNI ONERE QUÆRAT:] Est Nutritorum Ecclesiæ prospicere Ecclesiæ ministris. Cumque placuerit passim Christiano Magistratui præmiis non modò positivis ornare personas Ecclesiasticas, sed etiam easdem eximere à variis oneribus civilibus, quibus alia societatis civilis membra subsunt; sedulò caveat Minister, ne plura, quàm ipsi concessa sunt, temere affectet, aut per cuniculos & malas artes, Magistratui extorqueat. Potius sit sua sorte contentus, & sequatur vestigia Christi, *Matth. XVII. 27.* ad Petrum dicentis, *ne simus illis offendiculo, profectus ad mare, mitte hamum, & eum piscem, qui prodierit primus, tolle: & aperto ore ejus, inveniens staterem; acceptum illum da illis pro me & te.*

Ibid. PRÆSENTI MODERATE UTATUR:] Non in fraudem Societatis vel Magistratus & redituum ejus. Utuntur autem moderatè, qui immunitates suas adeo non extendunt, ultra intentionem Magistratus, ut etiam, ficubi possunt, non omni sua facultate, ut bono sint exemplo, utantur. Sic v. gr. si cui concessa sit facultas coquendi cerevisiam, citra onera civilia, quantum in usum familiæ suæ velit, caveat sibi ab immoderato hujus immunitatis usu, nec lucri cupiditate eò progrediatur, ut

plus cerevisiæ paret, quàm usus familiæ postulaverat, spe non adeo honestâ fretus, se sibi argentum ex cerevisiæ abundatis venditione paraturum. Neque quem juvare poterit exemplum aliorum, qui de facto tale quid impunè designarint; cùm non exemplis, sed legibus sit judicandum &c.

Pag. ead. §. II. UBI NON DECET, PRÆMIA ACCIPIUNT:] Exemplo sunt illi tenebriones apud *Ezechiel. XIII. 19. XXII. 25. XXXIV. 2. 3. 10. Mich. III. v. 5. 11. Zach. XI. 5. 16. Matth. XXIII. 14. Philipp. III. 18. 19. II. Pet. II. v. 3. 12. 13. seqq.* &c. Non solùm autem graviter peccant illi, qui turpis lucri causa, officio sacro operam suam addicunt, & quicquid possunt, per fas & nefas corradunt; verùm etiam delinquunt non minus, qui citra respectum egestatis, præmia ab iis recipiunt, nedum exigunt, qui miseri sunt & inopes. Hîc regula Pauli tenenda fuisset, quam ex Christi ore profert *Actor. XX. 35. Beatum est dare potius, quàm accipere:* & cogitandum de illo, quod DEUS notavit per *Malachiam Cap. I. 10. Quis inter vos ostia claudit, vel ignem incendit super altare meum gratis? Non est mihi beneplacitum in vobis, dicit Dominus exercituum.*

Ibid. CUM DAMNO SUCCESSORUM VEL IPSIUS ECCLESIÆ NEGLIGENTIORES SUNT:] Peccatur ita in defectu. Liberalitatis nostræ objectum sunt non aliena, sed nostra bona.

bona. Hinc non improbamus illorum praxin, qui, ut jus servent successoribus & Ecclesiæ, exigunt & recipiunt quicquid debetur; reddentes autem deinde quod ad jus servandum, acceptum erat, etiam cum fœnore iis, qui indigi deprehenduntur.

Ibid. IMMUNITATEM OMNIMODAM AFFECTANT:] Qualis est spiritus Cleri Pontificii, qui non modò non vult subditus esse Magistratui civili, contra clarum Pauli textum *Rom. XIII. 1. Omnis anima* (adeoque non excepta anima cleri:) *potestatibus, supereminentibus subdita sit*; sed etiam vel in coronas Imperatorum & Regum dominium affectat.

Ibid. VEL EA, QUÆ CONCEDITUR, ABUTUNTUR:] Sive ex ambitione, sive ex avaritia, sive ex alio impetu carnali. Sic peccant, qui immunitates ab oneribus civilibus, ad sola bona Ecclesiastica, vel ad suam familiam pertinentes, malis artibus & in fraudem societatis civilis, vel ad bona sua civilia extendunt, vel ad negotiationes clandestinas detorquent. Illustre Pauli verbum est *I. Cor. IX. v. 18.*

Pag. ead. §. III. QUÆ AD LEGITIMUM ET CHRISTIANUM USUM HUMANARUM OPUM PERTINENT:] De hac re actum fuit in *Parte Generali III. Cap. IX. Sect. III. & Cap. X. Sect. VI.*

Ibid. IN MANDATO DIVINO:] Huc

Huc pertinet Christi constitutio, quam suis discipulis inculcavit *Matth. X. 8. seqq.* Quæ *κατ' ἀναλογίαν* omnes Ministros Christi obligat. De reliquo Paulus *I. Corinth. IX. 14.* disertè scribit, *Dominum ordinasse, ut qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant.* Quanquam simul tenendum sit illud ejusdem Pauli *I. Tim. III. 3.* dicentes, Episcopum oportere esse *non turpitur lucri cupidum, sed æquum.* Conf. *I. Petr. V. 2.* &c.

Ibid. EXEMPLIS SANCTORUM:] Eminet Christi exemplum, qui non venit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret *Matth. XX. 28. Marc. X. 45. Philipp. II. 5. seqq.* Catalogum sanctorum contexere non est opus. Sufficit illud generale testimonium Pauli *I. Corint. IV. 9. seqq.* Confer quæ ipse de se testatur *Actor. XX. 33. 34. 35. I. Corinth. IX. 12. 13. 14. 15. 16. seqq.*

Ibid. ET FRUCTU:] Quò minus nos affectamus præmia hujus vitæ, & quò simpliciùs & puriùs in ministerio verbi nihil appetimus præter ædificationem auditorum & horum salutem, eò majora futura sunt præmia vera & æterna, de quibus legimus divinas promissiones *Dan. XII. 3. I. Petr. V. 4. I. Corinth. IX. 17. II. Timoth. IV. 8. Matth. V. 11. 12.* &c.

Ibid. ATQUE POENIS:] *Finis eorum, qui terrestria curant, perditio est, quorum DEUS venter, & gloria in dedecore ipsorum, ad Philipp.*

Philipp. III. 19. Conf. *II. Petr. II.* per totum, & alibi passim.

Pag. cad. §. IV. Αὐτάρκεια IN PRIMA STATIM JUVENTUTE EXCULTA &c.] Ut nimirum habitus hujus virtutis non mediocris, sed excellens & exquisitus nobis adsit, qui cupimus operam nostram in ministerio verbi, commodare Salvatori mortalium universali.

Ibid. PRUDENTIA, QUÆ INTER PUBLICA ET PRIVATA DISTINGUERE NOVIT:] Publica præmia & reditus sunt, quæ ad officium, cui præsumus, non autem ad nostram personam privatam præcisè ordinantur & spectant. Privata sunt, quæ nobis offeruntur non tàm propter officium publicum, quàm propter peculiaria nostra merita in officio. In illis nihil temere negligendum, ne successoris ad officii publici & redituum ordinariorum damno liberales simus: In his, quia privatum nostrum bonum sunt, nostro sensu poterimus abundare, & remittere, quantum volumus.

Pag. cad. §. V. IMPEDIMENTA SUNT AVARITIA &c:] Sumtis hisce vitiis pro habitibus malis, non pro actibus, qui ex illis erumpunt. Actus enim mali avarorum, diffidentium, prodigalium, negligentium, sunt ipsa peccata illa, de quibus §. II. dictum fuit.

NOTA

NOTA GENERALIS AD HANC SECTIONEM III. De ADMINISTRATIONE IPSA OFFICII SACRI SEU ECCLESIASTICI.

§. I.

PRæter officii ſacri partes, quarum B. auctor per ſubſectiones haſce V. quas Notis illuſtravimus noſtris, explicitam mentionem fecit, operam paulò ſpecialiorem adhuc merentur Actus quidam parochiales frequentiores & pluribus difficultatibus expoſiti, ut ſunt: I. COPULATIO NEOGAMORUM. II. SEPULTURA EORUM, QUI VITA IN ECCLESIA DEFUNCTI SUNT. III. VISITATIO ÆGROTORUM, MORIBUNDORUM ET TENTATORUM. De his officii ſacri partibus unum & alterum paulò diſtinctius in grātiam novellorum Miniſtrorum monere juvat.

§. 2. Inſiſtentes autem B. noſtri Auctoris methodo, ſupplebimus ita hanc Sectionem tertiam, ut integras adhuc Sub-Sectiones aliquot, eidem ſimus addituri. Eſto igitur

CAP.

CAP. I.

SECT. III.

SUB-SECTIO VI.

De

OFFICIO MINISTRI ECCLESIÆ IN COPULATIONE NEOGAMORUM.

§. I.

ETsi benedictio Sacerdotalis sive Copulatio Neogamorum (*a*) non sit juris divini; (*b*) est tamen necessaria de jure Ecclesiastico (*c*): in qua ritè peragenda, non modò Ministrum Ecclesiæ decet, ratione Proclamationis (*d*) & Copulationis (*e*) inhærere ritibus suæ Ecclesiæ; (*f*) sed cumprimis etiam caveat, ne per benedictionem sacerdotalem ratum esse jubeat conjugium, in quo vel non legitimè consensum est ab iis, quorum tamen consensus hic erat necessarius; (*g*) vel personæ contrahentes, ob consanguinitatem (*h*) vel affinitatem (*i*) matrimonium inire prohibentur. Caveat etiam ne sacerdotali copula

teme-

temere (*k*) jungat, qui vel è longinquo & planè ignoti (*l*) veniunt, copulationem emendicaturi, vel saltem ad aliam parochiam spectant. (*m*)

NOTÆ.

(*a*) Hanc suo modo ad causam efficientem conjugii pertinere, probat noster *Auctor* in *Comp. Theol. Posit. Cap. de Statu Domest. §. VII. not.* (*a*) exinde, quòd ex usu loquendi in Ecclesia, personæ contrahentes sive Neogami, ante copulationem sacerdotalem sponsi potiùs & sponsæ, quàm conjuges appellentur.

(*b*) Nuspiam enim DEUS mandavit vel constituit, ut Neogami ante conjugii consummationem, benedictionem à sacerdotibus exigere debeant. Qui ad primævam conjugii institutionem provocant, probaturi, quòd benedictio hæc sacerdotalis sit juris divini, plus habent in conclusione quam in præmissis. Nec enim unquam quis ex historia Institutionis conjugii *Genes. II.* exculpserit mandatum DEI, propriè sic dictum, sive expressum, sive implicitum, quòd novelli conjuges, debeant per sacerdotem, loco DEI, copulari: etsi negari non possit, haberi in institutione conjugii aliquod Analogum ceremoniæ benedictionis sacerdotalis hodie in Ecclesiis nostris passim usu receptæ. Unde Rhetorum Ecclesiasticorum & Homiletarum dictio non est planè de nihilo, quando dicunt in Homiliis

miliis connubialibus, DEUM fuisse quasi primum sacerdotem primos copulantem conjuges.

(c) Instituta quippe est hæc ceremonia ab Ecclesia Christiana, & quidem gravissimis de causis. PARTIM *ut de Auctore & sanctitate atque indissolubilitate Conjugii, de benedictione divina & officiis conjugalibus, deque molestiarum tolerantia moneantur contrahentes;* PARTIM *ut de legitima ipsorum conjunctione publicè constet; atque adeo omnia decenter atque ordine fiant:* PARTIM *denique, ut ipsi conjuges novi DEO per preces commendentur.* Bajerus cit. loc. nota (c). Hinc patet, quid sentiendum sit de Quæstione, *Anne Copulatio sacerdotalis pertineat ad Conjugii Constitutionem?* Est quippe necessaria copulatio ad consummationem conjugii per modum causæ efficientis; non tamen absolutè, sed in ordine & respectu ad Ecclesiarum illarum constitutiones, quæ nullum conjugium pro legitimo habent, nisi quod per copulationem sacerdotalem firmatum & consummatum fuerit.

(d) PROCLAMATIO est denunciatio nuptiarum futurarum in cœtu Ecclesiastico à sacerdote facta, nunc una, nunc duabus, nunc tribus vicibus, pro varietate constitutionem & consuetudinem Ecclesiasticarum. Hæc denunciatio fieri debet, præviâ pastoris INQUISITIONE de consensu eorum, quorum interest; de testium adhibitione; de desponsatione cum tertia persona, & similibus. Vid. *Dn. D. Schilter.*

Inst. Jur. Eccles. libr. II. Tit. XI. §. VI. & quem ibi citat *Carpzovium in Jurispr. Eccles.* Finis hujus ritus est, PARTIM ut personæ contrahentes commendentur DEO, PARTIM ut denunciatione hâc publicâ disquiratur, anne sint, qui habeant, quod nuptiis futuris objiciant. Præterea proclamatio debet fieri non tantùm ubi nuptiæ instituuntur, sed & in Ecclesia, ubi domicilium habent copulandi, aut hactenus morati fuerunt, vel educati, etsi non amplius ibi habitent, *Schilt. cit. loc. §. VII.* Hinc porro pastoris est, non præcipitare terminos proclamationis consuetos, nisi dispensationem nacti fuerint à consistorio vel iis, qui jura consistorialia exercent.

(*e*) COPULATIO est ipsa benedictio sacerdotalis & solennis confirmatio conjugii contracti. Hæc à proclamatione fieri debet intra terminum, vel lege Ecclesiasticâ scriptâ, vel consuetudine constanti probatum; præterea tempore, quo per Ecclesiæ statuta, nuptias celebrare licet, itemque loco consueto, nisi intervenerit dispensatio Magistratus Ecclesiastici. *Schilt. cit. loc. §. IIX. IX.*

(*f*) Ritus in Proclamatione & Copulatione Neogamorum varii esse solent, pro Ecclesiarum varietate. Pastor itaque ex Agendis, vel aliunde, Ecclesiæ, cui servire vult, ritus & ceremonias discat.

(*g*) Consensus necessarius est in conjugio

gio non modò honestè, sed & validè contrahendô, (1.) ipsarum personarum contrahentium sive conjugum futurorum, & (2.) parentum, in quorum potestate ipsi contrahentes sunt, modò parentes non fuerint furiosi, vel in regione longè dissida captivi &c. Vide hanc in rem Theologos passim in Loco de Conjugio.

(*b*) *Materia Conjugii sunt personæ, quæ conjugio copulantur, Mas unus, & una Fœmina, habiles ad reddendum debitum conjugiale, & quarum conjunctioni consanguinitas aut affinitas non obstat*, verba sunt *B. Auctoris nostri loc. cit. §. VIII.* qui idem mox §. *IX.* pergit: *Consanguinitas describitur, quòd sit attinentia personarum, quarum una ex altera, aut quæ (duæ vel plures) ex una quadam per carnalem generationem descendunt.* De ratione numerandi gratus Consanguinitatis in lineis recta ascendente & descendente, collaterali æquali & inæquali, hic non est agendi locus. Supponimus hæc ex Scholis Theologiæ Positivæ. Sufficiat nobis hac vice repetiisse ex Theologia Positiva gradus Consanguinitatis prohibitos, & ablegasse Lectorem non modò ad *B. Auctoris nostri Compend. Theol. Positivæ*, sed quàm maximè ad *Tractatum B. D. Balthas. Mentzeri de Conjugio* à B. Auctore nostro nobis in hoc negotio olim singulariter commendatum, qui fusus est in hac materia illustranda. Prohibentur propter consanguinitatem, nuptiæ (1.) in Linea Recta (hoc est, nuptiæ PARENTUM

ET LIBERORUM, AVORUM ET NEPOTUM &c. simpliciter & in infinitum, idque de Lege divina Naturali. (2.) In Linea collaterali æquali prohibentur nuptiæ in gradu primo (hoc est, nuptiæ FRATRUM ET SORORUM) de jure divino ac naturali; sed in gradu secundo (hoc est nuptiæ CONSOBRINORUM) conceduntur de jure divino ac naturali; prohibentur tamen de jure Ecclesiastico positivo. (3.) In Linea collaterali inæquali prohibentur in gradu secundo de jure divino & naturali, hinc non licet Titio ducere filiam suæ sororis, vel sui fratris, nec Meviæ licet nubere filio suæ sororis vel fratris. Porro in eadem Linea collaterali inæquali de jure Ecclesiastico prohibentur etiam in gradu tertio nuptiæ, ita ut Titio non liceat ducere in uxorem, sororis vel fratris sui neptem, imò ne quidem in quarto gradu sororis vel fratris proneptem, quia Titius à communi stipite unô tantum gradu distat.

(1) Affinitas est propinquitas personarum ex nuptiis proveniens; ita ut qui cum conjuge alterutro sunt caro una, intercedente inter ipsos consanguinitate, hi etiam alteri conjugi sint carne propinqui, eò quòd conjuges inter se facti sunt una caro. Affinitatis genera tria constitui solent, ita ut *primum* genus sit Affinitatis, quod oritur mediante una persona per copulam carnalem juncta; *secundum*, quod mediantibus duabus; *tertium*, quod mediantibus tribus &c.

De

De Affinitatis generibus, æquè ac gradibus in singulis generibus computandis consula laudatos Theologos, quorum, quod ad prohibitionem nuptiarum attinet, hæc est regula: *Quò gradu & quâ linea, consanguineis matrimonium inire non licet; ea linea & gradu affinitatis, affines matrimonium contrahere prohibentur.* Reliqua pete ex Locis Theologicis.

(*k*) Quod sæpius facere solent pastores acephali, sive tales, qui nulli consistorio vel superattendenti subsunt; sive quòd officii sui partes non satis intelligant, sive quòd auri sacrâ fame laborent, nec pingue accidens dimittere velint. Fidelis autem & cordatus minister verbi sedulo sibi cavet, ne conjugium, quod an legitimum & voluntati divinæ consentaneum sit, ignorat, in nomine SS. Trinitatis, non sine gravi peccato, ratum pronunciet & confirmet.

(*l*) Non sunt tales casus rati, ut homines vagabundi in pagis remotioribus pastores simpliciores aggrediantur & Copulationem impetrare conentur, illasque sæpius circumstantias proferant, quæ specie sua haud carent. Interim nunquam talibus habebit fidem pastor, etiamsi literas aliquas ostendant, atque testes, sed æquè ignotos, producant. Itaque vel simpliciter tales ignotos Neogamos discedere jubeat, vel remittat illos ad suum, sicubi subest, vel Consistorium vel Superintendentem. Nihil enim fre-

quentius est, quàm ut homines vel graduum prohibitorum, vel qui jam ante in matrimonio vivunt, vel ob alias causas copulari non poterant, perperam hoc pacto jungantur.

(m) Pastoris est boni, uti Ecclesiæ suæ custodire jura, ita non violare jura alterius. Non ergo copulabit Neogamos, qui jure ad aliam Parochiam pertinebant; etsi aliàs copulationi nihil obstaret, sive ex parte personarum, sive ex parte parentum. Quod si lis de copulatione fuerit orta, ad quam parochiam pertineat, consulantur superiores, & horum exspectetur judicium.

§. II.

Peccant in hac officii sacri parte, qui *vel* matrimonium in dignitatem Sacramenti *(a)* evehunt, *vel* tales proclamant, in quorum sponsalia, eorumque honestatem nondum satis inquisiverunt; *(b)* *vel* proclamationis terminos consuetos temerè decurtant; *(c)* *vel* tales copulant, qui ob gradus consanguinitatis affinitatisq; prohibitos *(d)* *vel* ob parentum dissensum *(e)* conjungi non debebant; *vel* denique homines planè sibi ignotos *(f)* citra sufficientia de sponsaliorum honestate testimonia, *(g)* aut saltem non ad suam Parochiam pertinentes *(h)* benedictione sacerdotali dignantur. NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Ita sentiunt Pontificii *Concil. Trid. Sess. XXIV. Canone I.* de Sacrament. Matrimonii. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, â Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.*

(b) Etsi enim finis Proclamationis sit ulterior inquisitio in Nuptiarum obstacula, si quæ fortean alicubi laterent; non tamen decet pastores, nuptias indicere populo è suggestu, si obstacula potuissent per simplicem, eamque privatam inquisitionem statim eruere, sicque nuptiarum spem irritam esse, desponsatis demonstrare. Quippe contradictiones Proclamationi factæ, aliquid ex scandalo secum vehunt, nec satis honori publicè denunciatorum consulunt.

(c) Est alicubi mos, ex leviculis causis, privatô arbitriô recedendi à terminis proclamandi publicè definitis, ita, ut vel semel denuncientur, qui bis vel ter debuerant, vel bis, qui ter denunciandi erant; vel, si bis aut ter denunciatio fiat, non tamen fiat duabus aut tribus distinctis diebus Dominicis, sed vel unica die dominica, vel interjectis diebus festis. Certè passim audimus denunciationes, zum ersten / andern / und dritten mahl / sive zum andern und dritten mahl / sive zum ersten und andern mahl / werden öffentlich verkündiget und aufgebo-

ten/ &c. Contractionem hanc terminorum denunciationis non debet sibi privatim arrogare Pastor, inconsultô consistoriô, vel superiore suô, ne facultatem contradicendi demat iis, quorum interest, & justas incurrat pœnas, si cujus violavit jura, jus suum prosecutus fuerit. Simili modo delinquunt, qui Proclamationes non urgent in iis locis, in quibus tamen simul de jure fieri debebant. Vide quæ diximus ad §. præcedentem notâ. *(d)* Magna enim incommoda ex hoc ἀταξίας neglectu nullo negotio oriri possunt.

(d) De quibus dictum est ad §. præced. notis *(b)* & *(i)*.

(e) Pontificii vapulant nostratibus, qui Parentum consensum adeo non requirunt ad matrimonium validè contrahendum, ut etiam in *Concilio Trident. Sess. XXIV. Cap. I.* dicant, *Dubitandum non esse, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandos esse illos, uti eos sancta Synodus anathemate damnet, qui ea vera & rata esse negent, quippe falsò affirment, matrimonia à filiis familiâs sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Fundamenta nostratium, ex quibus hanc definitionem pontificiam rejiciunt, sunt *partim* ipsa natura contractus, ex qua constat, contrahentes sui juris esse debere, quod de

Libe-

Liberis, jure naturæ, patriæ potestati subjectis, dici non possit; *partim* Scriptura Sacra, *Deut. VII. 3. Exod. XXII. 16. 17.* jus naturale parentum ipsis asserens & vindicans. Ut adeò, sine dubio in ipsam naturam & Scripturam delinquant ii, qui talia furtiva, & juribus Naturali atque Divino contraria matrimonia, sine prævia cognitione judiciali, privato ausu, benedictione sacerdotali, vel ex crassa ruditate, vel ex lucello turpi, confirmare non dubitant.

(f) Quales sæpius ex peregrinis locis accédunt, & in pagis, vel alibi copulationem emendicare conantur.

(g) Testimonia hic non sufficiunt qualiacunque, sed necesse est, ut constet, esse illa à magistratu, vel saltem ab iis data, qui contrahentibus cuptias concedere possunt, ut præfecti militum, suis militibus largiri possunt ac solent &c. Quanquam etiam in talibus casibus Pastores nihil facilè audeant, sine præscitu superiorum suorum; siquidem ex talibus copulationibus haud raro magnæ turbæ enasci possunt.

(h) Sive simpliciter, *sive* secundum quid, *Simpliciter*; quando nec sponsus, nec sponsa ad tuam Parochiam spectat, neque etiam pedem in Tua Parochia fixerunt, vel habitationem conduxerunt. *Secundum quid*; quando, etsi fortè sponsus, vel sponsa, vel locus habitationis sit in parochia tua; nihilominus tamen consuetudo, vel conventiones, vel aliæ constitutiones, alium

copulationis locum, quàm tuam parochiam, definierant. Utroque modo si contraveniatur, peccatur.

§. III.

Motiva rectè peragendi hanc quoque muneris sacri partem, sunt I. Mandatum DEI partim generale, de jure suo cuique tribuendo *(a)*, & de Nomine divino non profanando *(b)*, partim speciale de causis matrimonialibus, tam quoad gradus prohibitos *(c)*, quàm quoad jura parentum *(d)*. II. Exempla sanctorum. *(e)* III. Dignitas Matrimonii *(f)* IV. Commoda & incommoda, quorum illa ex copulationibus ordine; hæc ex benedictionibus temere susceptis, tam copulantibus *(g)*, quàm copulatis, *(h)* imo & aliis hominibus *(i)* enasci solent.

NOTÆ.

(a) Hæc lex fundata est in ipso jure naturali & sæpius in Scripturis repetita. Quod si autem ullibi, certè in causis matrimonialibus observari debet, ne quod charissimum est parentibus, (liberos puta eorum) ipsis invitis eripiamus & alieni juris faciamus.

(b) Arduum profectò est, *in Nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti* aliquid confirmare, & pro divinæ providentiæ opere declarare, atque ab omni-

omnibus pro tali haberi jubere. Quis itaque dubitet, oportere hîc nos esse memores secundi præcepti, ne mercemur incautè, & nos reos faciamus profanationis nominis divini.

(c) De gradibus prohibitis tàm jure Naturæ, quàm jure divino Positivo, consulendus est noster *Auctor* in *Theol. Positiv. Comp. cap. de Statu Domest. §. XX. XXI. XXII. & XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.* Agitur de hac re in Lege divina, *Lev. XVIII.* ex professo.

(d) De consensu parentum præter legem divinam naturalem, Positiva constitutio habetur *Deut. VII. 3. Exodi XXII. 16. 17.* Conf. *Nehem. X. 30. I. Corinth. VII. 36. 37.*

(e) Huc pertinet analogicè non modò benedictio divina conjugum primorum, *Genes. I. 27. 28. Cap. II. 22. 23. 24. Matth. XIX. 4. 5.* sed etiam praxis Patriarchalis, *Genes. XXIV. Cap. XXIX. 19. 28. Tob. VII. IIX.* &c.

(f) De hac dignitate matrimonii elegans est Pauli dictum *Ebr. XIII. 4. Honorabile est inter omnes conjugium, & cubile impollutum.* Pertinet huc, quòd conjugium à DEO habeatur pro Symbolo unionis mysticæ, Ecclesiæ & Christi *Ephes. V. 22. seqq.*

(g) *Commoda* copulantium Pastorum, qui debitum ordinem servant, sunt Bona conscientia, integra fama, & ipsa præmia æterna, quæ DEUS suis servis fidelibus promisit. E contrario secus facientium *Incommoda* sunt, conscientia mala, infa-

infamia, nonnunquam pœnæ variæ temporales à Magistratibus justè irrogatæ, & reatus æternæ damnationis, nî pœnitentia seria interceſſerit.

(*h*) *Commoda* Legitimè copulatorum sunt Benedictio divina & parentum. Vide *Psalm. CXXVII. CXXIIX. Geneſ. XXIV. 7. XXIIX. v. 1. Tob. VII.* 15. &c. Bona fama, & alia præmia temporalia & æterna. *Incommoda* eorum, qui perperam copulationem impetrant, sunt pœnæ temporales & æternæ, quæ partim inceſtuoſis, partim immorigeris liberis, partim aliis quibuscunque impiis exſpectandæ sunt. Præcipuè Diaboli poteſtati sub sunt, qui, non ut à DEO copulati, junguntur. Vide *Tob. III. 7. 8.* Conf. exemplum Salomonis funeſtum *I. Reg. XI. 1. 2. ſeqq.* Item illius inceſtuoſi, *I. Corinth. V. 1. 2. 3. 4. 5.* &c. Benedictionem parentum quoque amittunt, ut Esavus *Gen. XXIIX. 6. 7. 8.* Imo maledictionem divinam etiam merentur, prout filii diluvii, *Geneſ. VI. 2. ſeqq.* &c. Ut nihil de eo dicam, quòd præter infamiam, etiam pœnas Magiſtratus civilis & Eccleſiaſtici ſibi attrahant.

(*i*) Ex copulationibus legitimè factis *commoda* redundant non modò in Parentes deſponſatorum, eorumque liberos, ſed etiam haud rarò adjuvantur cœtus integri Eccleſiaſtici, qui bonis ædificantur exemplis: prout è contrario per nuptias & copulationes inordinatas varia paſſim *ſcandala* excitantur, & integræ familiæ affliguntur.

§. IV.

§. IV.

Media & impedimenta hîc eadem sunt, quæ in cæteris Ministerii Ecclesiastici functionibus.

CAP. I.

SECT. III.

SUB-SECTIO VII.

De

OFFICIO MINISTRI ECCLESIÆ IN SEPULTURA EORUM, QUI VITA IN ECCLESIA DEFUNCTI SUNT.

§. I.

Cùm regulariter nemini Christiano piè defuncto (*a*) honesta sepultura (*b*) sit deneganda (*c*); & concessio sepulturæ ad potestatem Ecclesiasticam (*d*) spectet; ritus autem Christiani honestæ sepulturæ per Ministerium verbi (*e*) partim suscipiantur (*f*), partim dirigantur (*g*): de officio pastoris est, non modò curare, ut hoc honestæ & Christianæ vitæ transactæ testimonium (*h*) iis, qui meruerunt (*i*) confe-

conferatur, & è contrario hominibus scandalosis (*k*) vel planè denegetur (*l*) vel saltem ita, prout disciplina cujusque loci Ecclesiastica (*m*) & vita defuncti (*n*) postularint, peragatur; sed etiam caveat, ne vel sepultura nimis præcipitetur (*o*) vel cum detrimento sanitatis viventium (*p*) differatur, vel quicquam, quod ad ædificationem facere poterat (*q*) sua culpa (*r*) prætermittatur.

NOTÆ.

(*a*) Piè defunctos dicimus, de quibus nos bene sperare jubet Christiana charitas, quæ tantò libentiùs de mortuis æquiora fert judicia, quantò minùs de mortuis sentire vel ipsa nos humanitatis jura jubent.

(*b*) Sepultura est illatio hominis mortui in sepulchrum. Dividitur in *Honestam* & in *Inhonestam*. Honestam rursus constituunt vel *solennem*, vel *minus solennem*. *Illa* constat ritibus & ceremoniis solennibus, imprimis Liturgicis; *hæc* nuncupatur, quando solennitates desunt, non ex defectu juris, sed æris. Conf. *Dn. D. Schilterum in Instit. Jur. Eccl. Libr. II. Tit. XIV. §. I.* Honestæ sepulturæ opponitur *Inhonesta*, de qua plura inferius Nota (*l*) dicentur.

(*c*) Honor enim debetur corporibus piè defunctorum, etiam iis, pro quibus Christiana

na saltem adhuc præsumtio esse potest, quippe adeo non in aperta impœnitentia vitam finiverunt.

(*d*) Non tamen planè exclusa potestate Civili. Vid. *Schilter. cit. loc. §. IV.*

(*e*) Quò etiam reducendæ scholæ Christianæ.

(*f*) Tales ritus sunt Deductiones funerum ad sepulcra, decantationes hymnorum, admonitiones ad populum, conciones funebres, vitarum enarrationes, preces &c.

(*g*) Ut sepulcrorum certis locis præparatio, campanarum pulsus, &c.

(*h*) Honesta sepultura ultimum officium, quod homo homini præstat. Unde qui cum honore sepultus est, velut cum pace dimittitur à nobis, & membrum nostræ societatis probatum, etiam in morte declaratur.

(*i*) Merentur honestam sepulturam, qui sese membra Christi probarunt vitæ transactæ honestate & pio in Christianam religionem, quam professi sint necesse est, affectu; aut saltem, qui ante mortem, pœnitentiæ signa & professionem ediderunt. Neque hic sunt absolutè excludendi Schismatici, aut diversæ Confessionis Christiani, nisi contemtores fuerint religionis nostræ, vel etiam seductores. Quanquam in talibus deductionibus, ex arbitrio judicii Ecclesiastici, ritus ordinari queant, & variè temperari. Conf. *Schilt. Inst. cit. loc. §. VII.*

(*k*) Tales

(k) Tales sunt qui sibi ex malitia, non autem ex morbo violentas intulerunt manus, vel in impœnitentia & scelerum notoriorum studio perierunt, vel contemtores pertinaces ministerii verbi, Sacramentorum, & religionis fuerunt, vel in custodia crimen jam confessi, vel de eo convicti, vitam cum morte permutarunt &c. Conf. *Schilter. cit. loc. §. IX. X. XI.*

(l) Exsequiarum honestarum denegatio non potest fieri, nisi causâ cognitâ, neque ex judicio privato pastoris pendet. Sicubi ergo talis casus offeratur, deferendus erit ad Consistorium, vel eos, qui jura Consistorialia exercent, & horum exspectanda definitio. *Inhonestâ sepulturâ* qui puniuntur, non eodem habentur loco. *Vel* enim cadaver inhonestè sepeliendum, citra christianas ceremonias, ab hominibus huic negotio destinatis, in locum minus honestum, vel in cœmeterium semotum ab aliis, vel extra cœmeterium, seorsim infertur; & hæc sepultura inhonesta, *Humana* dicitur: *vel* cadaver per carnificem projicitur in locum fœdum inter cadavera facinorosorum aut brutorum. Hæc sepultura inhonesta audit *Canina* sive *Asinina*. Tale sepulturæ genus minatus est *Jeremias Cap. XXII. 18. 19.* filio Josiæ, Regi Judæ, Jojakimo. Conf. *Schilter. cit. loc. §. 1.*

(m) Disciplina Ecclesiastica cujusque locî debet in talibus casibus peti vel ex *Agendis Ecclesiasticis*, vel ex *consuetudine*. Sic in nostris Ecclesiis

cleſiis Noricis, peculiares admonitiones habentur in *Agendorum libello, cap. VI. num. VII. IIX. IX.* quæ prælegendæ ſunt, quando *vel* quis occiſus eſt inter rixas, *vel* ex melancholiæ morbo ſibi ipſi violentas intulit manus, *vel* denique hominem empæctam usque ad finem vitæ egit: in quem caſum poſtremum etiam porro hæc legitur expreſſa conſtitutio: Demnach ſich iederweilen Fälle begeben/ daß öffentliche ruchloſe Spötter (widerwärtige der Religion) und unbußfertige Epicurer in ihren Sünden dahin ſterben (wie dann auch bey Anmeldung der Leichen Nachfrag hiervon angeſtellet werden kan) als erfordert es die Erbauung der Chriſtlichen Kirchen/ ſonderlich aber der Kirchen- und Schul-Diener Gewiſſen/ zu Verhütung der groſſen Aergerniß und ſchwehrer Verantwortung/ daß ſie denſelben nicht eben dieſes öffentliche Zeugniß/ als wie den Abgeleibten Frommen ertheilen ſollen. Derohalben wenn man ja in ſolchen Fällen/ mit öffentlichen Geſang das Leichen-Begängniß halten müſte/ ſollen die Kirchen- und Schul-Diener erinnert ſeyn/ daß ſie ſonderbahre hierzu tüchtige Geſänge erkieſen/ ſonderlich aber vor der Thür an ſtatt des Geſangs/ Mitten wir im Leben ſind/ die erbauliche Geſetzlein ex hymno, Kommt her zu mir ſpricht GOttes Sohn ꝛc. ſingen/ da der Anfang alſo lautet: Gern wolt die Welt auch ſeelig ſeyn ꝛc. und beſchlieſſen mit dem Geſetzlein/ Höret und

merckt ihr lieben Kind ꝛc. Worauf im Fortgehen durch die Stadt die Buß-Psalmen / wechselsweiß können gesungen / bey dem Grab aber auf dem Kirchhoff gebraucht werden der Gesang / GOtt der Vater wohn uns bey ꝛc.

(*n*) Vitæ ratio utique est in defunctis habenda, & uti gradus malitiæ, & scandalorum genera varia sunt inter mortales & impœnitentes; ita etiam moderatio haberi potest pro circumstantiarum ratione, in ritibus peculiaribus, quibus ejusmodi homines sepeliri solent.

(*o*) Tempus sepulturæ apud varios varium præscribitur. Jure Romano non licuit ante diem nonum sepelire mortuum *L. XII. Tab. & ibi Interpp.* Saxonicô usu & constitutione, in *Generalibus Articulis & Instructione communi, Art. XV.* cautum est, ne ante duodecimam à morte horam sepultura suscipiatur. Ita enim habent verba Articuli citati: Da jemand von GOtt durch Kranckheit und tödlichen Abgang von diesem Jammerthal abgefordert würde / soll derselbige nicht alsobald begraben / sondern zum wenigsten zwölff Stunde daheim im Hause behalten werden / in Betrachtung daß etliche durch geschwinde Kranckheiten oder Ohnmacht / etwan also schwach / mattloß / und verzuckt / daß sie vor todte Menschen angesehen / und doch gleichwohl über etliche Stunden / wiederum sich erhohlen / verständig und lebendig werden.

(*p*) Sci-

(*p*) Scilicet tempore pestis, vel, ubi alii morbi inficientes grassantur, aut quando tempore æstatis, fœtorem funera mox concipiunt, par est, ut parcatur sanitati viventium, per sepulturam funerum, quantum fieri potest, maturatam.

(*q*) Ad ædificationem faciunt præcipuè admonitiones, itemque conciones funebres. Egregiè *Ecclesiastes* scribit *Cap. VII. 3. 4. 5. Melius est ire ad domum luctus, quàm ire ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit.* Et profectò negari non potest, ad meditationem æternorum conciones hasce plurimum conferre, siquidem corda hominum, tempore luctus, longè rectius ad talia percipienda præparata deprehenduntur. Unde in *Articul. Saxon. Gener.* constitutum est, ut vel etiam gratis tales admonitiones à pastoribus habeantur.

(*r*) Culpa Pastoris est, quando ex negligentia, vel avaritia, hanc ædificandi occasionem prætermittit. Quòd si autem aliæ causæ sonticæ intervenerint, necessitasque non passa fuerit legem; citra conscientiæ vulnus, conciones & admonitiones intermittentur.

§. II.

Conciones vel Orationes funebres, (*a*) ratione textus & Tractationis (*b*) dirigantur ad auditorii (*c*) & defuncti, maxi-

mè si pietate, vel alia circumstantiâ ejus vita & mors notabiles (d) fuerint, rationem. Textus legitimè explicetur (e) & applicatio fiat, ad defunctum (f) lugentes (g) & universum auditorium (h).

NOTÆ.

(a) Aliquando habentur non tàm conciones è suggestu, quàm Admonitiones vel Sermones aut Oratiunculæ breviores vel ex altari, vel ad sepulchrum. Utrobique valet, quod in §. hoc dicimus.

(b) Textus, ut in aliis concionibus, ita etiam hic quàm maximè esse debet Biblicus, si non formalis, h. e. talis, qui totidem apicibus in Scriptura Canonica legatur, attamen minimum materialis, h. e. (utut verba sint petita, v. gr. ex libro Apocrypho, vel hymno &c.) qui tamen verbo DEI sacris literis comprehenso, exactè quoad sensum respondeat: quanquam ad hujus generis textus rariùs descendendum siet, nec sine prægnante ratione. Vid. *D. Quensted. Ethic. Pastor. Monit. LXXXI. p. 493. 494.* Ad textus autem vel themata planè profana, quæ nec verbis, sensu in Scripturis exstant, nemo delabatur. Talis enim perorandi ratio non decet suggestum, sed oratores publicos seu seculares.

(c) Quatenus in hoc vel securi prædominantur, vel rudes, vel rerum terrenarum amore inescati &c. Præcipuè respiciendum est ad

lugen-

lugentes, ut hi solidè de voluntate divina instruantur, & solatio erigantur, atque præmuniantur à diffidentia vel murmure adversus DEUM.

(*d*) Etsi graviter delinquant, qui sic conciones funebres deformant, ut potius pro Encomiastis sive Laudatoribus, imo Adulatoribus partim defunctorum, partim familiarum, quæ funera lugent, haberi mereantur, quàm pro Homiletis, quos divina decebat veritas: nihil tamen prohibet, quò minus, si salva veritate fieri queat, Memoria defunctorum, ut in benedictione manens, in Orationibus sacris commendetur. Habentur enim tales orationes, à Viris piis & cordatis, pro ipso defunctorum ultimo velut ad superstites sermone, quem per os Pastoris sui, ad cœtum Ecclesiasticum, quasi vale dicturi ultimum, dirigant; præsertim, quando ipsi Textum funebrem, atque sic materiam dicendi, sacro oratori suggesserunt. Præterea est aliquando defunctorum habenda ratio, si mortis genus, quô obierunt, fuerit notabile, ut, si quis v. gr. perierit fulmine tactus, vel ex lapsu graviori, vel aqua suffocatus fuerit &c. Memorabiles quoque sunt ultimi cujusque piè obdormientis sermones, qui sæpius multum acuminis & Spiritus habent, &, si fuerint tales, utique memorari merentur.

(*e*) Ea ratione, quâ alias in aliis concionibus oratorem Ecclesiasticum textus sacros

tractare decet; scil. ut informetur auditorium de sensu genuino textus divini, intelligatq;, oratorem sua non ex cerebro suo, sed ex verbo divino, derivare. Nam & in concionibus hisce casualibus valet regula illa *Petri I. Epistol. IV. 12. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia DEI.*

(f) In cujus memoriam concio erat habenda, & cujus veluti valedictoria oratio, haberi debebat.

(g) Lugentes hîc dicuntur, quibus cum defuncto necessitudo erat, quive discessum ejus amarè sentiunt.

(h) Totius enim auditorii ædificatio, uti omnium orationum Ecclesiasticarum, ita etiam funebrium finis esse debet.

§. III.

Peccant Ministri Ecclesiæ, si *vel* disciplinam Ecclesiasticam in sepultura neglexerint *(a)*; *vel* eâdem abusi fuerint *(b)*; *vel* privatô suô judiciô illa ordinârint, quæ ad judicium Ecclesiasticum *(c)* aut ad Patronum Ecclesiæ *(d)* pertinebant; *vel* ex ære potius, quàm jure de defunctis judicârint, adeoque suggestum profanârint mendaciis *(e)* & partium studiis *(f)*, *vel* denique si non satis usi fuerint occasionibus singularibus *(g)* de variis præjudiciis *(h)* & vitiis virtutum spe-

ſpeciem mentientibus (*i*) rectiùs inſtituendi gregem ſibi commiſſum.

NOTÆ.

(*a*) Hoc eſt, pari loco habuerint pios & impios, quando ſatis functi, terræ mandandi ſunt: id quod contra æquitatem naturalem, & bonas conſtitutiones Eccleſiaſticas eſt.

(*b*) Hoc eſt, honores ſepulturæ & teſtimonia integritatis reddiderint, vel denegarint, non ſecundum opera, ſed opes, vel ſecundum affectus privatos & ſtudia partium.

(*c*) V. gr. Honeſtam ſepulturam, causâ nondum cognitâ, denegarint.

(*d*) Ad Patronum Eccleſiæ ſpectat, ex more noſtrarum Eccleſiarum, an cui ſit ſepultura in templo concedenda. *Schilter. cit. loc. §. IV.*

(*e*) Secundum proverbium Germanorum, Lügen wie ein Leich-Prediger. Cacoëthes enim eſt nonnullorum concionatorum, laudes defunctorum ultra modum & merita, maximè ſi donis placati fuerint, extollere.

(*f*) Datur aliquando affectui privato, quod alii pecuniæ dederant, in deprædicandis iis, quibus bene cupiunt, vel deprimendis, quos oderunt.

(*g*) V. gr. Si caſu quodam tragico præparatæ fuerint mentes, ut, ſi quem fulmen cœlitùs tetigerit, vel ebrietas præcipitem dederit in mortem; vel ſi cui in duello vita ademta fuerit &c. Hic enim dum ferrum candet,

cudendum est, & tractandæ mentes, quamdiu casus tragici recente memoriâ perculsæ sunt.

(b) Talia præjudicia sunt Terminus vitæ fatali necessitate definitus; vel opinio fascinationis &c.

(c) V. gr. Virtutis speciem, scil. Generositatis, mentitur conflictus duello congredientium, Ars potandi &c.

§. IV.

Inter Motiva hujus officii rectè explendi sunt I. Auctoritas Divina (a). II. Exempla Sanctorum (b). III. Dignitas corporum Christianorum (c) IV. Resurrectionis fides (d). V. Præmia (e) rectè, & pœnæ (f) secùs, etiam hac ex parte, operantium.

NOTÆ.

(a) Divina Auctoritas elucet inter Motiva hujus officii (1.) quia DEUS honestam sepulturam magno pro beneficio habuit, & è contrario sepulturæ negationem inter acerbas reposuit pœnas. Vid *Genes. XV. 15. I. Reg. XIV. 11. 13. XXI. 23 24. II Reg. XXII. 20. Jerem. XXII. v. 18. 19.* &c. (2.) Quia DEUS suo filio de honesta sepultura ipse prospexit, uti non modò illustre vaticinium *Esaiæ LIII. 9.* edocet, in quem locum utique videndus est *B. D. Salamon Glassius Philol. Sacr. Libr. III. Tract. I. Can. II. p. m. 379.*

sed

sed etiam eventus comprobavit. *Matth. XXVII. 57. 58. 59. 60.* (3.) Ipse DEUS sepelivit Mosen, *Deut. XXXIV. 6.*

(*b*) Exempla Sanctorum sunt notissima, Abrahami, *Genes. XXIII. 19.* sepelientis Saram Isaici sepelientis Abrahamum, *Cap. XXV. 9.* Plurima exempla alia partim sepelientium, partim de sua sepultura constitutiones relinquentium, exstant *Genes. XXXV. 8. 19. 29. XLVII. 29. 30. XLIX. v. 29. 30. 31. 32. Cap. L. 25.* &c. Ex N. T. nota sunt exempla discipulorum *Johannis Baptistæ*, qui magistrum suum decollatum sepelierunt, *Matth. XIV. 12. Christum* sepelierunt discipuli quidam, quidam unguenta parabant, *Matth. XXVII. 57. seqq. Marc. XV. 43. seqq. Cap. XVI. 1.* &c. *Ananiæ & Sapphiræ*, utut horrida morte exstinctorum, sepultura tamen non denegata exstat *Actor. V. 6. 10.* Conf. *Cap. IIX. 2.* de sepultura *Stephani* &c.

(*c*) Corpora Christianorum in Scripturis divinis habentur, tanquam Christi membra, *I. Cor. VI. 15. Ephes. V. 30.* tanquam templum Spiritus Sancti, *I. Corinth. III. 16. Cap. VI. 19.* dicuntur arma justitiæ, *Rom. VI. 19.* gloriæ æternæ sunt destinata, *ad Philipp. III. 21. I. Cor. XV.* ferè per totum.

(*d*) Resurrectionis Symbolum est honesta sepultura, per quam declaramus, nos habere corpora defunctorum, veluti granula, terræ matri-

tri in futuram messem concredita. Conf. *Jo. XII. 24. I. Cor. XV. 35. seqq.*

(e) Virorum Jabesitarum operam in sepeliendo Saule, *II. Sam. II, 5. 6.* ita judicavit compensandam David, ut ipsis & suam Munificentiam, & DEI benedictionem, redhostimenti loco, offerret. *Tobiæ* operam in sepeliendis mortuis, utut primitus tristem, læta tamen catastrophe ornavit DEUS, prout ex libello Tobiæ notissimum est. Nec mirum: cùm sepulturæ beneficium inter opera misericordiæ rectè collocetur.

(f) Sepulturæ denegatio honestæ, vel mortuorum tractatio inhumanior est immisericordiæ non infima species; nisi meruerint malefici, ut cadavera illorum ignominiosè tractentur. Immisericordibus autem denunciatum est judicium immisericors, *Jacob. II. v. 13.*

§. V.

Media & Impedimenta hic loci eadem sunt, quæ in aliis Muneris Ecclesiastici partibus, jam indicata fuerunt.

CAP.

CAP. I.

SECT. III.

SUB-SECTIO IIX.

De

OFFICIO MINISTRI ECCLESIÆ, IN VISITATIONE ÆGROTORUM, PARTURIENTIUM, MORIBUNDORUM ET TENTATORUM CONSOLATIONE.

§. 1.

CUram non modò publicam gregis totius *(a)* sed etiam singulorum gregis membrorum *(b)* decere pastores; certum est *(c)*: Nulli autem specialius curandi sunt, quàm ægroti *(d)*, imprimis moribundi *(e)*, atque tentati *(f)*.

NOTÆ.

(a) Publica gregis totius cura geritur per publicam prædicationem, Lectionem, & similes actus publicos.

(b) Per singula gregis membra intelligimus homines singulos, ex quibus cœtus, alicujus fidei commissus constat, & quidem secundum con-

conscientiæ statum, quo singuli vel laborant, vel gaudent, consideratos.

(c) Non satisfacere illos ministros suo officio, qui ita generaliter & dilatè, in concionibus textus explicatos ad auditorium suum applicant, ut à certis conscientiarum statibus præscindant; gravis quidam Theologus hoc memorabili dicto notavit: wo man in genere predigt/ da baut man in genere, das ist zu teutsch / daß GOtt erbarm! in specie werden die Gewissen der Zuhörer verwahrloset / und in individuo wird der Pfaff verdammet werden. Cùm hæc vera sint de publicis concionibus non satis ad auditorii statum & indigentiam commodatis; facilè patet, quòd Pastoris titulô sit indignus, qui curam animarum sibi commissarum specialem abjecerit, adeoque ex numero fuerit pastorum, de quibus *Zachar. XI. 16.* legimus, quòd *fracta non visitarint, tenellum non quæsiverint, contritum non sanarint* &c.

(d) Ægroti quippe *partim* magis sunt indigi informationis & consilii Theologici; *partim* magis per afflictiones præparati, ad verbum Domini admittendum; Unde tantò specialiùs sunt visitandi, & curandi ab eo, qui vult boni pastoris tueri partes.

(e) Sive qui animam agunt, & judicia divina jam sunt subituri. Hæc hora est angustiarum, quæ fidelem pastorem, qui consiliis probatis adsit morituro homini, præcipuè postulat:

ſtulat: Maximè ſi qui animum agit, certamen illud, ante plenam animæ & corporis ſolutionem, haud infrequens, quod *Agonem Mortis* vocant, ſuſtinere debet: De quo certamine aurea exſtat beati noſtri Auctoris diſputatio, *Jenæ 1683.* ventilata.

(*f*) Tentatio multiplex eſt, ſi eam ex circumſtantiarum infinita varietate æſtimare velis. Nam *aliæ* oriuntur ab immediatis Satanæ inſultibus; *aliæ* ex conſcientiæ morſibus; *aliæ* ex calamitatibus externis variis; *aliæ* ex ſenſu iræ divinæ ſpecialis. Ex parte objecti, *aliæ* tentationes ſunt ſpirituales, *aliæ* corporales. Inter Spirituales, *aliæ* ſunt circa veritatem Religionis; *aliæ* circa veritatem noſtræ fidei ſubjectivæ; *aliæ* de Gratia DEI, *aliæ* de aliis rebus. Tandem ſunt *aliæ* tentationes ſimplices, *aliæ* compoſitæ &c.

§. II.

Eſt igitur de Officio Fidelis Paſtoris, ut non modò ad ægrotos evocatus, promtè accedat (*a*), ſed etiam non vocatus, ſi opus fuerit, ſponte illos viſitet (*b*), qui ſe malè habent. Porrò ut fructum debitum conſequantur hæ viſitationes, par eſt, ut Paſtor I. ſedulò inquirat in vitam, indolem, & totum conſcientiæ ſtatum (*c*) hominis ægrotantis: juvat etiam II. ſaltem generalius noviſſe indolem morbi, quo qui infirmus eſt,

est, laborat (d) His perspectis, III. applicet ex Scripturis divinis (e) & thesauro suo Theologico (f), quicquid cujusque ægrotantis statui, nunc ex verbo Legi (g), nunc ex verbo Evangelii (h), consentaneum deprehenderit: observatis tamen ubique gradibus, qui à lenioribus ad vehementiora surgunt (i), maximè in applicatione Legis; ne nimiâ vehementiâ mentes & conscientiæ magis turbentur, quàm curentur. Speciatim in illud incumbat, ut ægrotanti implantet confirmetque (1.) Abnegationem rerum caducarum (k), & multò magis peccaminosarum (l); (2.) Desiderium bonorum spiritualium & cœlestium (m); (3.) Acquiescentiam in voluntate DEI paterna (n); (4.) Desiderium mortis, tanquam Angeli divini, ex carcere carnis & mundi corrupti, nos ad æternam felicitatem educturi. (o)

NOTÆ.

(a) Promtitudo hæc importat non modo Voluntatis pronitatē, sed etiam velocitatē corporis.

(b) Sunt quidam, maximè pauperes, qui nolunt creare molestias Ministro, cui laborem non possunt præmiis compensare. Sunt quidam in gregibus commissis, qui ex malæ conscientiæ sensu,

sensu, extrema exspectare malunt, antequam accersant sacerdotem; parum expendentes, in ultimo temporis & mortis articulo, non licere ampliùs feliciter illa tractare, quæ ad pœnitentiam spectant. In his & similibus casibus rectè suæ conscientiæ consulet Pastor, si sponte, & ei, qua proficere potest, prudentiâ & dexteritate accesserit.

(e) Conscientiarum status in genere statui potest multiplex. *Alii* omnino carent fide, & quidem aliquando ex defectu informationis debitæ, sicque ex mera ruditate; aliquando autem ex mera malitia & carnalitate morum; aliquando ex utroque illo capite. Rursus *alii* habent fidei aliquid, sed titubant, vel quod nondum plenè conceperint fidem, vel quod relabascere deprehendantur ex statu regenitorum in indolem veteris hominis. Porrò *alii* verè credunt quidem, sed carent fidei sensu: quos spiritualiter tentatos dicimus. *Alii* videntur sibi quidem credere, sed non credunt verè, cùm nonnisi spectrum fidei & fidem mortuam habeant. *Alii* denique placidè fidei bonis veris innutriuntur. Inquirendum est igitur fideli & prudenti pastori, non tantùm in status conscientiarum recensitos; sed etiam evolvere debet, quantâ fieri potest industriâ, causas & principia, ex quibus cujusque conscientiæ status exortus est. Apud *alios* stupor est ingenii; apud *alios* negligentia mediorum salutis; apud *alios* tempera-

peramentum pronitatem ad certa vitia, v. gr. Iram, odium, venerem, &c. introduxit. *Alii* ex sodalitio pravo; *alii* ex ætatis infirmitate &c. mali evaserunt. Nihil horum latere debet pastorem, si velit feliciter curare conscientias ægrotantium, easque ad beatum perducere ex hac vita exitum.

(*d*) Indoles morborum varia est, & variè passim in ipsam animam etiam rationalem agit, prout apud Melancholicos, febricitantes quosdam, & alios, patet. Porro nonnunquam morbus postulat, ut parcamus auditui ægroti, vel intervalla observemus, quibus commodius cum eodem agere licet. Juvat quoque novisse indicia mortis appropinquantis, quò colloquia & preces huc commodari possint. &c.

(*e*) Hæ enim sunt prima & ultima pharmaceutica officina, ex quibus quicquid ad salutem mortalium facit, unicè depromi potest ac debet. Quanquam, cùm alia medicamenta animæ formaliter in Scripturis existent, alia materialiter in iisdem habeantur; nihil prohibeat, quò minus Solatiorum & Medicamentorum sedes, alias in ipsis Scripturis divinis, alias in reliquo Scriptorum Theologicorum apparatu indicemus: Certè h. l. per medicamenta ex Scripturis divinis depromta intelligimus præcisè dicta Scripturæ Sacræ, h. e. talia monita, quæ totidem verbis in Bibliis Sacris leguntur.

(*f*) Huc pertinent dicta Catechetica, Homile-

miletica, imo etiam aliquando Acroamatica, ſicubi eſt dubiis & ſcrupulis ægrotantium occurrendum. Præcipuè h. l. regnant hymni Eccleſiaſtici notiores, præces jaculatoriæ, quas vocant, idque genus ſimilia dicta nervoſa.

(*g*) Lex eſt applicanda conſcientiis irregenitorum, ſecurorum, nihilque metuentium iram divinam, vel peccatorum turpitudinem, prout ex Theologia Poſitiva conſtat.

(*h*) Evangelii doctrina pertinet ad homines contritos, anxios & de peccatis ſuis ſolicitos. Quamvis tenendum ſit, quòd in praxi Lex & Evangelium, licèt nullo modo confundi, conjungi tamen perpetuò debeant.

(*i*) Gradus admonitionum ſic ſunt adhibendi, ut exacerbatio, quantum poſſibile, præcaveatur; ſiquidem mentium exacerbationes ædificationem niſi omnino excluſerint, ſaltem quam maximè impediunt. Quicquid ergo leniioribus mediis, & in charitate poteſt impetrari, illud non debet exigi rigore, maximè ſi nobis nondum ſatis diſtinctè conſtiterit de hominis ægrotantis ſtatu conſcientiæ. Hîc enim quàm maximè cavendum eſt, ne noceamus magis conſcientiis, quàm proſimus.

(*k*) Res caducæ ſunt quicquid fortunæ ſubjacet & noſtrum in morte non manet, ut ſunt dignitates, opes, voluptates &c. Has res negligendas eſſe homini ad felicitatem veram tendenti, etiam Epictetus in Enchiridio, Seneca & alii

ſaniorum gentilium ad oculum demonſtrarunt. Multò magis nos decet abrogatio illarum rerum, qui Chriſti Spiritu illuminamur.

(l) Peccaminoſa ſunt v. gr. Rixæ, Simultates, Amores incaſti, Intemperantia, Vindictæ cupiditas, Avaritia &c. Si ægrotus tali aliquô laborarit vitiô, vel ſaltem de eo, non citra rationem ſit ſuſpectus, dextrè moneatur, & moveatur ſeriò ad retractationem, confeſſionem, deprecationem, ſatisfactionem &c. Sin minus laborarit tali malo; caveatur tamen periculum, à quo nunquam miſeri nos ſumus omni ex parte tuti.

(m) Talium rerum nomine veniunt Remiſſio peccatorum, pœnitentia, fides & hinc natæ virtutes omnes Chriſtianæ, item Gratia DEI, meritum Chriſti, inhabitatio Spiritus Sancti, media ſalutis, ſcilicet verbum DEI & Sacramenta, nec non ipſa beatitudo æterna.

(n) Paternus DEI affectus commendandus eſt (1.) ut ſapientiſſimus, qui fines & media optima optimè novit; (2.) ut benigniſſimus, qui nobis non niſi præſtantiſſima & verè ſalutaria cupit; (3) ut potentiſſimus, qui nullâ vi poteſt prohiberi vel impediri: unde non poſſimus nobis rectius conſulere, quàm ſi noſtram voluntatem divinæ voluntati ſubjecerimus.

(o) Vita hæc mortis via eſt; unde nos viatores dicimur. Viæ terminus eſt mors, aut potius tranſitus per mortem in vitam æternam.

Cala-

Calamitates vitæ hujus sunt innumeræ, de quibus egit *Siracides cap. XL. v. 1. seqq.* Facit huc pericopa de Lazaro *Luc. XVI.* Conf. *Psalm. CXXVI. Rom. VII. 24. Cap. IIX. 18. seqq. II. Corinth. IV. 16. 17. 18. Apoc. XIV. 13.* &c.

§. III.

Ad classem ægrotantium meritò referuntur etiam fœminæ laborantes difficili partu (*a*). In his rectè tractandis observet Pastor, I. quòd nonnisi vocatus (*b*), atque sic, ut suo & parturientis pudori (*c*) consulatur, accedere debeat. II. Præter officia, quæ omnibus ægrotantibus debet (*d*), cumprimis curet, ut parturiens certior fiat etiam de hujus mortis generis beatitudine (*e*) nec non de salute partuum, vel in utero, vel in nativitate exstinctorum (*f*). De reliquo caveat III. ne suâ præsentiâ longiore impediat (*g*) curas eorum, qui partui præsunt: Uti neque IV. par est, ut infantem nondum plenè à matre solutum baptizet (*h*).

NOTÆ.

(*a*) Certè adeò periculosus est partus post lapsum Adami & Evæ factus, ut non modò exquisitissimi dolores hic regnent, ceu novimus

ex *Geneſ. III. 16.* ſed etiam ſæpius ipſæ parturientes in partu deficiunt & exſtinguuntur, ut Rachael, Jacobi uxor, *Geneſ. XXXV. 17. 18. 19.*

(*b*) Vocari debet paſtor ad parturientem; quia aliàs verecundia & dignitas officii negant ſacerdoti, parturientium limina tangere, niſi expreſsè conſtet, fuiſſe eundem propter ſacrum ſuum officium, requiſitum atque vocatum.

(*c*) Quantum fieri poteſt, ſit ipſe à negotiis, quæ mulieres decent, aversâ facie; imo recedat, niſi extremum obſtiterit periculum, quandoque à conclavi: omnia autem ea gravitate, pietate & ſancto ſermone temperet, ut hac ipſa ſua dexteritate maculas talis converſationis omnes penitus removeat, ſicque ſuâ præſentiâ ſanctâ converſationem illam, quæ non ſanctos contaminare poterat, mundam reddat.

(*d*) De quibus vide §. præcedentem II.

(*e*) Prout novimus ex *I. Tim. II. 15. Mulier ſalva fiet per generationem liberorum, ſi manſerint in fide ac dilectione & ſanctificatione cum caſtitate.* Quanquam non deſint alii medii termini conſolationum, v. gr. Quòd non ex hominum conſtitutione, ſed ex ordinatione DEI hos dolores ſuſtineant, *Geneſ. III. 16.* unde patſit, ut *cùm affligantur juxta voluntatem DEI, tanquam apud fidelem conditorem deponant animas ſuas benefaciendo I. Petr. IV. 10.* memores, quòd divina clementia pœnas æternas in tempora-

porales, quid? pœnam, in materiam castigationum paternarum converterit, irrogando partus dolores. Aliàs multum momenti habet meditatio constitutionis sapientissimi Conditoris, qui conservationem generis humani hoc ordine peragendam, ipse per leges naturæ declararit, & per suum verbum denuo confirmarit, imo pro benedictionis suæ argumento haberi passim jusserit. Providentiæ divinæ specialissimæ objectum ipsæ sunt, de quibus videatur Lex DEI, *Exodi XXI. 22.* Gravidarum compassione tactus est Christus, *Matth. XXIV. 19.* &c.

(*f*) De salute infantum ante baptismi sacra, citra baptismi contemtum exspirantium, ex Positivis & Polemicis constat.

(*g*) Prudentiæ pastoris est, ut, sui quæ sunt officii peractis, locum relinquat conatibus mulieribus, nec hos ullo modo turbet, nisi extrema necessitas suaserit, rationem potiorem animæ, quàm corporis alicubi habendam esse: quanquam ne sic quidem liceat ita curare mentem, ut corporalis vitæ subsidiis, vel apparentibus etiam, obex ex pastoris præsentia, ponatur.

(*h*) Hac de re dictum est superiùs, cùm de officiis pastoralibus circa administrationem Sacramentorum ageremus.

§. IV.

De officio pastoris fidelis est quoque, ut ægrotantibus, præter reliquia salutis me-

dia (a), cumprimis sedulò commendet vim & efficaciam Sacramenti Cœnæ (b), quod veteres ideo viaticum morituorum (c) appellant. Quod si monitus æger, vel sponte petierit Cœnam sacram, pastoris est, quoad status ægroti patitur (d) adhortari eundem, ut in vera humilitate cordis (e); condonatione omnium offensarum (f) si quibus habuerit quenquam mortalium sibi obstrictum; resignatione suæ voluntatis in voluntatem divinam (g); firma fiducia, in gratia DEI universali & merito Christi universali (h) ita triumphante, ut simul per discursum fidei, ad applicationem faciat (i); sacram Cœnam accipere nitatur. Præparatô sic & instructô ægrotô, si quæ offensæ fuerint expiandæ, reconciliatio instituatur (k), ubi pastorem oportet utriqúe parti officium suum interpretari (l), & cumprimis sua auctoritate & prudentia impedire prolixias causarum enarrationes & vitilitigationes (m), cùm hic non sit locus tractationi controversiarum forensi, sed Christiana condonatio (n) requiratur. De reliquo laudabilis consuetudo, quæ alicubi viget, ut omnes alii homines jubeantur

tur ex conclavi discedere illô, quæ ægrotus confessionem editurus est, tempore (o), non modò est sedulò servanda; sed etiam, si cubi non est usu recepta, adhibenda, si urgentes rationes suaserint, esse, quod solum confessarium noviſse deceat, fortè confitentem ægrotum propositurum (p), vel si habuerit ipse confessarius, de quo seorsim monere velit decumbentem (q). Peractâ absolutione ad indigentiam conscientiæ confitentis dirigendâ (r), & cœnâ administratâ juxta cujusque loci mores & statuta (s) juvat ægroto succurrere adhortationibus, monitis, precibus, prout vel morbi conditio, vel ægrotantia conscientia, vel circumstantiæ loci & temporis exegerint (t).

NOTÆ.

(a) Ut sunt Repetitio & meditatio verbi antehac vel lecti vel auditi; fidelis applicatio Gratiæ baptismalis; preces &c.

(b) De qua constat ex Scholis Theologiæ Positivæ. Vid. *B. Auctorem in Comp. Theol. cap. de Sacr. Cœn. §. XII.*

(c) Eucharistia Viaticum dicitur antiquis. Concilium Nicenum can. XIII. περὶ τῶν ἐξοδεύοντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται

σεται καὶ νῦν, ὥστε, εἴτις ἐξοδεύσι, τὸ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτὰ τοῦ ἐφοδίου μοῦ ἀποστερεῖσθαι. h. e. *De his qui vita excedunt, vetus & Canonica lex nunc quoque servabitur, ut, si quis decedat, ultimo & maximè necessario viatico ne defraudetur.* Confer, quæ ex Paschasio, Concilio Carthag. IV. Gaudentio, Thoma &c. citat *B. D. Kortholtus* in libello Germ. Vorbereitung zur Ewigkeit / *Notis ad Cap. XXVII. num. V. p. 387.*

(*d*) Ægrotorum varia est conditio. *Alii* sunt morti vicini, *alii* plus adhuc virium habent: *alii* discursus fusiores audire possunt; *aliis* sermonis prolixitas est ingrata & molesta: Rursus *alii* seipsos rectiùs jam præpararunt; *alii* sunt demum rectè pastoris operâ præparandi &c. Ratio igitur est harum circumstantiarum habenda, ne vel in excessu, vel in defectu peccetur.

(*e*) Exempli loco commendari potest Publicanus ille *Luc. XVIII. 13.* Hæc humilitas oritur, si expendantur magnitudo nostrorum peccatorum, & pœnæ, quas meriti sumus. Sanctitas DEI & Justitia, itemque bonitas summa ejusdem, quam offendere non dubitavimus. Cogitetur etiam, quòd nos simus nihil nisi pulvis & umbra, servi inutiles, si omnia fecerimus &c.

(*f*) Nihil æquè atque condonationem ursit Christus inter omnia officia Christianorum, ita ut in ipsa oratione Dominica, ejusque petitione

tione quinta, talem condonationis faciat mentionem, ut ſtatim ex illa petitione noviſſe liceat, an exauditi ſimus? an verò minus? Etſi enim non mereamur noſtra condonatione condonationem divinam delictorum noſtrorum, placuit tamen Chriſto declarare noſtram condonationem pro ſigno certo condonationis divinitus impetratæ. Vide *Matth. VI. 12. 15. cap. XIIX. 23. ſeqq.* Præcipuè huc pertinet *Cap. V. v. 23 24. 25.* Adde *Epheſ. IV. 26. I. Petri II. 21. 22. 23.*

(*g*) Vi tertiæ petitionis in Oratione Dominica, ut & vi exempli Chriſti morituri, *Matth. XXVI. 39.* conf. *I. Petr. IV. 19.*

(*h*) Deus vult omnes homines ſalvos fieri *I. Tim. II. 4. Ezechiel. XXXIII. 11.* Chriſtus eſt agnus DEI, qui tollit peccata mundi *Joh. I. 29.* & propitiatio pro totius mundi peccatis *I. Joh. II. 2.* Hæc univerſalitas, quæ ex intentione DEI ad omnes homines, totumque extenditur mundum, firmiter teneatur, ne impediatur diſcurſus fidei & applicatio certa ſive deſcenſus ad ſingulos homines.

(*i*) Applicatio fit per talem certum & indubium diſcurſum: DEUS vult omnes homines ſalvos fieri, ergo vult etiam me miſerum hominem ſalvari. Chriſtus eſt pro totius mundi peccatis expiatio; ergo etiam pro me & meis peccatis eſt expiatio. Hæc applicatio urgeatur cumprimis, & hæc fides ſpecialis inculcetur quàm enixiſſimè.

(*k*) Reconciliatio, ſicubi opus eſt, debet fieri ante confeſſionem & cœnæ uſurpationem, ſecundum illud Chriſti, *Matt. V. 23. ſeqq.*

(*l*) Offenſæ partis eſt facilè condonare; offendentis deprecari & culpam agnoſcere: idque ſub pœna iræ divinæ. Vide *Matthæum cit. loc. item Cap. XIIX. 23. ſeqq.* Utrumque hoc debet utrique parti ita inculcari, ut ſimul moneantur de gravitate delictorum, quibus obærati ſint DEO, à quo non poſſint ſperare veniam, niſi ex toto pectore omnem penitus rancorem ſtatim eliminarint.

(*m*) Sæpius partes litigantes cauſæ ſuæ gravitatem & juſtitiam volunt exponere, & agere ex capite juſtitiæ: ſicque conciliationem impediunt, imo omnia offenſarum momenta recoquere non dubitant. Hoc ne concedat paſtor, ſed ſuam, ut mox dicemus, interponat auctoritatem & prudentiam paſtoralem.

(*n*) Scil. ubi reconciliationem quærimus; ſunt injuriæ non expendendæ, ſed ex animo ejiciendæ, quod edocemur exemplo Dei. Vid. *Pſalm. XXV. 7. CIII. 9 10. 11. 12. Eſaiæ XLIII. 25.* &c. Itaque moneatur, ſi quæ cauſa fuerit forenſis, illam poſſe judicio Civili vel alii judicî competenti relinqui: Chriſtianorum eſſe, condonare offenſas & ex mente exſtirpare rancorem, cohibere iram, ne premamur irâ divinâ &c.

(*o*) Ut adeo poſſit ſolus ægrotus cùm ſolo loquî

loqui confessario, & ab hoc, sub sigillo confessionis, vel consilia Theologica petere, vel confessionem edere sufficientem. Quod sæpius impeditur, & multa non concoquenda reticere cogitur ægrotus ex metu adstantium.

(*p*) Id quod ex circumstantiis variis haud rarò colligi potest.

(*q*) Sic sunt nonnulla, de quibus quandoque monendus est ægrotus, vel de quibus est examinandus: ubi quidem tutissimum fuerit, removere testes, & rem sub sigillo confessionis peragere.

(*r*) Absolutorius sermo imprimis debet commodatus esse ad ægroti conditionem, h. e. morbum, mores, captum &c.

(*s*) Quomodo privatæ hæ Communiones, quas vocant, peragi debeant, partim Agenda sive Libri Liturgici edocent, partim consuetudo loci præscribit.

(*t*) Non solùm pietas in cœnam jubet, sed etiam cura animarum postulat, ut quem sacra cœna donavimus, jam porro muniamus & erigamus adhortationibus, institutionibus, precibus &c. Sæpius enim aliàs homines minus dignè meditantur & applicant sibi tantum beneficium, sibi fuerint solis relicti.

§. V.

Circa Moribundos (*a*) observet fidelis pastor sequentia. I. Curet, quantum potest,

est, ut homines ritè ad hoc tempus fatale dispositi (*b*) veniant. II. Si qui tamen serius ipsi innotuerint, his ne temere Cœnam offerat; cùm hæc nonnisi probatis debeat administrari (*c*): sed peragat III. Officium suum *partim* monitis Evangelicis (*d*) & adhortationibus seriis, ut moribundus confugiat ad gratiam baptismalem (*e*), ad vulnera Christi salutaria (*f*) &c. *partim* intercessionibus suis pro moribundo, maximè si viderit, in hoc deficere jam sensus externos (*g*). Tandem IV. exspirantem commendet Pastor fidelis DEO Trinuni & Christo Pastori summo animarum (*h*), obsignans officii sui partes benedictione sacerdotali Ecclesiastica (*i*). Mortuô ægrotante, V. informet paucis, Lugentes ex verbo Dei de suis officiis (*k*), eosque erigat solatio (*l*).

NOTÆ.

(*a*) Moribundos dicimus, qui animam agunt, & discessum ex hac vita temporali mortalique parant. Æstimantur autem pro Moribundis, in quibus, ob spirituum animalium & vitalium defectum, non modò sensus externi sensim exstinguuntur, sed etiam in quibus pulsus cordis magis magisque deficit, & à sanguine stagnan-

stagnante veluti suffocatur. Germani vocant das Hertz-Brechen. Ubi nota, *alios* lenta morte, *alios* veloci exstingui; rursus *alios* agonem experiri, *alios* placidè obdormire, pro varietate partim judiciorum divinorum, partim morbi, partim ætatis &c.

(*b*) Dispositi veniunt, qui DEO per fidem reconciliati mortem subeunt, adeoque sua peccata retractarunt per seriam pœnitentiam, Christi meritum apprehenderunt per fidem vivam, & in voluntate divina, tanquam paterno affectu, acquiescere didicerunt. Quæ quidem omnia non debent demum disci & acquiri in morte, sed usurpari & exerceri.

(*c*) Vid. *B. D. Kortholtus in Pastor. Fidel. Cap. VI. Posit. V. pag. 199. seqq.* Conf. *B. D. Bajer.* Disp. de *Agone Mortis*, quæ in decade prima Disputationum, numero V. exstat, §. 67. p. 40.

(*d*) Evangelium quippe est virtus illa DEI ad salutem omni credenti, & gratiam offert cuique peccatori, qui vim ejus malitiosè non repulerit: Lex è contrario vivificat neminem post lapsum, sed conterit, turbat, occidit, nisi huic succedens Evangelium, per fidem in Christum, vitam attulerit contrito. In articulo mortis verò saltem semper prædominari debet Evangelii usus, &, si quid ex Lege miscendum fuerit, ita fiat, ut magnitudo gratiæ exaggeretur per collationem cum legis justitia & rigore; quò habeat in agone, ubi pedem figat

figat moriturus. Conf. *Bajer. cit. loc. §. 61. pag. 37.*

(e) Gratia baptismalis in eo est posita, quòd DEUS nos receperit & adoptarit in filios per sanguinem sui filii, cui non pepercit propter nos. Hæc gratia ex parte nostri, utut sit sæpius conculcata, stat tamen ex parte DEI immobilis, qui ex hac gratia sua subinde peccatorem monet, revocat & ad pœnitentiam hortatur: cujus rei certitudo & veritas debet morituro demonstrari ex ipso actu informationis & consolationis, quæ à pastore, ex mandato DEI, & vi officii sui sibi divinitus commissi, morituro applicatur & offertur. Gratiæ enim opus & argumentum est, quòd DEUS ministrum suum ad Lectulum moribundi constituit, qui vim Evangelii prædicet atque offerat. Facit huc quam maximè illud oraculum vitæ *Apocal. III. v. 20.*

(f) Juxta tritum illud: *Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnerum Christi recordabor.* Pertinent huc dicta illustria *Esaiæ LIII. 4. seqq. Joh. IIX. 51. I. Corinth. I. 30. I. Joh. II. 1. 2. Philipp. III. 8. seqq. Rom. IIX. v. 31. seqq. I. Tim. I. 15.* &c. Plura huc facientia habentur apud Practicos passim. Præcipuè meruit dialogus quidam, plenus Spiritu, ex *B. Anshelmi*, Cantuariensis Episcopi, exhortatione ad fratrem moriturum, à nostratibus laudari & commendari, v. gr. à *B. Kortholto* in der Vorbereitung zur Ewig-

Ewigkeit / not. ad cap. XXVII. Num. XII. p. 388. 389. ubi citat ob hujus dialogi enarrationem *B. G. Calixtum & Joh. Gerhardi Confessionem Catholicam.* Ante hos autem jam hunc dialogum laudavit *B. D. Mart. Chemnitius* Part. I. Exam. Concilii Trid. (edit. in 8vo Anno MDLXVI.) pag. 713. seqq. Eundem quoque repetendum censuit *B. D. Henr. Hœpffnerus* Disp. Theol. XIV. p. 459. ex quo ultimo placet toties commendatum dialogismum describere. Sic ergo Anshelmus, qui circiter annum 1081. floruit & anno 1106. mortuus est: *Cum frater aliquis laborare videtur in extremis, pium est & consultum, eum per Prælatum sive alium sacerdotem, subscriptis interrogationibus & exhortationibus exerceri. Et interrogetur primo. Frater, lætaris quòd in fide morieris? & respondeat:* Etiam. *Fateris te non tam bene vixisse, sicut debuisses?* Fateor. *Pœnitet Te?* Etiam. *Habes voluntatem emendandi te, si spatium vivendi haberes?* Etiam. *Credis, quòd propter TE mortuus est Dominus Jesus Christus, Filius DEI?* Etiam. *Credis, non posse salvari, nisi per mortem ejus?* Etiam. *Agis ei de hoc ex corde gratias?* Etiam. *Age ergo, dum in te est anima tua, ei semper gratias & in hac sola morte totam fiduciam tuam constitue. Huic morti te totum committe; hac morte te totum contege; eique te totum involve. Et si Dominus te voluerit judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me, te*

& judicium tuum: aliter tecum non contendo. Si dixerit quòd meruerit damnationem, dic: Mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & mala merita mea: ipsiusque dignissimæ passionis meritum affero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo. Dicat iterum: *Mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter te & iram tuam.* Deinde dicat ter: *In manus tuas,* Domine, *commendo spirituum meum. Et conventus sui adstantes respondeant: In manus tuas, Domine, commendamus spiritum ejus. Et securus morietur, nec videbit mortem in æternum.* Hactenus Dialogismus Anshelmi. Scilicet sic *dimittuntur servi DEI, in pace, secundum verbum ejus, quando ita oculi eorum viderunt salutare ipsius.* Conf. *Lucæ II. v. 29. 30.*

(*g*) Salubre est monitum *B. D. Bajeri*, Disput. citata *de Agone Mortis* seu de *Judicio Hominis Moribundi, §. 60. pag. 39. Libenter concedimus, agonizantes illos, quorum sensus externi deficiunt & convulsiones lethales sese exserunt; ubi etiam metus est, ne sono fortiore vocis terreantur, & tristiora epilepsiæ spectacula excitentur, non rarò sibi ac DEO suo, collectisque pridem in animo solatiis relinquendos esse potius, quàm ut intempestivè & sine fructu & potius cum scandalo inclamentur. Satius ergo fuerit, si eos, quos alloquio nostro instruere & confirmare non possumus, precibus nostris vel gemitibus taciti pectoris adju-*

adjuvemus, gratiæque divinæ augmentum illis impetremus.

(*b*) Uti vinculum matrimoniale solvitur per mortem; ita multo magis vinculum, quod inter pastorem & auditorem in hac Ecclesia militante intercesserat, per mortem rumpitur. Solutionem hanc vinculi pastoralis piè meditetur pastor, dumque per mortem morientis auditoris sui, Pastor à curâ, quam hactenus pro anima morituri gesserat, absolvitur (1.) gratias agat DEO Trinuni & supremo Pastori, Christo, pro hac dispensatione sua sapientissima: (2.) reddat veluti animam morientis, ex sua cura, in manus Domini fideles, implorando eundem, ut ne patiatur de suo frustrari fine tot innumera beneficia in moriturum hactenus congesta, maximè per opera Creationis, Redemtionis & Sanctificationis &c.

(*i*) Magna quippe illius benedictionis virtus est & efficacia; cùm formula sit divinitùs, *Num. VI. 24. 25. 26. 27.* Aaroni & filiis ejus præscripta, quam nostræ Ecclesiæ meritò adhibent, & fidelibus adplicare jubent.

(*k*) Officia Lugentium sunt, acquiescere non modò in voluntate DEI, sed etiam eidem agere gratias, tanquam sapientissimo, potentissimo & optimo rerum nostrarum administratori, exemplo *Jobi, cap. I. 21. Davidis, II. Samuel. XII. 20. 21. 22. 23.* &c.

(*l*) Ostendendo arcana crucis, & quòd

DEI viæ non sint nostræ viæ, nec nobis perscrutabiles; quas adeo debeamus mirari & venerari, non autem rimari, multò minus carpere, vel ægrè ferre. Interea nos oportere esse certos, nobis amantibus DEUM omnia, etiam ipsam mortem nostram & nostratium, cooperari in bonum &c.

§. VI.

In Tentatis tractandis, ante omnia inquirat Pastor, in causam sive originem (*a*) Tentationum, & huic opponat consilia Theologica, quæ verbo ex divino (*b*) sunt repetenda. Porro cùm aliæ tentationes sint corporales (*c*), aliæ spirituales (*d*), aliæ ex Mortis horrore (*e*) pendeant; observet Pastor fidelis, alia consilia, quæ his debentur afflictis, esse communia (*f*) alia propria (*g*): imo cùm dictæ tres tentationum classes, rursus pro varietate circumstantiarum (*h*) & statuum conscientiæ (*i*) admodum varient; juverit, distinxisse etiam consilia propriissima, sive specialissima (*k*). Communia consilia derivantur ex locis Theologicis, de infinita, eaque universali DEI Misericordia (*l*), de merito Christi universali, eoque sufficientissimo (*m*); de Spiritus sancti officio advo-

advocatorio (*n*), de communi omnium fidelium sorte (*o*) & arcanis Crucis (*p*) &c. Corporalibus tentationibus propria consilia sunt, quæ petuntur ex rerum corporalium vanitate & indole infirma (*q*), ex pronitate labendi propter earundem illecebras (*r*) &c. Spiritualibus tentationibus opponenda sunt consilia Theologica, quæ subministrant loca de efficacia & certitudine mediorum salutis, (*s*) de precum precio coram DEO (*t*), de indiciis operantis in nobis gratiæ (*u*), de fidei, patientiæ christianæ, exercitiis divinis (*x*) &c. Denique Horror mortis dispellitur argumentis repetendis ex Mortis, per mortem Christi, in somnum placidum metamorphosi (*y*); ex liberatione ab omni malo tam turpi, quam tristi per mortem temporalem (z); ex viatico salutis, quo DEUS per verbum & Sacramenta nobis prospexit (*aa*); ex vitæ æternæ ineffabili & æterno gaudio (*bb*) &c. Specialissima consilia oriuntur ex iisdem locis, per variam inter se mixtionem, & pro statuum conscientiæ & circumstantiarum varietate, temperationem (*cc*).

NOTÆ.

(*a*) Origo tentationum est varia. *Aliæ* sunt à Satana immediatè; *aliæ* à carne; *aliæ* à mundo: quæ tentationes posterioris generis tamen etiam à Satana, etsi nonnisi mediatè, ortum trahunt. Gravitatem Tentationum Saranicarum non rectiùs intelligemus, quàm attendendo ad Satanæ (1.) ingenium callidissimum, (2.) Malitiam & voluntatem nocendi desperatam, (3.) Potentiam insignem. Confer pluribus hanc in rem *Hornbecii Theol. Practic. Libr. IV. cap. III. p. 341. seqq.* Quæ ex carne nostra sunt tentationes, tantò plus habent periculi, quantò nobis sunt propiores, imo intra ipsa nostra viscera veluti grassantur. Conf. *Hornbecium cit. loc. cap. IV. pag. 365. seqq.* De periculo harum tentationum agit *Jacobus cap. I. v. 14. 15.* Denique Mundi insultus sua specie nos facilè seducunt, nobisque imponunt, juxta illud *Sapientiæ IV. 12.* quanquam aliquando non tàm blandè, quàm acerbè nos tractet mundus, qui ordinariè illos prosequitur, quos se sequi nolle intelligit. Conf. *Hornb. cit. loc. cap. V. p. 371. seqq.* Videndum ergo, quomodo & quo artificio, caro, mundus, Satanas sua tela acuerint, & in tentationum æstu applicaverint.

(*b*) Secundum illud *Psalmi XLVI. 5. XCIV. 19. CXIX. 92.* Adde *Jerem. II. 13. 17. 19. Jesaiæ VIII. 20.* &c. Præcipuè autem liquet hoc, quòd consilia adversus tentationes debeant peti ex Scri-

Scripturis rectè explicatis, si consuluerimus exemplum Christi, Satanicas tentationes discutientis, *Matth. IV. & Luc. IV.* Conf. *Ephes. VI. v. 17.*

(*c*) Corporales Tentationes ita nominantur ab objecto, quia vel ipsum corpus nostrum affligunt, vel res corporales nostras. Talem tentationem sustinuit *Jobus cap. I. & II. Paulus, II. Cor. XII. 7.* &c.

(*d*) Spirituales tentationes sic dicuntur, quia Spiritum sive animam nostram afficiunt, & bona spiritualia nostra divexant, v. gr. tentationes de veritate Scripturarum divinarum, de fide nobis inexsistente, de universalitate gratiæ divinæ, de remissione peccatorum &c.

(*e*) Pagani mortem dixerunt *terribilium terribilissimum.* Quid? Paulus quoque, nomine fidelium, fatetur, *quòd qui sumus in hoc tabernaculo, gemamus onerati, propterea non nolimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à vita. II. Corinth. V. 4.* Non solùm autem naturæ nostræ adversa est dissolutio illa animæ & corporis; sed præterea, cùm homini sit subeundum judicium DEI, sub exitum ex hac vita, dubitari non potest de horrore vehementissimo: Unde *Agonis* nomen, itemque *Judicii* frequens in hac materia est. Concipitur hoc certamen ex una parte inter *Homines ipsos morti vicinos*, & ex altera parte inter *Mortem, Satanam, Peccatum, Legem, & Iram DEI.* Conf. *B. Bajeri*

Disputationem laudatam de *Agone Mortis §. 4. seqq.*

(f) Communia dicuntur consilia, quæ ex æquo possunt adhiberi in tentationibus omnis generis, sive spirituales fuerint, sive corporales, sive ex Mortis horrore ortæ.

(g) Propria dicuntur in ordine ad certas tentationum species, quibus ita commoda sunt, ut non æquè commodè adhibeantur in reliquis.

(h) V. gr. Ætatis, Loci, Temporis, Temperamenti, Concursus insultuum, Eruditionis, Ruditatis, Vitæ generis &c.

(i) Qui sunt præcipuè tres: *Vel* enim carent fide, qui tentantur: *vel* sunt in fide firmi; *vel* denique luctantur. Rursus, qui fide carent, eam *vel* nunquam adhuc habuerunt, *vel* eandem excusserunt: qui verò sunt in lucta; *vel* tendunt ex minori gradu ad majorem; *vel* ex majore retrolabuntur in decrementa &c.

(k) Specialissima consilia sunt, quæ ad casus specialissimos, postquam omnes circumstantiæ & totus conscientiæ status rectè est ponderatus, commodantur & veluti attemperantur.

(l) Loca ex Scripturis huc pertinentia collegit magnô numerô *B. D. Kortholtus*, in der Vorbereitung zur Ewigkeit / cap. XXIX. §. II. pag. 279. seqq.

(m) In foraminibus Petræ, h. e. Christi Vulneribus solis, tuti quiescimus & deliteſcimus. Hinc Paulus nihil præter Christum crucifixum novit,

novit, nihil prædicat, in nullo alio, quam in cruce Christi gloriatur *I. Corinth.* I. *23. 30. 31. cap. II. 2. Galat. VI. 14. ad Philipp. III. 8. 9. 10. &c.* Præcipuè locus ille *Joh. III. 16.* illustris est & classicus. Conf. ad §. præced. notam *(f)*. Quæ enim ibi de morituris dicebantur, nullo negotio ad reliqua quoque tentationum genera applicantur. Videlicet perpetuum est illud Pauli & valet adversus omnes insultus, quando dicitur *Rom. IIX. Quis nos separabit à dilectione Christi? Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Verùm in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos &c.*

(n) Nomen Spiritus Sancti aureum & solatii plenum est, quòd dicitur παράκλητος sive *Advocatus Joh. XIV. 16. 26.* de quo officio ejus egregiè disserit Paulus, *Rom. IIX. v. 15. 16. 26. 27.*

(o) Fideles tentationibus carere non possunt, quorum sortem nemo elegantius exponere potest, quàm Paulus *Ebræorum XI. & XII.*

(p) Arcana crucis sunt, quòd DEUS utitur cruce tanquam medicamentis, amaris quidem, sed saluberrimis, partim ad restringuendum carnis æstum, partim ad nos alliciendos ad precum ardorem, seculi fugam, pietatis exercitia, meditationem cœli & verbi divini &c.

(q) Ea indoles est rerum terrenarum, ut nihil spei, nihil solatii solidi dare possint. Servæ sunt, miseræ, mancæ, caducæ; umbra potius,

quàm res. Nullius est inter illas & nos nexus necessarius. Nunc illæ nos, nunc nos illas deserere cogimur. Non ergo nos tangere debet ex illarum calamitatibus dolor, exemplô *Jobi cap. I. & II.* Præterea cogitemus, tristia illa, quæ ex rerum corporalium adversis ortum trahunt, non esse tormina nobis singularia, sed certò omnibus hominibus exspectanda in mortis articulo, ubi omnia certò erunt relinquenda &c.

(r) Voluptas & fortuna seculi optimos etiam animos corrumpunt, ut patet ex lapsu Salomonis Sapientissimi, Helluonis Luc. XVI. Conf. *Proverb. I. 32. Sapient. V. 7. 8. seqq. Matth. XIX. 23. 24.*

(s) Verbi puta & Sacramentorum. Huc pertinet illud tritum: Sein Wort/ sein Tauff/ sein Nachtmahl/ dient wider allen Unfall/ der Heilig Geist im Glauben/ lehrt uns darauff vertrauen. Conf. *Psalm. XXIII. 4. XCIV. 19. Luc. XXI. 33. Galat. III. 27. Joh. III. 5. Cap. VI. 54. seqq.*

(t) Precum valor apud DEUM ex Scripturis notissimus est. Vid. *Matth. XXVI. 36. 41. Luc. XI. 9. 10 13. Cap. XIIX. 1. seqq. XXI. 36. Ephes. VI. 18. Jac. I. 5. 6. V. 13. 14. 15. 16. 17. 18.* &c.

(u) Tentati sæpius dubitant de Gratia DEI ad se adhuc pertinente, de fidei suæ vita & veritate. In talibus casibus ostendatur signum gratiæ divinæ in tentato efficacis esse (1.) ipsam anxie-

anxietatem & desiderium gratiæ, quod non sit carnis sed gratiæ opus (z.) beneficium divinum urgeatur, quòd habeant miseri, dum DEUS in tempore Gratiæ, ipsis offerat hoc ipso per ministrum suum gratiam & salutis media &c.

(x) Secundum illud *I. Petr. IV. 12. seqq. Ebr. XII. 5. seqq. Apocal. III. 19.* &c.

(y) Præcipuè huc pertinet illud classicum *Joh. VIII. 51. Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Confer nostram hunc in locum dissertationem *de Antidoto Mortis.*

(z) Juxta illud *I. Corinth. XV. 26 Philipp. I. 22. II. Timoth. IV. 18. Apocal. XIV. 13.* &c.

(aa) Juxta *Psalm. XXIII. 4. Joh. VI. 57.* Feliciter moritur & beatè, cui verbum Domini, Lucerna & baculus est; cui ἐφοδίῳ instar, cœna Dominica, cui vestitus, innocentia Christi, qua induimur in baptismali fœdere.

(bb) Secundum dicta celeberrima *Esaiæ LXIV. 4. I. Cor. II. 9.* Conf. *Apocal. cap. XXI. XXII.*

(cc) Nimirum sicuti tentationum casus specialissimi enascuntur ex circumstantiarum & statuum conscientiæ varietate; ita facilè intelligitur ratio præparandi antidota, si nimirum in argumentorum specialium & communium applicatione, respectus habeatur dictarum circumstantiarum & statuum, atque pro harum infinita varietate, illa consilia Theologica

variè restringantur, diducantur, misceanturque.

§. VII.

Peccant ii Pastorum, qui vel hanc Ægrotorum Tentatorumque curam prorsus abjiciunt, vel saltem negligentius tractant (a) Speciatim delinquitur, quando I. Ægrotis Tentatisque, citra inquisitionem in illorum conscientiæ statum, promiscuè applicantur medicamenta spiritualia (b). II. Quando in visitationibus parturientium τὸ πρέπον insuper habetur (c), vel infantes nondum à matribus soluti baptizantur, vel negotia partus impediuntur. III. Quando Sacra Cœna vel imparatis, vel facultatem probandi non amplius habentibus datur (d); aut desiderantibus plane intercipitur. IV. Quando morituros pastor vel deserit, vel non satis diligenter ad beatum exitum disponit, vel precum ardorem & officia intermittit &c.

NOTÆ.

(a) Quasi videlicet non tàm individuorum, quàm cætuum abstractorum, in idea, nescio quâ generali, pastores essent. Perinde autem fuerit, sive ex ruditate, & quia quid muneris pastoralis sit, nesciunt, sive ex levitate animi, hac

hac in parte deliquerint; nisi quòd hi illis adhuc deteriores dici mereantur.

(b) Medicamenta Esse habent relativum, nec aliter concipi possunt, quàm in ordine ad morbum, cui medentur. Absolutè ut in Naturalibus, ita etiam in Spiritualibus, medicamenta nulla dantur, qui morbi sæpissimè ex contrariis oriuntur principiis, ut quod uni malo rectè opponebatur, alterum augeat. In Spiritualibus morbis curandis, experientia pastoris ex eo cumprimis refulget, si rectè sciat distinguere in usu Legem & Evangelium. Horum enim imprudens applicatio ineffabilia animarum damna secum trahit.

(c) Negligunt τὸ πρέπον, qui *vel* intempestivè se his negotiis miscent; *vel* ubi opus erat, se non subtrahunt; *vel* minus officii sui gravitatem tuentur.

(d) Imparatis datur, quando ægroti non satis ad reconciliationem cum proximo, abnegationem seculi, fidem in Christum, patientiam debitam, moniti, sacrâ cœnâ instruuntur. Porro cœnam profanè tractant, & contra monitum Pauli *I. Cor. XI, 28.* dispensant, qui eam applicant hominibus vel in delirio, vel extra rationis usum, positis, vel quorum sensus jam mors intercepit &c. Sic quoque peccatur, quando quis sciens Cœnam confert homini, qui vomitus paroxysmos sustinet: Qua de re superius in Notis nostris ad Sectionis *hujus III. Sub-Sect. II.* §. *VIII.* &c. §. VIII.

§. VIII.

Motiva ad rectè tractandos ægrotos tentatosque, & ad vitanda oppoſita peccata, præter mandatum DEI & reliqua motiva, communium humanitatis officiorum (*a*), ſunt I. Mandatum DEI (*b*). II. Exempla Chriſti & Sanctorum (*c*). III. Dignitas ſingularis (*d*) horum officiorum. IV. Præmia rectè (*e*), & pœnæ ſecus (*f*) operantium.

NOTÆ.

(*a*) De his egit Noſter in *Parte Generali, III. cap. X. Sect. III. §. III. pag. 482.* & nos in notis ad hunc Aphoriſmum.

(*b*) Mandatum Divinum, quod miniſtros verbi adſtringit ad erigendos afflictos, viſitandos malè habentes & ad adjuvandos morti vicinos, multiplex ex Scripturis adduci poteſt. Præcipuè huc pertinet illud *Jacobi V. 14.* ubi conſtitutio habetur de accerſendis presbyteris Eccleſiæ ad infirmos, ut orent ſuper eos. De reliquo rectè reducimus ad hanc claſſem illa Scripturæ loca, ubi generaliter præcipitur, ut paſtores curam gerant animarum, quæ nunquam magis neceſſaria eſt, quàm quando animæ ſunt afflictæ vel tentatæ, vel ad emigrandum in procinctu.

(*c*) Chriſti exemplum illuſtre eſt, de quo dicit Petrus *Actor. X. 38. Obambulavit benefaciendo*

ciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo. Hinc etiam *Matth. IX. 12.* Se Medicum dicit, qui non validis, sed his, qui malè habent, sit opus. De Sanctorum cœtu huc pertinet *Jobus*, qui *cap. XXXI. v. 18.* de se testatur, *miserationem ab infantia sua secum creviſſe, & de utero matris ejus ipsam egressam esse cum eo.* Esaias visitavit Regem Hiskiam, cùm ægrotaret, *Esaiæ XXXIIX. v. 1.* Jobum visitarunt Amici ejus, etsi non satis dextrè suo officio functi, *Job. II. 11.* Præcipuè Samaritani illius exemplum enixissimè commendat Jesus *Luc. X. v. 33. seqq.* Exemplum *Basilii M.* ex Gregor. Nazianz. Orat. XX. item Carthaginensis Episcopi alicujus, *Deo Gratias*, ex Victore Uticensi, Persec. Vandal. libr. I. *Placillæ* ex Theodoreti libr. V. Hist. Eccles. c. IIX. ursit *B. D. Kortholt. in Pastore Fideli, cap. IIX. Posit. 1. pag. 227. seqq.* Adde *caput XXII.* ex *Eusebii Historiæ Ecclesiast. libr. VII.* &c.

(*d*) Dignitatem horum officiorum inde colligimus, quia nihil est divinius, quàm succurrere afflictis & misereri miserorum, confer *Matth. V. 48. Luc. VI. 36.* &c. Hinc hâc virtute homo homini Angelus, imò DEUS dicitur. Neque mediocre dignitatis argumentum est, quòd Christus solenni in judicio suo est fidei vitam præcisè ex his officiis judicaturus & æstimaturus, *Matth. XXV. v. 40.*

(*e*) Officiis hisce quid pararit Christus, non quidem consideratis in se, sed quatenus ex fide

fide in Christum profecta, vitam & veritatem fidei probarunt, constat ex *Matth. XXV. 34. 35.* conf. *Ebr. XIII. 2. 3. 16.* Adde *Sirac. VII. 39.*

(*f*) Huc pertinent verba Christi *Matth. XXV. v. 41. 42. seqq.* præcipuè Comminatio *Zachariæ XI. 17.*

§. IX.

Media sunt, præter humanitatis & beneficentiæ Christianæ studium (*a*). I. Motivorum (*b*) jugis meditatio. II. Scriptorum Practicorum (*c*) attenta Lectio. III. Conversatio cum Theologis in hac parte exercitatis (*d*). Denique IV. ipsum in hoc officiorum genere exercitium (*e*).

NOTÆ.

(*a*) De humanitate & beneficentia Christiana maximè in rectè curandis proximi bonis animæ naturalibus & supernaturalibus, ut & in rectè tractandis reliquis ejusdem donis & bonis: vid. Beat. auctorem in Parte *General. III. Cap. X. Sect. II. III. IV. V.* & nostras notas ad easdem.

(*b*) Quæ paulò ante recensuimus.

(*c*) Scriptores Practici huc pertinentes varii sunt. Eminet inter eosdem *B. Lutherus*, cujus Scripta Paracletica multum vividissimi solatii habent. Exstant illorum plura *Tomis*

V. &

V. & VI. Germ. Jen. Ex operibus Lutheri collegit peculiare opus *M. Johannes Policarius*, Eccleſiaſtes Weiſſenfelſ. Seculo ſuperiori, ſub titulo: Troſt-Spiegel der armen Sünder. Pertinet huc etiam *Paſtorale Lutheri à Conrado Porta* editum. Exſtat quoque *Theſaurus Conſolationum in Caſibus Tragicis & inopinatis, bipartitus M. Eraſmi Winteri, Joachimici*, idiomate Germanico, ſæpius recuſus, in quo oſtendit, quomodo tractandi ſint (1.) *ſpiritualiter tentati* ob admiſſa peccata, Reprobationis præjudicia, infirmitatem fidei, defectum ardoris ad preces, vel etiam quos Satanas ſolicitat Melancholiâ, imo ad deſperationem impellit: (2.) Ægroti & Moribundi, (3.) Parturientes, (4.) Maleſici, qui capitis pœnam ſuſtinere debent. De *Tentationibus ſpiritualibus* ſcripſerunt *Wellerus, Balduinus, Glaſſius, Chriſtianus Chemnitius* & alii. *B. D. Kortholtus in Paſtor. Fidel. cap. IIX. Poſit. II. p. 231.* jubet quoque videre *B. Johannem Arndium de vero Chriſtianiſmo libr. II. cap. 50. ſeqq.* Ipſe verò *B. Kortholtus* reliquit opus Germanicum, Vorbereitung zur Ewigkeit / Kilonii Anno 1679. impreſſum, in quo *capitibus XXVII. ſeqq.* Morituros & Tentatos tractare docet. *M. Bonifacii Stœltzlini, Ulm.* Bethesda oder geiſtliche Haus-Apotheck und Seelen-Cur itidem ſemel iterumque prælum ſubiit. Edidit idem *Stœltzlinus* ſcriptum in gratiam parturientium, cujus rubrum, geiſtlicher Adler-Stein. Simili labore

functus

functus est jam seculo superiore *M. Otho Kærberus*, in libello Lipsiæ A. 1580. edito ab ejus Filio *Elia Kærbero* sub titulo: Tröstlicher Bericht/ wie sich die schwangere Weiber/ vor und in der Kinds-Geburth trösten/ und sich sambt dem Kindlein dem lieben GOtt/ durch Christum befehlen sollen. *Sigismundi à Birken* Tägliche Sterb-Bereitschafft multis meditationibus egregiis pollet. Inter recentissimos Nomen non inclarum est *M. Johannis Güntheri*, qui anno superiore edidit geistliche Krancken-Cur/ wie selbige aus dem Systemate Theologico und geistreichen Liedern anzustellen sey. Inter Reformatos celebris est Gallus Reformatus, *Carolus Drelincourt*, in quinque partibus Liebreicher Besuchungen oder Christlichen Trost-Reden. Opus ex Gallico idiomate in Germanicum fuit transfusum & sæpius recusum habetur &c.

(*d*) Collegia Pastoralia, uti rariora habentur in Academiis; ita sine dubio nulli magis rebus suis consulunt, quàm qui hanc artem à Practicis Theologis, h. e. à ministris verbi divini repetunt, de quorum & prudentia, & eruditione & dexteritate, itemque experientia constat. Hi enim prorsus hîc sunt audiendi, utpote, qui Pastoralem curam, quemadmodum usu & experientia didicerunt, ita quid etiam in animarum cura, experientia speculationibus distet, demum penitius noverunt.

(*e*) Multa

(*e*.) Multa docemur usu, quæ per præcepta tradi non poterant. Quippe præcepta non sunt casuum singularium, sed conceptuum abstractorum. Hinc mirum non est, sæpius nos deficere in praxi, si à speculationibus, in quibus nobis casus singimus, ad exempla data, tanquam in rem præsentem deducamur.

§. X.

Impedimenta sunt Morositas (*a*), philautia (*b*), avaritia (*c*), metus mortis præposterus (*d*), præcipuè ruditas (*e*) in hac Theologiæ Pastoralis parte.

NOTÆ.

(*a*) Morosi uti nihil habent suavitatis, ita etiam nihil solatii communicare aliis possunt.

(*b*) Philautia dum se æstimat, miseros contemnit & negligit, nec tanti putat, incommoda sustinere propter inopes. Quod si succurrit, non intendit miseri salutem, sed suam gloriam, sicque insolenter miseriam miserorum in luxus sui & vanitatis materiam convertit.

(*c*) Avari misericordiæ opera declinant, partim quia nolunt in inopes impendere sumtus, partim, quia, si fortè res verbo confici potuisset, nolunt tempus subducere suis curis secularibus, quæ lucrum terrenum moliuntur.

(*d*) Sunt, qui fugiunt ægrotos, quia delicatuli sunt, & sibi metuunt à morbis vel morte,

si vel è longinquo viderint ægrotantem vel mõriturum hominem.

(e) Ruditas est, quando quis nescit tractare ægrotos, morituros, tentatos, neque intelligit statum conscientiarum, neque morbos animarum dignoscere didicit, neque scit, unde cuilibet affectui decenter sit præparanda medicina spiritualis &c.

§. XI.

Morositas, Philautia, Avaritia removeri debent secundum ea, quæ in parte generali (a) dicta fuerunt. Metus mortis & morborum præposterus poterit è medio tolli partim precum assiduitate & meditatione tutelæ divinæ, quæ iis promissa est, qui vocationi suæ sedulò insistunt (b), partim medicamentorum idoneorum usu (c). Ruditas poterit corrigi per usurpationem Mediorum paulo antè enumeratorum (d).

NOTÆ.

(a) *Cap. IX.* Sect. I. §. VII. Sect. III. §. VI. *Cap. X*, Sect. I. §. VII. Sect. II. §. VII. Sect. IIX. §. I. II. III. IV. &c.

(b) Juxta *Psalmum. XCI.* qui totus huc spectat.

(c) Præcipuè si morbi fuerint contagiosi, juvat præservativorum usus, v. gr. myrrhæ &c.

item

Item poterit curari, ut fumus ex junipero in illo fiat conclavi, ubi ægroti decumbunt &c.

(*d*) Videlicet præcedente §. IX. Atque hæc hactenus. Nunc redimus ad B. Auctorem nostrum, in quo Annotationibus illustranda sequitur

CAP. I.

SECTIO IV.

De

DISCESSU MINISTRI AB OFFICIO ECCLESIASTICO.

Pag. 519. §. I.

CONstans in illo permanere -- debet: Ministerium, uti nemo bona cum conscientia, arripere potest sine vocatione ordinaria & legitima; ita ex eodem fundamento liquet, quòd nemo possit vocationem divinam, quam semel obtinuit, citra voluntatem divinam, deponere. Qui autem, citra voluntatis divinæ certa documenta, deserit stationem divinitus sibi demandatam; sine dubio DEUM tentat, imo DEO sese frivolè opponit. Dantur autem casus, in quibus constare potest de voluntate DEI, in discessu ab officio sacro. Inter hos casus eminet ille: quando *vires corporis*, sine quibus non

possumus amplius fungi munere sacro, ipse DEUS nobis, sine spe recuperationis, ademit: ita, ut videamus, nos impares esse labori subeundo, & cætum sacrum per nostros defectus jam notabilius pati detrimentum. Vicinum est, quando quis *moraliter* est inhabilis factus ad officium sacrum cum fructu ampliùs gerendum. Ut si quis enormia scandala dederit per Adulterium, Homicidium, aut similia delicta capitalia, quæ plerumque nonnisi extraordinariâ DEI gratiâ, sine remotione personæ, aut etiam voluntariâ abdicatione ab officio, removeri queunt: Quanquam in tali casu tristi, circumstantiæ adeo variæ sint, ut vix liceat, generalem polliceri canonen. Porro dari possunt casus, ubi homines, quorum tanta est ad ministerium sacrum inhabilitas, ut pateat, nec primam eorum vocationem fuisse divinam, nec lapsu temporis, vitium vocationis primæ, vel emendatum fuisse, vel emendari adhuc posse, bona cum conscientia, quemadmodum possunt, imo debent, ni sponte recedere velint, arceri à munere sacro, ita se abdicare eôdem possint, imò, (etsi nonnisi prævià causæ cognitione) etiam debeant; cùm aliàs in gravi contra conscientiam perseverent delicto, & cum magno Ecclesiæ, quam curare nesciunt, damno sint officii sacri partes servaturi. *Kön beatus in Cas. Catech. ex Tab. Oecon. Sect. II. Cas. IX p. 828.* adeo non vult probare ministrorum Ecclesiæ ex hoc vitæ genere ad

aliud

aliud transitum, ut ne in Studiosis quidem æquanimiter ferat studii Theologici desertionem.

Ibid. Ab illa particulari Ecclesia, cui operam suam addixit, discedere non debet:] De hac quæstione ex professo egit *B. König Casu IX. citato, à pag. 826. ad. p. 833.* quam ita definit, ut casus, quos mox ipse noster subjicit Auctor, agnoscat exceptos: de reliquo damnet mutationes, quas homines leves suscipiunt vel avaritiæ & redituum, vel dominationis & honoris, vel delectationis & propriæ voluntatis causâ. Contra hos urgeri debet, quod ex Matthesio in Pastorali Lutheri p. 23. monuit Conr. Forta: Alle Christliche Pfarrer und Seel-Sorger sollen lernen / daß ihnen Christus selber durch den Heil. Geist und ordentliche Wahl und Beruff seine Gemein und Heerdlein befiehlt/und sollen sie ihr Lebenlang mit Treuen meynen / wie ein Kind seine Mutter / oder wie ein Vater seine leibliche Kinder / oder wie ein frommer Mann seine ehrliche und ehliche Haußfrau/ und wann sie ihren Kirchen ihr Lebenlang treulich und weißlich fürgestanden / sollen sie darauf gedencken/daß sie darneben Leute erziehen und abrichten / denen sie am Tod-Bette die Schäflein und Lämmlein Christi wiederum befehlen können &c. Conditi sunt hanc in rem canones plures v. gr. in Concilio Nicæno, Can. XV. Meldensi can 30. &c. Plura hanc in rem collegit B. D. *Quenstedt* in *Ethica Pastorali, Monit. CXXIV.*

possumus amplius fungi munere sacro, ipse DEUS nobis, sine spe recuperationis, ademit: ita, ut videamus, nos impares esse labori subeundo, & cætum sacrum per nostros defectus jam notabilius pati detrimentum. Vicinum est, quando quis *moraliter* est inhabilis factus ad officium sacrum cum fructu ampliùs gerendum. Ut si quis enormia scandala dederit per Adulterium, Homicidium, aut similia delicta capitalia, quæ plerumque nonnisi extraordinariâ DEI gratiâ, sine remotione personæ, aut etiam voluntariâ abdicatione ab officio, removeri queunt: Quanquam in tali casu tristi, circumstantiæ adeo variæ sint, ut vix liceat, generalem polliceri canonen. Porro dari possunt casus, ubi homines, quorum tanta est ad ministerium sacrum inhabilitas, ut pateat, nec primam eorum vocationem fuisse divinam, nec lapsu temporis, vitium vocationis primæ, vel emendatum fuisse, vel emendari adhuc posse, bona cum conscientia, quemadmodum possunt, imo debent, ni sponte recedere velint, arceri à munere sacro, ita se abdicare eôdem possint, imò, (etsi nonnisi prævià causæ cognitione) etiam debeant; cùm aliàs in gravi contra conscientiam perseverent delicto, & cum magno Ecclesiæ, quam curare nesciunt, damno sint officii sacri partes servaturi. *Kön beatus in Cas. Catech. ex Tab. Oecon. Sect. II. Cas. IX p. 828.* adeo non vult probare ministrorum Ecclesiæ ex hoc vitæ genere ad

aliud

Quenstedius, qui simul rectè ulterius mõnet, simile de marito & uxore non debere ultra tertium comparationis extendi, cùm propriè loquendo non Pastor, sed CHRISTUS sit sponsus & Maritus Ecclesiæ, per *Ephes. V. 25. I. Cor. XI. 2. Joh. III. 29.* De reliquo, etsi rectè dixerint veteres, *Non omnem vocationem esse vocationem, sed quandam vocationem esse tentationem:* attamen certum est ex Scripturis, dari casus, ubi liceat transire de Ecclesia ad Ecclesiam. *B. D. Chemnitius part III. Loc. C. de Eccles. p. 126. §. Quid multis*, scribit: *Dominus messis potestatem habet transferendi ministros suos ab una Ecclesia ad aliam; Eandem potestatem habet Ecclesia; modò omnia fiant legitimè. Sic Paulus & Timotheum & Titum, non causa ambitus, aut dominationis, non delectationis aut præsumtionis, sed utilitatis, necessitatis & ædificationis Ecclesiæ gratiâ de loco in locum transtulit.* Plura submINistrabunt *B. Königius cit. loc. p. 829 830. 831. Quensted. p. 713 714* &c. Quamvis ergo non dubitemus, licere mutare sedes; nihilominus tamen cautè progrediendum est in hoc negotio, nec carnis Sophisticationes nobis imponant, & nostræ ambitioni, avaritiæ, vel vanitati prætexantur causæ honestæ & divinæ, quæ tamen vera motiva nostra, dum mutationem amplectimur, fortè non fuerint. Sæpius enim fingimus utilitatem Ecclesiæ, ubi commoda quærimus nonnisi nostra privata. Est proinde illa major Ecclesiæ utilitas,

quam intendimus, aut prætendimus noſtris mutationibus, probè priùs expendenda, antequam eandem audeamus in foro conſcientiæ ſequi, tanquam motivum divinum. Et quidem (1.) excutiamus probè noſtram conſcientiam, anne revera hæc ad mutationem feratur ob commodum Eccleſiæ majus, quod ex noſtra ſperamus mutatione (2.) Excutiamus rectè & ſtatum Eccleſiæ, à qua ſumus tranſituri, & ſtatum Eccleſiæ, ad quam ſumus tranſituri, & denique ipſas noſtras vires. Rectè Seneca alicubi dixit, ſemper plus virium eſſe debere in latore quam in onere. Qua de re plura inferius ad §. IV.

Ibid. Ut ea ipſo non adeo difficulter carere poſſit:] Ut, ſi Eccleſia *vel* abundet Miniſtris probis; *vel* illi adſint ſucceſſuri, qui noſtrum diſceſſum abundè compenſent, vel compenſare poſſint, in ea muneris ſacri parte, in qua Eccleſia, à qua quis abitum molitur, operâ abiturientis hactenus præcipuè utebatur. Hinc aſcenſiones per gradus ad graviora Eccleſiæ munera adeo non ſunt improbandæ, ut potius commendandæ ſint. Experientia magna in magnis muneribus requiritur. Rectè igitur præparamus ad magna munera admovendos, per gradus Miniſterii inferiores, donec in his magnæ aliàs etiam mentes illud conſequantur donum prudentiæ & experientiæ, quod extra munus ſacrum, ordinariè impetrari, vel ex libris diſci non

non potest. In talibus ergo casibus, mutationes & transitus à gradibus ad gradus manifestam utilitatem Ecclesiæ adferunt. Huc trahunt auctores illud Pauli *I. Tim. III. 13.* de Diaconis dicentis, *Qui bene ministraverunt, acquirunt sibi ipsis gradum bonum.* Conf. Quenst. cit. loc. p. 714.

Ibid. Et abeuntem non ægrè dimittat:] Etsi enim consensus prioris Ecclesiæ non sit simpliciter necessarius, uti ex judicio Facultatis Lipsiensis monet *Quensted. cit. loc. p. 713.* certum tamen est, quòd invitâ Ecclesiâ, à quâ quis primitùs vocatus fuit & cui ex voluntate DEI præfuit, non debeat Minister stationem illam suam deserere, nisi evidenter constiterit, Ecclesiæ talis reluctantiam non esse ex principio sacro, sed præjudicium quoddam carnale. Omnis mutatio periculosa. Tutior pars est, ut quis adhæreat Ecclesiæ, in cujus notitiam pleniorem jam penetravit, & cujus amorem & obsequium jam sibi conciliavit. Sæpissime experientia docet, certa amitti, dum petimus incerta, & vel prioris Ecclesiæ lacrymas intercipere successus novi, quem intendebamus, laboris. Hæc de cœtu. Quod verò ad illos attinet, qui jus vocandi in Ecclesia illa habent, ex qua quis abitum parat, illorum in abitum consensus utique requiritur. Nec enim potest novum suscipere officium, qui ex priore nondum est dimissus.

Ibid. Persecutione personam Ministri premente:] Dantur non modò persecutiones personales, h. e. tales, quæ non tam in totam Ecclesiam, quàm in personam ministri diriguntur; sed etiam dantur harum persecutionum personalium variæ causæ. Si quis ab adversariis veritatis prematur ob ipsum officium, in quo fideliter & cum ædificatione, præ reliquis, occupatur; adeo non licèt cedere, vel ideo relinquere gregem, ut potius quis teneatur tantò pertinacius suo inhærere muneri, & adsistere gregi, qui in tali persecutione personali pastoris revera indirectè insultus patitur ab adversariis; nisi fortè suppetat aliquod subjectum, quod majori dexteritate, & non minore cum zelo sciat, tibi in officio succedere. Aliàs faciliùs paratur abitus, quando personalis persecutio ortum traxit ex aliis rationibus privatis, v. gr. ex invidia, quæ non tam premit officium, quàm personam vel familiam Ministri privatam &c. Hîc abitus, datâ occasione suadendus est, si modò haberi possit talis successor, qui Ecclesiæ æquè fideliter sciat præesse.

Ibid. Ne suis delictis sibi attrahat remotionem aut translocationem:] Uti mali passim deprehenduntur in Ecclesia operarii, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores; ita, qui præcipuè ratione morum delinquunt, varias merentur pœnas, quarum, inter Ecclesiasticas

sticas huc pertinentes, veluti suprema est *Degradatio*, h. e. privatio non modò functionis, sed etiam ordinis sacri & consequenter redactio ad statum secularem; *Remotio* est privatio non ordinis, sed tantùm functionis, cui hactenus præfuerat clericus. Appellatur etiam *Depositio*. *Translocatio* dicitur, quando delinquens nec planè functione sacra, multò minus ordine ipso privatur, sed tantùm transfertur in alium locum, ubi minus salarii aut dignitatis obtinet. Huc referunt auctores *Communionem Peregrinam* veterum, de qua vide inter recentiores Doctissimum virum, *Johannem Faes*, in *Obelo peregrinati Communionis Peregrinæ Philippi Joh. Tilemanni, dicti Schenk, in gratiam veræ ac sinceræ Antiquitatis, fixo*, & summatim, *Eruditorum Acta Anno 1694. p. 373. 374. 375.* Denique *Suspensio* est, quando delinquenti ad tempus interdicitur tam functio ipsa Ecclesiastica, quàm perceptio salarii. Conf. D *Schilter. in Instit. Jur. Canonic. libr. I. Tit. XIX. §. V. seqq. p. 228. seqq.*

Ibid. Si fortè innocens--removeatur:] Innocentes removentur, qui vel ob veritatem doctrinæ, à qua recedere nolunt, vel ob sanctitatem vitæ, quam urgent & contra profanos seculi mores adserunt, per vim superiorem & violentiam prævalentis perversitatis, suis turbantur sedibus. Tale quid obtigit Prophetæ *Amoso*, *cap. VII. v. 12. 13.* Athanasio, qui ab Arianis plurima exilia, calumnias, insidias expertus est.

Supe-

Superiori seculo simile fatum expertus est *B. D. Joachimus Mörlinus*, prout constat ex *Historia Osiandrismi*, quam ipse edidit, Brunsvicæ *Anno 1554. 3iij. fac. b. seqq.*

Ibid. Innocentiæ testimonium, quoad ejus fieri potest, auferat:] *Sive* ab iis, qui quem dimittunt, ut causam remotionis literis datis testentur, petendum erit; *sive* ab aliis fide dignis collegiis, aut viris impetrandum, ut veritatem, quam fortè, qui removent, testari nolent, ipsi eloquantur & publicè sufficienterque testentur.

Pag. ead. §. II. Quando honoris tantùm aut lucri majoris gratiâ, Officium Ecclesiasticum planè deponitur:] Ut si quis ex Pastore malit alibi agere vel Consiliarium, vel Professorem secularem, vel mercatorem &c. adeoque planè discedere a munere sacro; vel etiam sine certo vitæ genere, vivere ex suis reditibus privatis. Conf. *Königius* ex Centuriatoribus Magdeb. *p. 825.*

Pag. 820. §. eod. Vel promotiones ad loca alia cupidè quæruntur:] Mercenarius est, qui reditus quærit in functionibus sacris; Simonis Magi Socius, qui gloriæ & auctoritatis incrementa. Promotiones non sunt, quæ ex fontibus istiusmodi carnalibus fluunt, sed sunt grandia delicta. Mutationes æquè ac primus in ministerium ingressus, debent finem principalem habere, tam ex parte promoventium, quam promoven-

movendorum, non alium, quàm ædificationem Ecclesiæ. Sed ubi hic intenditur finis, exspectatur DEI nutus, non antevertitur nostro cursu, vel magnificis nostris de nostra capacitate judiciis, cupidè effingitur. Omnium crassissimè verò delinquunt, qui mediis illegitimis, v. gr. largitionibus, adulationibus, aliorum denigrationibus &c. ad salaria & honores majores potius, quàm ad officia sacra, grassantur.

Ibid. Ex impatientia laborum aut, molestiarum :] Qui malunt sibi bene esse, quàm Ecclesiæ, non sunt fideles servi Salvatoris nostri, qui non sua, sed nostra in suo ministerio quæsivit commoda. Certandum est, non commodè vivendum strenuis CHRISTI imitatoribus: unde patet, CHRISTO indignos se gerere eos, qui commoda sua, &, ut molestias sudoresque declinent, cupiunt, malis artibus, elabi.

Ibid. Quando Ecclesia in periculo seductionis aut persecutionis deseritur :] Qui sic delinquunt, vivo exemplo referunt illos mercenarios, de quibus CHRISTUS agit *Joh. X. v. 12. 13.*

Ibid. Delictis perpetratis translocationi aut remotioni causa præbetur :] Duplici ratione delinquunt, qui suis delictis pœnas ejusmodi merentur. Nam (1.) peccant, dum delinquunt, (2.) peccant, dum scandalo sunt gregibus, & sibi ipsis obicem in ministerio ejusque successu, ponunt.

Pag.

Pag. cad. § III. Mandatum DEI:] Huc referunt auctores dictum *I. Corinth. VII. v. 20. unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, maneat:* de quo videatur B. *Quenst. in Ethic. Pastoral. p. 715.* Addit. B. *Kortholtus* in Pastor. Fidel. cit. loc. p. 63. etiam textus, *Matth. X. 22. Luc. IX. 62.*

Ibid. Exempla piorum:] *Prophetæ & Apostoli leguntur non prius munus suum reliquisse, quàm cursum absolverint, ut de se prædicat Apostolus II. Timoth. IV. 7.* verba sunt *B. Kortholti cit. loc.* Sed nec Patres Ecclesiæ soliti sunt discedere à muneribus sacris, quæ susceperant, adeo ut *Eusebius* oblatam novam vocationem ad Episcopatum Antiochenum, etiam declinarit, & laudem ideo meruerit Constantini Magni. Ita enim legimus apud ipsum Eusebium *libr. III. de Vita Constantini Magni*, non procul à fine, ubi Epistolam Imperatoris exhibet, in qua inter alia hæc habentur: *Felicem utique te ipsum etiam in hoc ipso puta, quod totius mundi, ut ita dicam, testimonio dignus es judicatus, qui universæ sis Ecclesiæ Episcopus. Etenim si cuncti ut apud se sis optant, hanc tibi felicitatem indubitanter adaugent. Verum prudentia tua, quæ & mandata Dei & Apostolicum Ecclesiasticumque canonem servare novit, egregiè in hoc se gerit, quod Antiochenæ Ecclesiæ Episcopatum recusat, & in ea manere contendit, cujus Episcopatum initio, consilio divino*

vino suscepit. Interim tamen habentur exempla non incelebria Episcoporum migrantium, v. gr. *Origenis*, *Gregorii Nazianzeni*, ex patribus; ex nostris Theologis, præcipuè *D. Nicolai Selneccer*i &c. Vid. B. D. *König. cit. loc. p. 830.*

Ibid. Pœnæ peccantibus destinatæ:] König cit. loc. p. 828. scribit: *Experientia testis est, eos, qui talia conati sunt, plerumque varia pericula & ad extremum, ipsam μικροβιοτητα subiisse.* Quod si temporalia velis contemnere, certum est, pœnas æternas non esse iis, qui hic delinquunt, olim defuturas. Conf. *Zachar. XI. 17. Apocal. III. 17. seqq.*

Ibid. Præmia rectè agentibus proposita:] Hæc indicantur *Matth. X. 22. Qui sustinuerit usque ad finem, hic salvus fiet. II. Tim. IV. 7. 8. Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Quod superest, reposita est mihi justitiæ corona* &c. Conf. *Apocal. II. 10. cap. III. 8. 9. 10. seqq.*

Pag. ead. §. IV. Virium suarum accurata exploratio:] Medicum hoc speciale est & magni momenti contra pruritum mutandi loca, & subinde ad altiora emergendi. Conf. quæ *Seneca* habet libr. de *Anim. Tranquil. cap. IV.* facilè huc κατ' ἀναλογίαν transferenda. Certè enim quò quisque est impotentior, eò est audacior, maximè si avaritia vel superbia eundem simul egerit. In hac exploratione sui autem respici

respici debet tam ad animi, quàm corporis dotes, tam ad dona naturalia, quàm supernaturalia; idque citra studium sui ipsius sive philautiam. Imo juvat consulere potius & sequi judicia aliorum cordatorum virorum, quàm propriùm judicium, maximè si nostrum judicium de nobismet ipsis blandiri videatur. Vide *König. cit. loc. p. 829.* De reliquo nunquam hoc scrutinium salutariter fiet, nisi precibus seriis & sedula meditatione Scripturarum tibi prius acquisiveris facultatem sufficientem ad tam arduum negotium.

Ibid. Status Ecclesiæ, cui quis addictus aut operam suam addicturus est, diligens consideratio:] Relata & Correlata sunt Vires portantis & gravitas portandi oneris. Non ergo intelligi potest sufficientia virium nostrarum sine respectu ad onus suscipiendum. Rectè igitur noster jungit explorationi virium nostrarum etiam explorationem oneris Ecclesiastici, quod partim hactenus sustinuimus, partim ut suscipiendum nobis obversatur. Conf. quæ κατ' ἀναλογίαν habentur apud *Senecam cit. loc. cap. V. Æstimanda sunt*, ait, *ipsa quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in latore, quam in onere. Necesse est opprimant onera, quæ ferente majora sunt* &c. Meretur etiam huc trahi sapiens dictum *Epicteti* in *Enchi-*

chiridio, cap. LIX. *Si quam personam, quæ vires tuas superat, indueris: tum eam indecorè geres; tum eam, quam sustinere possis, negliges.*

Ibid. Patientia:] Hæc virtus sola servare nos potest rebus secundis. Simus contenti præsentibus, utut adversis; & futura commendemus DEO: non si male nunc, & olim sic erit. Dulcia non meruit, qui non gustavit amara. *Nec coronatur qui certat, nisi rectè certarit, II. Tim. II. 5.* Conf. *I. Petr. IV. 11. 12. seqq.* Hac de virtute Christiana jam superius egit noster Auctor in *Part. Gener. III. cap. VII. Sect. VIII. pag. 379. seqq.*

Pag. ead. §. V. Præter contemtum DEI & sacrorum:] Videlicet Satanæ malitiâ factum est, ut etiam empactæ aliquando habeantur ministri Ecclesiæ, qui ipsi sacra contemnant & eadem pro mera ratione status, non obscurè, si non dictis, certè factis suis, habeant, de quibus disserit *Petrus II. Epist. II. 1. seqq.*

Ibid. Ambitio:] Ex hoc vitio acti fuerunt in transversum plurimi olim & nuper, v. gr. *Donatus*, & similes.

Ibid. Avaritia:] Hoc qui laborant malo, rem omnem æstimant ex salariis & reditibus, non ex sua capacitate vel ex Ecclesiæ bono.

Ibid. Mollities animi:] Uti mercenarius fugit ob lupos, quos irrumpere videt,

& quibus resistere non vult, *Johann. X. v. 12.*

Ibid. Temeritas aut Negligentia:] *Temerè* agunt, qui quod suis viribus majus esse non ignorant, nihilominus frivolè aggrediuntur. *Negligentia* est, quando quis quid suscipit, nec prius, an eidem perficiendo par sit, disquirit.

AD CAP. I.
SECTIO V.
De
OFFICIO AVDITORVM ERGA MINISTROS ECCLESIÆ.

Pag. 520, §. I.

OFficium Auditorum:] Ministri Ecclesiæ & auditores Relatum & Correlatum sunt, quorum adeo mutua datur obligatio ad varia officiorum debita. Intelligimus autem per *Auditores* cœtum illorum, qui docentes ministros audire debent, eorundemque operâ & ministerio uti. Latini *Laicos* item *Parochianos* dicunt. Vide *Schilter. cit. loc. lib. I. Tit. III. §. XIII. p. m. 44.* Germani appellare solent, Beicht-Kinder / Pfarr-Kinder. Conf.

B. Baje-

B. Bajeri Comp. Theol. Posit, Cap. de Minist. Eccles. §. XIII.

Pag. 251. §. eod. Amorem & honorem:] Ministri Ecclesiæ vicem DEI gerunt, & nomine CHRISTI munus suum peragunt. Sunt igitur superiores auditoribus, quos adeo decet superiores illos, ut DEI ministros & Christi vicarios, vereri: cumque organa iidem sint nostræ salutis; utique tenemur, tantum diligere bonum, quo DEI φιλανθρωπία nos beat. Porro cùm amor & honor sint judicium mentis, adeoque potius actiones internæ, quàm externæ; hinc facilè patet, requiri ab auditoribus, non fucatum, sed integrum amorem & honorem, qui sincero ex mentis judicio oriatur.

Ibid. Eorumque signa seu actus externos:] Id quod honoris exhibitionem dicimus, non tam propriè honor est, quàm (ut noster ait) signum honoris. Talia signa sunt honorifica verba & gestus, itemque alia opera, quibus amorem & honorem exterius declaramus, ut sunt Honorum tituli, itemque si caput aperiatur, ad pastorum præsentiam surgatur &c. Conf. *Dürrii Theol. Moral. p. 294.*

Ibid. Obsequium:] *Positum est obsequium in præstatione tum eorum, quæ Ministri Ecclesiæ, præeunte verbo divino, præscribunt, fidei & morum præceptorum, tum in sedula observatione ceremoniarum & rituum ad bonum ordi-*

nem & decorum in Ecclesia facientium. Verba sunt B. *Dürrii in Theol. Moral. p. 295.* Qui tamen recte simul ostendit, illam obedientiam non debere esse cœcam, h.e. non talem, qualis requiritur ab iis, qu in societatem Lojolitarum se recipiunt.

Ibid. Gratitudinem:] Gratitudo hæc non tantum verbalis esse debet, sed etiam realis, & complectitur non tantùm alimenta, quæ ministris Ecclesiæ eorumque familiæ debentur, ut Paulus docet *I. Cor. IX. 4. 5. & seqq.* sed quoque comprehendit omnia Charitatis officia. Vide B. *Durrium cit. loc.*

Pag. ead. §. 11. Qui Ministros odio prosequuntur:] Ut Achabus Micham *I. Reg. XXII. 8.* Amazias, illum Prophetam *II. Chronic. XXV. 16.* Judæi in genere omnes Prophetas DEI, *cap. XXXVI. 16. Actor. VII. 52.* Porro odium hoc radices agit in corde, proditur autem ore & opere externo.

Ibid. Vel saltem non sincerè amant:] Quemadmodum Herodes Johannem Baptistam, *Marc. VI. 20.* & falsi fratres passim veros Apostolos, *II. Corinth. XI. 26.* &c.

Ibid. Qui honorem debitum ejusque signa denegant:] Sive corde, sive ore, sive opere.

Ibid. Loco honoris contumelias inferunt:] Prout Elisæo illi pueri insultasse legun-

leguntur *II. Reg. II. 23.* Jeremiæ, principes Judæorum, *Jerem. XXXVII. 15.* Ezechieli, ejus auditores, *Ezechiel. XXXIII. 30. 31. 32.* &c.

Ibid. Vel directè reluctantur :] Prout illi Judæorum, qui perfrictâ fronte, dixerant Jeremiæ Prophetæ, se non esse obedientiam verbo DEI gesturos, *Jerem. XLIV. 16.* Ita directè reluctantur verbo divino & ministris ejus, qui vestigia legunt illorum, Jeremiæ conciones igne abolentium, *Jer. XXXVI.* vel servos DEI interficientium & indigne tractantium, quos inter alios castigat ipse CHRISTUS in Parabolis *Matth. XXI. 35. XXII. 5. 6.* &c.

Ibid. Non sincerè & constanter obediunt :] Ita deliquit Saul in bello contra Amalekitas *I. Samuel. XV. 19.* qui non sincere obedierat. Ita Herodes rex in multis audierat Johannem Baptistam *Marc. VI. 20.*

Ibid. Qui salaria seu ex toto, seu ex parte denegant :] Ut quando ad luxum aulicum sustentandum, vel ob alias causas profanas, Ministris verbi salaria debita adimuntur, vel non porriguntur, vel conciduntur, sive deinde salaria constiterint ære fixô, sive rebus aliis v. gr. campis, pratis, granis, decimis, immunitatibus &c.

Ibid. Aut aliàs tenaciores sunt :] Quemadmodum salaria concidere, peccatum personarum publicarum, quà talium est ; ita

privatorum est ingratitudo, contemnere illud Pauli monitum *Galat. VI. 6. Communicet, qui catechizatur sermone, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* Conf. *Philipp. IV. 18.*

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:] Amor & Honor divinitus præscribitur ministris verbi exhibendus, *I. Thessalon. V. 12. 13. I. Tim. V. 17. 18.* Inderdicitur autem neglectus ministerii graviter à DEO *Psalm. CV. 15.* Conf. *Hoseæ IV. 4. Thren. IV. 16.* Porro obsequium Ministerio verbi præstandum expresè legimus præscriptum *Ebr. XIII 17.* Sustentatio injuncta est auditoribus *I. Cor. IX. 6. & seqq. Galat. VI. 6. I. Tim. V. 17.*

Ibid. Exempla sanctorum:] Josaphati, Regis Judæ *II. Chron. XIX. 7. cap. XX. 20.* Obadjæ illius, qui centum Prophetas Domini servaverat, *I. Reg. XIIX. 13.* Galatarum exemplum laudat Paulus *Galat. IV. 14 15.* item Philippensium, *ad Philipp. IV. 15. seqq.* Onesiphori exemplum commendat idem Apostolus *II. Tim. I. 16.* &c.

Ibid. Dignitas, Salubritas & Necessitas officii:] Dignitas patet ex *Luc. X. 16. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Salubritas constat quàm maximè ex *II. Chron. XX. 20. & I. Tim. IV. 16.* Salvos quippe faciunt Ministri eos, qui ipsos audiunt. Necessitas etsi absoluta non sit, est tamen ordinata, secundum illud *Luc. XVI. 29. 31.*

Ibid.

Ibid. Rectè agentium præmia:] *II. Reg. IV. v. 16. 17. 37. II. Chron. XX. 14. seqq. cap. XXVI. 5.* &c. Præcipuè huc pertinent loca *Matth. X. 40. 41. 42. Philipp. IV. 18. II. Tim. I. 18.* &c.

Ibid. Peccantium pœnæ:] Ex locis innumeris huc pertinent loca *II. Chron. XIIX. 33. cap. XXIV. 22. seqq. XXVI. 17. 18. seqq. XXXVI. 12. seqq. Thren. IV. 16. Daniel. IX. 10. 11. Matth. XXII. 7. XXIII. 38. Apocal. XI. 11. 12. 13. XIIX. v. 20.*

Pag. ead. §. IV. Motivorum diligens consideratio:] Non equidem merè speculativa vel otiosa, quæ pro fine habeat scientiam, sed seria & practica, quæ ad operationem sit ordinata, adeoque rationem habeat non modò finis practici, sed etiam mediorum ad finem ducentium.

Ibid. Animus DEO sincerè addictus:] Qui DEUM diligit, non potest eos odisse, quos novit à DEO missos & ordinatos.

Ibid. Tanquam instrumentis---utens:] Secundum ea, quæ dicta fuerunt in *Parte Generali III. cap. IX. Sect. III. §. I.*

Pag. ead. §. V. Opponuntur:] Motivorum considerationi partim neglectus eorundem, partim otiosa speculatio opponitur. Animo DEO sincerè addicto repugnat carnalitas & amor seculi. De peccatis circa bona fortunæ

non rectè usurpata committi solitis videri possunt quæ diximus ad *Part. Gener. III. cap. IX. Sect. III. §. II.*

Ad Cap. I:
SECT. VI.
De
OFFICIO PRÆCEPTORUM IN SCHOLIS ET ACADEMIIS.

Pag. 521. §. I.

PRæceptorum in Scholis & Academiis:] Præceptores dicuntur, qui juventuti ad bonas literas & mores honestas perducendæ suam operam consecrant. Distinguuntur variè, prout leviora nunc tractant elementa, nunc autem sublimiora edocent disciplinarum & literarum genera. Ex usu loquendi propriè *præceptores* sunt, qui inferiora tradunt in Scholis strictè talibus, quatenus hæ Gymnasiis & Academiis contra distinguuntur. Reliquos, maximè qui in Academiis docent, usitatè *Professores* appellant. *B. Dürius* ideo duobus distinctis capitibus pertractavit, quæ noster unico est complexus: siquidem caput VIII. *de Præceptorum officio*; cap. IX. autem *de Professorum Academicorum officio* inscripsit.

Pag.

Pag. 522. §. eod. Ut ingenii, Judicii & memoriæ dotibus--instructi accedant:] Cui enim dona necessaria vel naturalia, vel acquisita desunt, is non poterit officio tam gravi, circa conscientiæ læsionem se immiscere; cùm vitium primæ concoctionis, nec in secunda, nec tertia digestione emendetur, & illi, qui in principiis deficiunt, nunquam possint in sublimioribus felices facere progressus. Annitendum ergo est iis, qui cupiunt talibus officiis vacare, ut non modò se prius explorent, anne habeant dona necessaria naturæ, verùm etiam omni industria in id incumbant, ut dona sua naturalia ipsi egregiè excolant, & in illis literis, quas tradere aliis volunt, non modò ipsi solida ponant fundamenta, sed etiam exquisitè easdem colant & recolant. Cæterùm de Præceptorum virtutibus & requisitis egerunt *B. D. Joh. Ludov. Hartmannus* in *Veri Christianismi impedimentis & adjumentis pag. 753. seqq. B. Durrius cit. loc. cap. IX. 304. seqq.* Confer alium tractatum Germanicum, cui titulus est der gute Schulmann / cap. I. ubi fusè de præceptorum donis & requisitis, officiisque disseritur.

Ibid. Habita ratione scopi, quem intendunt:] Nusquam est, qui ubique est; nec DEO serviunt, qui non certam deligunt vocationem, certumque vitæ genus, sed errabundi ubique vagantur. Quam igitur voca-

tionem, sive quod studii & vitæ genus discipuli deligunt, ad illud, tanquam ad *scopum*, est perpetuò respiciendum, & tota informatio ex illo scopo, tanquam genuinâ mensurâ, unicè dijudicanda & æstimanda venit. Sic enim demum intelligi poterit, quid cuique sit necessarium, quid inutile, quid proficuum &c. Equidem verum est, nihil bonarum literarum esse absolutè loquendo, supervacuum vel inutile; interim hoc non obstante, sæpius supervacua & inutilia discimus & docemus, quia talia discimus & docemus, quæ non habent nexum cum nostro studiorum scopo. Conf. *Durr. cit. loc. p. 297. 298.*

Ibid. Indolis ingeniorum:] Ingenia sunt diversissima, alia sunt ignea, alia tarda &c.. Rursus alii Discipulorum memoriâ, alii judiciô magis pollent; alii sunt propensi ad labores, alii negligentes & vagi &c. alii ad iram, alii ad luxum, alii ad melancholiam proclives sunt &c. Hanc diversitatem ingeniorum oportet non modò discerni, sed etiam quid cuique conveniens sit, partim per regulas, partim per usum & experientiam novisse. Conf. *B. Durrium* plura hanc in rem differentem *cit. loc.*

Ibid. Diligenter:] Non modò intensivè, sed etiam extensivè diligentia in Præceptore requiritur. *Intensivè* diligens est, qui singulas doctrinæ partes ea, qua decet cura, adeoque non superficiariè, tradit; *Extensivè*, qui nihil par-

partium prætermittit, vel ficco prætervolat pede.

Ibid. Perspicuè:] h. e. *partim* ita ad captum discentium commodatè, ut docens discentibus condescendat; *partim* ita commodate ad methodi leges, ut omnia suo tractentur ordine; *partim* ita ad indolem perspicuæ dictionis, ut videlicet inhæreamus proprietati verborum, itemque similibus exemplis, sine quibus nihil rectè docetur aut discitur, subinde utamur.

Ibid. Accuratè:] h. e. intensivè diligenter, sive non superficiariè, sed ex fundamento & principiis cujusque artis vel disciplinæ.

Ibid. Quantum fieri potest, breviter:] Rectè Noster cum restrictione, quantum fieri potest, brevitatem commendat. Male enim breves sunt, qui ita sua deproperant, ut nec sufficienter, nec satis perspicuè quod docendum erat, proponant. Justa ergo brevitas est, quæ nec necessaria obscurat, multò minus planè negligit; nec tamen etiam non necessaria necessariis temere miscet.

Ibid. Fideliter & humaniter:] *Fideliter* informamus, quando solidè, fundamentaliter, plenè & perspicuè tradimus tradenda; *Humaniter*, quando jucundâ & facili, si mulque discentium captui conformi methodô. *Dürrius cit. loc. p. 309.*

Ibid.

Ibid. Exercitia erudita instituant &c:] Talia exercitia sunt in Scholis tam linguæ, quàm calami, aut potiùs animorum per linguas & calamos, quando jubentur pueri & ore & opere suos monstrare profectus &c. In Academiis huc pertinent præcipuè Declamationes sive Orationes & Disputationes. Institui possunt ac solent nunc publicè nunc privatim. Est de officio Præceptorum & Professorum, talia exercitia suis consiliis & præceptis dirigere; exercitiis adesse sua auctoritate & judicio, quæ benè cedunt; confirmare; quæ secus, notare & corrigendi modum ostendere &c.

Ibid. Mores etiam auditorum:] h. e. Operationes voluntatis & impetum affectuum, æque ac opera externa, qui dictis & factis constant. Aliàs per Mores vulgò *rationem vivendi eorum, qui vi intelligendi pollent,* denotari docent. Conf. *Auctorem nostrum Proleg. §. I. nota (b) p. 2.*

Ibid, Ad omnem pietatem:] Pietatis in se consideratæ non modò sunt variæ partes; sed etiam in ordine ad objecta, *alia* pietas est in DEUM, *alia* in eos, qui vice DEI funguntur apud nos in terris, quales sunt omnes, qui in tribus statibus hierarchicis suis inferioribus præsunt. In hos omnes pietatem exercere tenemur, vi quarti præcepti, & ad omne hoc pietatis genus sunt auditores in scholis & Academiis sedulò formandi.

Ibid.

Ibid. Et honestatem :] Uti pietas complectitur officia in DEUM, secundum tria priora præcepta decalogi, ut & officia in DEI vicarios, vi quarti præcepti; Ita Honestas secundum præcepta reliqua, continet officia in nos ipsos & proximum. Conf. *Dürrium cit. loc.*

Ibid. Præceptis partim:] Sive Regulis, maximè ex verbo DEI vivo depromptis; quanquam nolimus suas denegare laudes vel etiam Gentilium elegantioribus institutionibus morum, ut sunt *Senecæ* aliquot libri & præcipuè elegantissimum *Enchiridion Epicteti* &c.

Ibid. Exemplis, non alienis solum:] Sive talibus, quæ ex historia sacra & profana colligimus, quale quid præstitit B. *Dürrius* in *Ethica Paradigmatica.*

Ibid. Sed & propriis:] Viva hæc dici merentur exempla, quæ propria sunt Præceptorum; cùm aliena non nisi mortua videantur, in ordine ad permovendos discipulorū animos.

Ibid. Delinquentes:] Sive omittendo, quæ debuerant, sive committendo, quæ non debuerant, peccarint; sive magna, sive parva perperam designarint. Nihil enim temere, quod vitium est, tolerare debet præceptor in discipulo; ita tamen, ut rationem habeat ætatis & profectuum, itemque donorum naturalium &c. Præcipuè autem castigari merentur, quorum vitia moralia sunt, & præ-

resin,

resin, vel supinam negligentiam sapiunt. Esse decet doctum, sed magis esse pium.

Ibid. Seu verbis :] Iisque nunc lenioribus, nunc asperis, pro ratione delicti & circumstantiarum.

Ibid. Pœnis gravioribus :] In Scholis solennis usus est *Sceptri Correctionis*, שבט מוסר, ut in *Proverbiis* legimus *cap. XXII. 15.* Aliquando adhibentur carceres, mulctæ, præcipuè in Academiis. Tandem immedicabile vulnus ense reciditur per relegationes, & quidem pro ratione delictorum, nunc cum, nunc sine infamia. In genere observetur circa hoc officium, rectiùs consuli conscientiis, si delinquentes puniantur, non parentes, h. e. si carceribus, plagis, & similibus modis ipsi affligantur petulantes, non autem crumena parentum, dictatâ mulctâ.

Ibid. Cum Collegis, si quos habet, concorditer vivant :] Discordia Collegarum in Academiis & Scholis, sunt harum pestis & interitus : (1.) Quia discordiâ nihil non dilabitur, *Luc. XI. 17. Galat. V. 15.* (2.) Quia partim scandalo, partim dissidentibus principiis turbant juventutem. E contrariò concordia Collegarum ædificat non modò totum corpus Academicum, vel Scholam sive Gymnasium, sed etiam cumprimis Auditores sive discipulos. B. *Dürrius cit. loc. pag. 310.* rectè monet, quòd uti omni-

omnium scientiarum & disciplinarum, quæ humanâ industriâ comparari possunt, pulcherrimus est nexus; ita quoque mutuô consensu & ardore docentium & discentium debeant bonæ literæ doceri & disci.

Ibid. Operas operibus jungant :] Vis unita fortior. Oculi plus vident, quàm oculus : & quod plurium limam expertum est, pluribus satisfacere poterit, tam perfectione sua, quàm politurâ.

Ibid. Seque invicem sublevent :] Non modò consiliis & fide, sed etiam mutuâ operâ, si quando fuerit opus.

Ibid. DEUM pro felici successu ardenter invocent :] Secundum ea, quæ alibi diximus de necessitate & viribus precum.

Pag. ead. §. II. Naturâ inepti :] Ut sunt, quibus dona naturalia, judicium, ingenium, memoria &c desunt.

Ibid. Ad Officium docendi — non recte instructi :] Multum requiritur, si quis velit aptus haberi ad docendum. Nec enim satis est, illud, quod docere cupis, utcunque noviſſe; cùm ne quidem sufficiat ad docendum, exacta rei docendæ cognitio, nisi simul tenueris dextram methodum, seu genuinam rationem, singula ordine, distinctè & perspicuè proponendi. Qui itaque rem tenet, sed ignorat methodum rei, non est satis instructus ad docendum.

Bis

Bis autem peccant, qui nec rem, nec methodum satis noverunt.

Ibid. Discrimen ingeniorum :] Non ex quolibet ligno fit Mercurius, nec quodlibet ingenium quamlibet methodum, vel quamvis disciplinam perfert. Qui itaque non satis discernunt ingenia, sæpius corrumpunt eos, qui poterant decenter tractati, conservari. Liberalia ingenia serviliter tractata pereunt; sed servilia liberaliter tractata nihil proficiunt. Sed & ætatem discernere par est, & huic condescendere. E contrario ubi omnia ingenia tractantur æquo, quæ tamen diversa sunt, necesse est, ut si non omnia, aliqua tamen eorum perdantur. Hinc privatissimæ informationes non carent sua laude. De reliquo par est, ut Lectiones pluribus proponendæ ita temperentur, ne ullus auditorum planè negligatur.

Ibid. Scopos discentium diversos negligunt :] Adeoque talia discenda obtrudunt auditoribus, quæ tantùm in futuram oblivionem discuntur, aut saltem parum faciunt ad illud vitæ genus, quo olim quis fungi debet, secundum proverbium notum: *necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus.*

Ibid. In officio pigri :] Pigri sunt, qui non alacriter urgent opus. Est hæc prigritia duplex. *Una* est, quando non satis exasciata & præmeditata seu elaborata, ex negligentia mera pro-

proponimus; *altera*, quando negligimus ipsas horas, quæ auditoribus formandis destinandæ erant.

Ibid. In docendo obscuri:) Obscuritas ex variis oritur causis. *Alii* sunt obscuri, quia nimis sunt sublimes; *alii*, quia nimis sunt concisi, juxta illud tritum: *Brevis esse laboro, obscurus fio.* Deniq; *alii*, quia ordinè negligunt; *alii*, quia non satis proprietatem dictionis tenent &c.

Ibid. Confusi:] Confusus est in docendo, qui non observat methodi leges, adeoque citra decentem ordinem omnia miscet, ut discens non possit ideam distinctam vel totius rei discendæ, vel etiam singularum partium, formare.

Ibid. Ultra modum prolixi:] Prolixitas est vitiosa, quæ (1.) non necessariâ amplificatione tempus consumit, (2.) quæ citra necessitatem repetit alibi jam satis distinctè percepta & intellecta &c. Perinde autem fuerit, sive quis prolixus sit ex avaritiâ, ut discentes detineat & lucrum inde capiat, sive ex imperitia, vel etiam negligentiâ, utpote unde non rarò prolixitas non necessaria, imo rerum diffusa confusio oritur.

Ibid. Infidi:] Non infrequens hoc est malum, ut homines gloriæ vanæ studiosi, ne vincantur à discipulis, optima quæque vel reticeant, vel non satis decenter urgeant, vel etiam

aliquando discipulorum feliciter emersurorum progressus datâ operâ impediant.

Ibid. Morosi & difficiles sunt:) Pessimè studiosæ juventuti consulunt, qui doctrinam condiunt atrâ bile, nec excitare norunt in auditore desiderium discendi per suam comitatem.

Ibid. Nimiâ familiaritate:] Contemtus est familiaritatis, bonæ matris, infelix soboles. Sunt autem nimiùm familiares, qui cum discipulis edunt, bibunt, ludunt, vel aliàs ita eis sese miscent, ut vis inferatur discrimini, quod inter Præceptorem & discipulum intercedere debebat.

Ibid. Exercitia necessaria non instituunt:] Exercitia sive memoriæ, sive intellectus, sive morum, sive Linguæ & Sermonis, &c. Huc pertinet ergo neglectus Examinum, Elaborationum, Recitationum, Disputationum &c. maximè autem neglectus exercitiorum pietatis.

Pag. 523. §. eod. Obiter & animo alieno:] Sive ex ruditate & imperitia, sive ex negligentia & desidia, quis suo defuerit officio, perinde fuerit in effectu, nisi quòd gravius plerumque illi peccent, qui ex negligentia & pigritia delinquunt, quàm qui ex ruditate.

Ibid. Mores corrumpi patiuntur:) Qui proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit

deficit quam proficit. In tales Præceptores suo modo quadrat illud Christi *Matth. XXIII. 15. Hypocritæ facitis filios gehennæ duplo magis, quam vos estis.* Si enim malitia fuerit cum literis conjuncta, duplex, imo multiplex scelus dicī meretur, prout constat exemplo Phariſæorum, Scribarum, Philosophorum paganorum &c. Patiuntur autem mores corrumpi, qui bonas leges non exsequuntur, frena libera relinquunt sceleratis, delicta non puniunt, sed vestigia premunt famosi illius *Eli*, qui, cum noviſſet, quàm indignè egerint filii sui, non tamen corripuit eos, *I. Sam. III. v. 13.* &c.

Ibid. Aut corrumpunt ipsi:) *Sive* profanā doctrinâ, quæ Atheismum practicum, carnalem securitatem & similia scelera parit, ut sunt, qui providentiam divinam negant, vel fatalem necessitatem docent, vel indifferentiam morum asserunt, vel æternas pœnas peccatorum in dubium vocant &c. *Sive* vita scandalosa & malô exemplô, ut si ipsi præceptores fuerint avari, luxui dediti, iracundi, detractatores, crudeles &c. Omnium *pessimè* autem delinquunt, quī ipsi scelera auditorum in lucrum suum convertunt, & commessationes & compotationes alesque alunt & suadent, uxores, filiasque non inviti prostituunt juventuti incautæ, eò quòd varia donaria sic ad se redire intelligant &c.

Ibid. Cum collegis vixantes:

Dissidia inter Collegas sunt funestissima & præceptoribus & auditoribus. Peccant verò illi, qui rixas *vel* serunt, vel favent, ob res caducas & vanas, quibus salus totius Societatis præferenda erat, nec ob illas hæc debebat turbari; *vel*, si de rebus ad salutem pertinentibus æternam, aut ad bonum facientibus publicum dissidia subeunda fuerint, qui modum excedunt, vel alia ratione carnis impetum miscent, & malum societati vel hoc pacto simul infligunt.

Ibid. Honori eorum detrahentes:) Vel ex invidia & æmulatione, vel ex avaritia & propter lucrum, vel ex alio principio pravo.

Ibid. Vicariam, ubi opus est, operam denegantes:) Dantur homines adeo morosi & petulantes, ut vel ægrotanti, vel ob alias causas graves, vicariam operam requirenti nolint, etsi possint, succurrere. De reliquo, sicuti par est, ut faciles sint collegæ in præstanda opera vicaria; ita sine dubio peccatur, si citra necessitatem, aliorum opera vicaria postuletur, maximè si hi non possint hanc ita præstare, ut ne ipsis suis negotiis, quodammodo deesse cogantur.

Ibid. Precum obliti:) Qui precum obliviscitur, & DEI obliviscitur & sui. DEI obliviscitur, dum hujus non implorat opem, citra quam tamen nihil potest præstare. Sui obliviscitur, quia si non immemor esset suæ impotentiæ, non posset obliviscì opis divinæ precibus requirendæ.

Pag.

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:) Hoc *partim* generale allegat *B. Dürrius cit. loc. p. 296.* ex *Jeremiæ cap. XLVIII. 10.* ubi DEUS maledictionem dictavit omnibus negligenter tractantibus opus Domini: quò etiam spectant virtutes quarti præcepti, omnibus ad quos Patris nomen extenditur, passim præscriptæ; *partim* specialiter exigitur, ut captui discentium nos commodemus, *Ebr. V. v. 13. 14.* ut methodicè procedamus & rectè secemus verbum veritatis *II. Tim. II. 15.* porro notum est Pauli verbum *Rom. XII. 7 8. qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortatione*, scil. fidelis, sedulus & strenuus esto. Ratione pœnarum, pueris vel petulanti juventuti infligendarum, exstat constitutio divina, *Proverb. XXIII. v. 13.* &c. Meretur etiam notari observatio *B. Joh. Balthasaris Schuppi*, in *Eusebia prodeambulante* (edit. Marpurg. 1642.) *pag. 85 86. 87.* ad disciplinam Academicam nostram illud præceptum divinum *Deuter. XXI. 18. seqq.* sic commodantis, ut dicat; *Si lex illa hodie observaretur, multis in locis non remaneret lapis super lapidem, & in multis Germaniæ urbibus aut Academiis vix unica platea strata remaneret.*

Ibid. Exempla Sanctorum:) Institutiones Scholasticæ inter populum DEI pridem viguerant: quò pertinent *filii Prophetarum*, qui passim nominantur, maxime *II. Reg. II.*

3. 5. cap. IV. 38. &c. Ipse Christus, puer duodecim annorum interfuit colloquiis doctorum, & quid de his sentiret congressibus, suo docuit exemplo, *Luc. II. v. 46. 47.* Paulus instituit Timotheum diligentissimè *II. Tim. III. 10. 14. 15.* &c.

Ibid. Muneris doctorum Dignitas & Gravitas:) Non modò quippe ex hoc munere salus hominum temporalis, sed etiam æterna pendet; nec sola privata singulorum, sed totarum societatum publica salus. Scholæ quippe sunt seminarium Ecclesiæ & omnium ordinum inter homines. Ita ergo administratur Ecclesia & Respublica, prout vel digna vel indigna subjecta ex Scholis ad illam administrationem prodeunt. Egregiè Scholas cum oculo corporis compararunt beati Academiæ Altdorfinæ fundatores, quorum cantus Symphonicus legitur talis:

Das Aug am Leib/die Schul im Land/
Wie wirs gar wohl erfahren/
Werdn für zwey nöthig Stück erkandt/
GOtt woll sie uns bewahren.

Vid. *B. Virdungi Orationes*, quibus in calce adjecta habetur *descriptio Actus Privilegiorum Anno* CIↃ IↃC XXIII. *publicatorum, pag. 338.* Huc referunt etiam proverbium tempore Lutheri frequentatum, *Non minus esse negligere scholarem, quàm corrumpere virginem.*

Ibid.

Ibid. Præmia :) Secundum celebre illud, *Dan. XII. 3.*

Ibid. Pœnæ :) Hanc in rem textum egregium ex *Isidoro Pelusiota* recenset *B. Dürrius in Theol. Moral. p. 300.* Uti enim Pelusiotæ verbis exaggerat illorum crimen, qui vel nimiâ conniventiâ disciplinæ habenas laxaverunt, vel aliis conscientiæ & officii sui religiosè satagentibus è manibus excusserunt ; ita graviter ipse ingeminat: *Gravis aliquando incumbet illis reddenda ratio.* Huc pertinet pœna dictata negligentibus *Jerem. XLVIII, 10.* & scandalum præbentibus, *Matthæi XIIX. 6.* &c.

Pag. ead. §. IV. Pietas in Ecclesiam & Remp.) Tanquam divina beneficia & ordinationes Numinis optimi Maximi ; cujus adeo bonitas & sanctitas violatur, quando Ecclesiæ & Reipublicæ commoda vera negliguntur ; & è contrario colitur, quando commoda Ecclesiæ & Reipubl. etiam per educationem idoneorum ministrorum & organorum, adjuvamus & promovemus.

Ibid. Sincera charitas :) h. e. Talis, quæ ex ordine divino proficiscitur, & ad juventutis salutem æternam & spiritualem principaliter tendit. Charitas, quæ aliter comparata est, & vel Simiarum indolem refert, vel Eli blanditias, vel alio quodam carnali modo deformis est, adeo non meretur haberi pro medio idoneo, ut

potius sit funestum & grande impedimentum. Reliqua facilè intelliguntur ex analogia cum iis, quæ superius diximus, cum de officiis Pastoralibus, eorumque Mediis & Impedimentis ageremus.

Ad Cap. I.
Sect. VII.

De

OFFICIO AVDITORUM IN SCHOLIS ET ACADEMIIS.

Pag. 524. §. 1.

AMare & honorare Præceptores :) Tanquam bonum & donum divinum, per quod DEUS salutem æternam & temporalem auditorum vult operari & procurare.

Ibid. Doctrinam & monita :) h. e. Tam informationem Intellectus, quam voluntatis, quorum ille per doctrinam illuminatur & excolitur; hæc per monita salutaria sanctificatur & ordinatur ad vitam Christianis dignam.

Ibid. Horas congressibus Scholasticis destinatas :) Sive uti reddantur & accipiantur Lectiones, sive ut audiantur & suscipian-

piantur exercitia literaria & ſancta &c. Ub: quidam par eſſe debet Lectionum publicarum & privatarum, itemque exercitiorum, quæ vel publica auctoritate gerun ur, vel privatim expetita fuerunt & inſtituta. Omnes hæ horæ ſunt ſanctè & diligenter obſervandæ & definitis ſtudiis impendendæ, ne hiulca tractatio intercipiat fructum ex collegiis & exercitiis ejusmodi exſpectandum.

Ibid. Sed & alias:] Videlicet toti fruſtra ſunt, qui illas perdunt horas, quibus præceptoribus non ſunt reddendæ lectiones, vel collegia non ſunt audienda. Longè alia mens eſſe debet iis, qui cupiunt proficere. Hi enim domi repetunt vel præmeditantur, quæ in Schola vel Collegiis aut propoſita fuerunt, aut explicanda erunt; vel aliàs talia domi tractant, quæ horas Scholaſticarum vel Academicarum Lectionum, quas audiunt, non turbant, ſed potius juvant & promovent. Peſſimè conſulunt quippe illi ſuis rebus, qui heterogenea plura miſcent, & alia tractant domi, alia audiunt in collegiis & Lectionibus. Homogenea vel ſaltem vicina, quantum fieri poteſt, eodem tempore tractentut ab auditoribus, quorum Lectiones Scholaſticæ & Academicæ debent referri (1.) ad ſcopum ſeu vitæ genus, quod quisque auditorum ſibi deligit, (2.) Studia privata ſunt referenda ad Lectiones tam publicas, quam privatas, quas quisque quolibet tempore audit & frequentat.

Ibid. Audita repetere:) Qui imparati advolant ad Lectiones, nec præcedentia repetunt, nec textum explicandum prius adspiciunt. quàm obiter in ipsis collegiis, nihil commodi ex lectionibus reportant. Quod citò fit, citò perit. Hinc sæpius nostri studiosi audiunt collegia in auctores plures, quorum nullum tamen, vel quoad Argumenta disponentia, nedum quoad probantia & explicantia, si, finitis collegiis, interrogantur tenent. E contrariô, qui sedulò domi repetunt in Lectionibus audita, & hæc vel ad dictata, vel ad auctorem explicatum referunt, hi demum usum ex prælectionibus auditis percipiunt.

Ibid. Nihil invitâ naturâ agere:) Invitâ naturâ agunt, qui quod DEUS in natura ipsis denegavit, nihilominus tractare volunt, &, v. gr. talia eligunt studia, quæ memoriam felicem postulant, cùm tamen ipsis memoria sit parum fidelis; vel etiam audent studia judicium singulare supponentia aggredi, etsi fortè ipsi non adeo polleant judicio. Omnia igitur sunt referenda ad dona naturalia, & studia his commoda pro principali opere deligenda. Sic qui memoriâ pollent, linguis, Historiis &c. sunt apti; qui Judiciô, disciplinis Theoreticis &c.

Ibid. Defectus Naturæ supplere:) Industria indefessa & Naturam & artem sæpe vincit; nec desunt exempla eorum, qui etsi non

non adeo magnô fuerint ingeniô, industriâ tamen & exercitatione egregiè emerserunt. Valet enim etiam hic illud Senecæ: *Nihil est, quòd non expugnet pertinax opera & intenta ac diligens cura.*

Ibid. Exercitia --- frequentare & colere:) Sine exercitiis nemo fecerit in vera eruditione & animi sui culturâ rectâ laudabiles ullos progressus. Natura incipit, Ars dirigit; Exercitatio perficit, & nos reddit demum ad officia graviora idoneos. Frequentanda sunt exercitia *primùm*; ut habeamus viva, quæ imitemur exempla: *deinde* sunt etiam subeunda; ut nostram indolem ipsa praxi ad pragmatica instituamus, & habitum rectè operandi, dicendi, judicandi, argumentandi &c. acquiramus.

Ibid. Virtutes honestè æmulari:) Est honesta æmulatio, quæ alterius dona & bona sic admiratur, ut simul & sibi illa impetrabilia credat, quæ alter jam impetraverat. Oculi ergo conjiciendi sunt in media, quibus ipse proficit, & eadem à nobis etiam, quantum fieri potest, sunt adhibenda.

Ibid. Consortia inertium & malorum vitare:) Inertes & mali non modo sibi perdunt bonas horas, sed etiam suô consortiô pravô, vel seducunt bonos, vel saltem turbant: Qui ergo horum consortium vitat, ipsam inertiam & malitiam fugit.

Ibid.

Ibid. Operam Præceptorum pro facultatibus remunerari:) Officii hujus fundamentum est ipsa æquitas naturalis, dictans, Gratum esse debere, qui beneficium acceperat. Gratitudo hæc fieri potest corde, ore, opere. Ad illam referimus præcipuè pia suspiria & preces ad DEUM pro præceptoribus; istam, honestam meritorum deprædicationem & agnitionem; ad hanc, officia quævis & honoraria, sive didactrum.

Ibid. Preces:) Aureus quippe & in praxi perpetuò observandus versiculus est: *Dimidium cœpti ritè precatus habet.*

Pag. ead. §. II. Non sincerè amentur:) Ingrati sunt & iniqui, quia ita delinquunt, non modò in præceptorum beneficia & merita, sed præcipuè in DEUM, cujus hoc beneficium contemnunt & irreverenter habent, dum non expetunt dignis modis.

Ibid. Honor debitus aut obsequium eis denegatur:) Sive fiat ore, sive corde, sive opere, h. e. sive cogitatis, sive dictis, sive factis. Scelera hæc solet DEUS cumprimis acerbè vindicare, ut infra videbimus ad §. III.

Ibid. Negligantur horæ studiis impendendæ:) Sive horæ illæ publicæ fuerint, sive privatæ. Certè opera interrupta & hiulca est studiorum pestis. Confer quæ *partim* diximus ad partis Generat. tertiæ cap. IX. Sect. I. &

partis

partis Specialis Cap. I. Sect. I. *partim* quæ ad §. præcedentem jam notata fuerunt; unde facilè hunc Aphorismum illustrare poteris.

Pag. 525. §. III. Mandatum DEI:) Scilicet quartum præceptum huc pertinet, cujus vi obligantur omnes ad honorem verum sincerumque h. e. ore, corde & opere iis præstandum, qui parentum officiô funguntur. Adeo autem præceptores parentibus non sunt inferiores, ut etiam aliquando majus reputetur beneficium, quod à fidelibus recipimus præceptoribus, quàm quod à parentibus naturalibus. Parum enim nobis prodest vita temporalis, nisi benè vivere didicerimus. Reliqua supple ex partis General. III. cap. IX. Sect. I. §. IV. & X.

Ibid. Exempla Christi & Sanctorum:) De Christo celebris est historia *Luc. II. 46. seqq.* Mosis, *Actor. VII. 22.* Discipulorum Christi privatam informationem postulantium, *Matth. XIII. 36.* Pauli egregiè proficientis, ut ipse testatur *Galat. I. 14.* Timothei, *II. Tim. I. 13 14. cap. III. 10. 14. 15.*

Ibid. Dignitas & Gravitas:) Studiis enim hoc debemus, quod bene vivimus, & DEO, Ecclesiæ, Patriæ, nobis & proximo utiles sumus. Sine his moraliter mortui sumus, nec respublica stabit, nec salutaris doctrina.

Ibid. Præmia:) Hæc sunt partim temporalia, partim æterna; Eaque quarto præcepto

cepto, si observetur, singulariter concessa. Vide *Ephes. VI. 2.*

Ibid. Pœnæ peccantibus destinatæ:) Dignum notatu est, quod *B. Durrius* in Theol. Moral. pag. 312. internunciô Piccartô, ex ore *Scipionis Gentilis* refert, dicentis: *Accepi ego à summis viris, Virum Illustrissimum quondam, Præsidem Galliæ summum, cum esset præfectus capitalibus causis, hoc in amore habuisse, ut, cùm aliquis capitis damnatus esset, ad extremum interrogaret damnatum: nunquamne in vita parentes aut præceptores pulsasset, aut probrosis verbis incessasset, addebantque illi, confirmasse sibi Præsidem, intra illos sedecim annos, quibus ille capitalibus causis præsedisset, vix quatuor damnatos immunes ab alterutro fuisse.*

Pag. ead. §. IV. Media:) De his, ut & impedimentis jam superius passim dictum fuit.

Ad Cap. I.

Sect. IIX.

De

OFFICIO EPISCOPORUM, QVATENVS PECULIARI, ECCLESIASTICO SCILICET SENSU, ITA DICUNTUR.

Pag.

Pag. 526. §. I.

JUxta ipsius Scripturæ stylum:) Res plane est ex Scripturis Novi Testamenti, quæ nihil discriminis inter Episcopum & Presbyterum ponunt, sed per episcopum denotant Ministrum verbi. Vide *Casus Conscientiæ Catechet. B. Königii, Casu V. de Statu Ecclesiast. p 796. 797. Schilter. Instit. Jur. Eccles. lib. I. Tit. VII. §. III. p. 92.* ubi plures auctores huc pertinentes invenies citatos. Ex usu Scripturæ ergo sunt omnes Episcopi & Presbyteri pares, & singulorum officium in eo positum erat, ut quisque suæ Ecclesiæ præesset, & hanc, per prædicationem verbi, administrationem Sacramentorum, potestatemque clavium, & si quæ alia ad *potestatem ordinis*, quam postea dixerunt, pertinent, pasceret dirigeretque; neutri autem in alios pastores quicquam Jurisdictionis propriè sic dictæ erat, sed potius communi consilio causæ totius Ecclesiæ inter pares sicubi opus erat, tractabantur, ut patet ex *Actorum capite XV.*

Ibid. Successu temporis:) Prima illa simplicitas non adeo diu duravit, sed mox ab Apostolorum temporibus distinctio graduum & officiorum, inter ipsos Episcopos seu verbi ministros est inrroducta, cujus introducendi occasionem exponit egregiè *S. Hieronymus* in Commentar. ad *Titum cap. I. v. 5.* Postquam enim ex collatione *v. 5. & 7.* observasset, Paulo *Episco-*

scopum & Presbyterum Synonyma esse, pergit: *Idem est ergo Presbyter, qui Episcopus: & antequam diaboli instinctu, studia in religione fierent, & dicerent in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, Communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi: in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris: ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Hanc suam sententiam Scripturarum esse, probat porro Hieronymus, provocando ad Epistolam ad Philippenses, item ad Acta Apostolica, ad Epistolam ad Ebræos & ad priorem Petri, tandem concludens: *Hæc propterea, ut ostenderemus, apud veteres, eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos: paulatim verò ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen: qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Hæc Hieronymus de origine Dignitatis & potestatis Episcopalis, quæ adeo in eo posita fuerat, ut Episcopi curam gererent non modò Laicorum, sed etiam ipsorum Presbyterorum

rum illorum, quibus præpositi erant, hosque adeo regerent, cum suis paroeciis. Hinc distinctio Ecclesiarum in *Episcopales* & *Parochianas*, quarum *illis* Episcopus cæteras Ecclesias dirigens, *his* autem tantùm Presbyteri præerant, quibus nulla alia, quàm sola potestas ordinis, quam dicunt, competebat; cum Episcopi præter potestatem ordinis seu jus Parochiale & Pastorale, haberent etiam *Jurisdictionem* h. e. potestatem visitandi, Synodos habendi, controversias & causas Ecclesiasticas cognoscendi & dijudicandi, & personas resque sacras ordinandi. Conf. *Schilt. cit. loc. lib. I. Tit. III. §. XIII p. 45 56.* item *Tit. VII. §. V.* ubi simul monet, Episcopum quidem à Presbyteris & inferioribus ordinibus differre jure vetere, per munus *Inspectionis* atque *Directorii* in Collegio presbyterorum atque judicio Ecclesiastico; sed sequiori instituto factum esse, ut Episcopus quædam jura ante cum Presbyterio suo communia sibi soli etiam vindicaret, & ea ipsa prærogativa à presbyteris distingui vellet, velut est *Jus ordinandi, Jus consecrandi* & alia. Tandem cùm *Episcopus Romanus* super omnes Ecclesias emergere laboraret, atque ob translatam sedem Imperatoriam, inter *Episcopos Constantinopolitanos* & *Romanos* maxima dissidia de titulo *Episcopi Oecumenici seu Universalis*, orirentur, atque à Phoca, insigni stratagemate, tandem seculo septimo, Episcopus Romanus obtineret, ut Ecclesia Romana, *caput omnium*

Ecclesiarum declararetur; *Tyrannidis Pontificiæ* prima fundamenta sunt jacta, quæ eousque sequentibus temporibus excrevit, ut Pontifex Romanus sibi non modò in omnem clerum, sed etiam in ipsos Imperatores, Reges & Principes dominium sumeret. Hæc ita de origine jurium Episcopalium, eorumq; Progressu, usque ad tempus Reformationis, quô Pontifex suâ meruit Tyrannide, à protestantibus declarari Antichristus, utpote qui omnem mensuram impleverit vaticiniorum *II. Thess. II. 3. 4. 9. 10. 11. 12.* & *Apocalypseos* passim.

Ibid. Quibus præter officium docendi verbum &c:) Primitus quippe Episcopi non minus docebant & Sacramenta administrabant, quam cæteri Presbyteri. Sub papatu autem adeo non modò ipse defecit Pontifex, ut Tyrannum secularem potius, quàm pastorem verum Ecclesiæ ageret; sed etiam ipsi Episcopi in principes seculares degenerantes, atque prædicationem verbi & administrationem Sacramentorum Presbyteris & inferioribus ordinibus relinquentes, non nisi illa curarunt, quæ humana & humani juris essent: id quod ipsis majores nostri & nostræ Ecclesiæ meritò hodienum in *Articulis Smalcaldicis* exprobrant *Part. III. Artic. X.* (Lib. Normal. Norib.) *pag. 553.*

Ibid. Ligandi & Solvendi:] Hanc potes-

potestatem. Lutherus in Articulis Smalcaldicis *potestatem Jurisdictionis* appellat, eamque omnibus Ecclesiæ ministris communem esse debere, asserit. Huic contradistinguunt nostrates communiter potestatem *ordinis* seu *Ministerii*, quam positam dicunt in prædicatione verbi & administratione Sacramentorum. Confessores nostri in *Confess. August. Articul. VII. Abusuum sublatorum*, potestatem clavium in laxiori significatu definiunt per *potestatem seu mandatum DEI, prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta.* Ab aliis refertur hæc potestas clavium solventis & ligantis ad *potestatem ordinis* potius, utpote tali ordini sacro competens, quàm ad *potestatem Jurisdictionis*, quæ strictè sumta Eminentiam solis Episcopis tributam denotat. Conf. *Schilter. cit. loc. Tit. III. §. XIII. p. 44. 45.* qui tamen simul monet, appellari illam laxius sumtam potestatem clavium, etiam *Jurisdictionem interiorem & Spiritualem.*

Ibid. Ministros ordinandi & investiendi &c:) Hanc quoque partem officii Episcopalis olim omnes Pastores exercebant, adeo ut ipse Timotheus sit à Presbyteris ordinatus, ut constat ex *I. Tim. IV. 14.* Vnde B. Lutherus in Articul. Smalcald. (Libr. Normal.) pag. 555. *Cùm jure divino non sint diversi gradus Episcopi & Pastoris: manifestum est, ordinationem à*

Pastore in sua Ecclesia factam jure divino ratam esse. Itaque tum Episcopi ordinarii fiunt hostes Ecclesiæ, aut nolunt impertire ordinationem, retinent jus suum. Plura hanc in rem diximus superius in nostris Notis ad *Sect. II. §. XI. pag. 508.*

Ibid. Loca sacra & religiosa erigendi:) Ut ad Reip. potestatem pertinet concessio & traditio loci & sumtuum quoque; ita ad Ecclesiasticam, *Directio* & *Administratio structuræ* Concil. Tolet. III. c. 4. itemque *Jurisdictio* &c. Vid. *Schilter. c. l. libr. II. Tit. VII.* qui est *de Jure Templorum.*

Ibid. Potestas, Leges Ecclesiasticas ferendi:) Leges Ecclesiasticæ sunt, quæ ferri possunt de exercitio cultus Divini externo, de Ceremoniis ac jejuniis, de ordinibus & functionibus ministrorum &c. Potestas hæc per se ad totam Ecclesiam spectat; attamen ad Magistratum, si is Christianus fuerit, velut ad partem præcipuam, potissimum pertinet: quod probatur exemplo Davidis, Josaphati & similium. Conf. *B. Bajer. in Theol. Posit. de Magistr. Polit. §. VI.* Ante Reformationem penes clerum solum hæc potestas fuit, & hodienum à Pontificiis, clero ejusque capiti supremo reservatur.

Ibid. Administrandi & gubernandi res & bona Ecclesiæ:] Ut sunt, quæ deputata habentur *sustentationi* & conservationi personarum

narum & rerum sacrarum, v. gr. oblationes, eleemosynæ, decimæ, salaria, legata ad pias causas, reditus annui, fundi ecclesiastici & paræciales &c. Item bona Ecclesiæ *dotalia* &c. Conf. *Schilter. cit. loc. libr. II. Tit. VI.* qui est *de Eccles. & bonis Ecclesiasticis.*

Ibid. Domuum Religiosarum:) Ut sunt Templa, Scholæ, Collegia &c. In his ut disciplina vigeat, & omnia piè honestèque fiant, & ritè administrentur, curare tenetur Episcopus.

Ibid. Decimarum receptio & distributio:) Decimarum vox latè accepta & censum & operas personales continet: unde decimas dividunt in *personales* & *reales* sive prædiales, quanquam personales in nostris Ecclesiis vix in usu sint. Reales porro *aliæ* sunt Mergetum seu manipulariæ Zehend-Garben / *aliæ* granorum Zehend-Korn. Vid. *Schilter. cit. loc. lib II, Tit. IIX. §. XIII.* Jus exigendi habent clerici illius Ecclesiæ, ad quam jus decimarum jure dominii pertinet, unde & heterodoxis solvendæ, aut jure retorsionis denegandæ. *Schilter. cit. loc. §. XVI.* Uti autem Episcopi est exigere, quæ debentur, decimas; ita est ejusdem, distribuere, & in commoda & sustentationem Ecclesiæ convertere illius, cui sunt decimæ adjudicatæ.

Ibid. Visitatio:) *Præparatoria &*

judiciorum & Synodorum Ecclesiasticarum sunt visitationes, ad id potissimum institutæ, ut in statum cujusque Ecclesiæ atque Parochiæ specialem, & non in personas tantùm, earumq; mores & doctrinam, sed etiam in rerum Ecclesiasticarum conditionem ex officio inquiratur, omnia juxta præscriptas regulas emendentur & constituantur, de ambiguis verò ad Consistorium Ecclesiasticum referatur, & ab eo, vel Synodo decisio exspectetur. Verba sunt *D. Schilter. cit. loc. libr. I. Tit. VI. §. I. p. 79.*

Ibid. Sumtuumque ad eam collectio:] De his agit *Schilterus cit. loc. §. VII. p. 87.* De reliquo Visitationum harum necessitatem & fructum graviter ostendit *B. D. Hartmannus in Impedimentis & Adjumentis Veri Christianismi Part. II. Cap. III. pag. 483. seqq.* præcipuè *pag. 501. 502.* conqueritur, has visitationes sæpius negligi ob sumtus impendendos, & de remediis disserit. Conf. *Mengeringus* in Scrut. Consc. Catech. cap. VII. quæst. 89. p. 514. 515.

Ibid. Causas clericorum omnes:) *Postquam summi Imperii pars circa sacra avulsa & à Pontifice Romano occupata fuit, tum in omnibus causis civilibus & criminalibus clerici fuerunt exemti à Jurisdictione summæ Reipubl. Potestatis & solis Episcopis atque sedi Romanæ, in occidentali Ecclesia, subjecti. Id quod etiam Fridericus II. Imper. confirmavit constitutione Feudalibus libris subjecta &c. Schilter. libr. I. Tit.*

Tit. XVII. §. III. p. 254. 255. Per *Pacem Religiosam* autem hi excessus sunt correcti, & eximuntur clerici à jurisdictione Magistratus civilis, tantum quoad *Causas Spirituales* & sacrum ministerium concernentes, nec non quoad *Actiones Personales* contra eos instituendas. *Id. ibid. §. IV.*

Ibid. Secularium Spirituales :) Puta quæ ad Conscientiam & salutem æternam hominis Christiani pertinent : quanquam etiam harum causarum conceptum nimium quantum extenderint Pontificii, ut illorum tyrannis latius pateret.

Ibid. Per totam Diœcesin :) Diœcesis est Episcopi ; ut Territorium Præsidis & Magistratus Civilis. Quousque ergo Episcopi inspectio & jus in concreditas Ecclesias diffunditur, eo usque Episcopus diœcesin habere intelligitur. Conf. *Schilt. libr. I. Tit. III. §. X.*

Ibid. Pœnas tam Canonicas quàm seculares :) Pœna irrogatur vel Ecclesiastica, vel quæ Jurisdictionis est secularis, pro delicti qualitate. Pœna Ecclesiastica, quæ etiam *censura* dicitur, est carcer, mulcta, translatio, suspensio, remotio, degradatio, pœnitentia Ecclesiastica, atque excommunicatio. *Schilter. lib. I. Tit. XIX. §. II. pag. 286.* Confer eundem *Tit. V. §. XII. 70.*

Pag. 527. §. eod. Circa Matrimoniorum contractus :) *Hæc quoque habent Episcopi humano jure & quidem non admodum veteri, sicut ex Codice & Novellis Justiniani apparet, judicia matrimoniorum tunc fuisse apud Magistratus. Et jure divino coguntur Magistratus Mundani hæc judicia exercere, si Episcopi sint negligentes.* Articul. Smalcald. (Libr. Normal. pag. 558.

Ibid. Ipsis competunt tituli, privilegia &c.) De Privilegiis & immunitatibus clericorum est apud *Schilterum libr. I. Titulus XVII.* Ex dictis liquet, quid *Jus Episcopale* sit? Scilicet absolvebatur his partibus (1.) Jure Ordinis (2.) Diœcesano & (3) Jurisdictione, cui *quarta* pars adjecta fuit *Dignitas Episcopalis*, præsertim postquam moribus Francorum & Germanorum Episcopi simul status Regni & Imperii constituti fuere. Conf. *Schilter. cit. loc. libr. I. Tit. VII. §. VI p. 96 97.* Primus Otto Magnus Politica Jurisdictione Brunonem fratrem suum Colonienſem Archiepiscopum honoravit, deque ea re ita loquitur Chronicon quoddam vetus, da begunten die Bischöffe zu erst weltlich Recht zu haben/das dauchte damahls unbillich manchen Mann. Reinc. de Sax. Orig. fol. 14. Conf. *Ernest. Gothofred. Norinbergium de Jure Consistoriorum in Ecclesiis Augusti. Confess. usitatorum, Concluſ. V.*

Pag.

Pag. ead. §. II. Factâ religionis reformatione:) Seculô superiore, auspiciis Lutheri & aliorum, jugum Tyrannidis Pontificiæ Antichristianum excutientium.

Ibid. Principibus & Statibus Evangelicis sunt restituta:) Per pacem Religiosam hæc jura dictis statibus sunt reddita ab Imp. Statibus & Episcopis Germaniæ etiam Pontificiis, adeoque à tota Ecclesia Nationali. Conf. *Schilter. libr. I. Tit. VII. §. VI. p. 97. Hülsemann. Brev. Theol. c. XIX. 21. Norinbergius cit. loc. Concluſ. XXXVI.* Quanquam Dillingenses JCti clamitent & conquerantur, per Pacem Religionis juri communi Cæsareo & Canonico derogatum fuisse. *Norinbergius cit. loc. Concluſ. XLI.*

Ibid. Exercitium eorum:) Jura enim Episcopalia sunt non penes unum tantum vel alterum statum, sed penes totam Ecclesiam. Interim exercitium jurium fieri solet & potest per certos status, quibus hoc est demandatum.

Ibid. Prædicatio verbi &c:) Protestantes enim Ecclesiæ non concedunt actuum ministerialium promiscuam administrationem, damnantque hanc *Fanaticorum* audaciam, utpote pugnantem cum constitutione CHRISTI, quam Paulus urget *Epheſ. IV. 11. 12.* Tribuunt autem Ministris Ecclesiæ (1.) *potestatem ordinis* seu *Ministerii*, quæ est prædicandi verbum & administrandi Sacramenta (2.) *potestatem Juris-*

dictionis, tam solventem, quàm ligantem; quò etiam reducunt *ordinationem Ministrorum & Censuram morum.* Conf. *B. Bajer. Theol. Posit. de Minist. Eccles. §. VII. IIX. seqq. B. Gerhard. in loco de Minist. Eccles. §. 192. 193. 194.* & *ἐν ἐπιτομῇ B. Sebast. Schmidt*, in Comp. Theol. cap. XXIV. §. 56. seqq. pag. 429. 430.

Ibid. Per Consistoria & Superintendentes:) Consistorium in nostris Ecclesiis est judicium Ecclesiasticum partim ex Theologis, partim ex Politicis constans, qui de causis vel merè spiritualibus, vel ob dependentiam talibus, vel mistis processu summario judicant. Ubi territoria sunt majora & plura Consistoria, uti in Saxonia Electorali, datur Consistoriũ superius. Vid. *Schilt. c. l. lib. I. Tit V.* qui est de Judiciis Ecclesiasticis & foro competente. Originem Consistoriorum derivant auctores ex Judæorum senatu magno, aliàs Sanhedrin dicto. Vid. *Norinb. cit. loc. concl. XIII.* Idem *concl. XXXIX. seqq.* fusè *contra Dillingenses JCtos* Jus Consistoriorum Protestantibus Statibus adserit. Dignus quoque est *Mengeringius*, qui legatur in *Scrutin. Catech. Cap. VII. quæst. 90. p. 515. seqq.* Superintendentes vel Inspectores in nostris Ecclesiis dicuntur, quibus à Principe vel territorii Domino demandata est inspectio vel in omnes Territorii Ecclesias, vel in aliquot tantùm. Quibus inspectio nonnisi in aliquot Ecclesias demandatur; *Speciales* Superintendentes audiunt. His in majoribus territoriis

ritoriis haud rarò *Generales* alii præsunt; & omnibus tandem *Generalissimus*. Plerumque *vel* Consiliarii Ecclesiastici, *vel* Adsessores consistoriorum sunt. *Schilterus libr. I. Tit. XIII. §. XIX. p. 196.* scribit: *Superintendentem Ecclesiæ non Patronus, sed Princeps, jure summæ potestatis circa sacra constituit.* Et libr. I. Tit. VII. §. III. p. 93. postquam dixisset nostræ Ecclesiæ Episcopos dici *Superintendentes* & *Inspectores*, mox tamen addit: *Quanquam magis est, ut Consistoria gaudeant Jure Episcoporum & Jurisdictione; Superintendentes solum notione aliquâ, particulâ juris Episcoporum.* Item *libr. I. Tit. III. §. XIII.* dicit, *Status Germaniæ amplitudinem Ecclesiarum Episcopalium coërcuisse, & mutato nomine, Superintenturas & Inspectiones instituisse, & has porrò in Decanatus aut Adjunctluras divisisse, ita tamen ut Jurisdictio Episcopalis non tam penes Superintendentem, quam penes Consistorium esset.* Hinc Superintendentes ipsi subsunt consistoriis & ab his dependent, atque si quod negotium paulò gravius fuerit, ad Consistoria recurrere tenentur, horumque expetere mandata. A Superintendente ergo datur appellatio ad Consistorium, primò sicubi fuerit, inferius; rursus ab hoc ad superius, tandemque ad Principem. *Schilterus lib. I. Tit. V. §. XIII. p. 71.*

Ibid. Magistratus sibi solis immediatè reservarent:] Principibus & aliis Imperii statibus competunt Jura Episcopalia aut Consistorialia jure Superioritatis Territorialis, per

per pacem Religiosam, quâ Jus Episcopale aut Consistorii neutiquam à Jure Territorii est separandum. *Schilterus libr. I. Tit. V. §. IV. p. 64.* Integrum ergo fuit Statibus hisce, quæ vellent servare sibi, quæ per Consistoria & Senatum Ecclesiasticum peragere.

Ibid. Promulgationem Constitutionum Ecclesiasticarum:) Conf. *Schilter. libr. I. Tit. II. §. XXIV. p. 26.*

Ibid. Convocationem Synodorum:) Vide *Schilter. libr. I. Tit. IV. §. VI. p. 60. 61. & 62.*

Ibid. Causarum Academicarum dijudicationem:) De Academiis egit *Schilter. libro I. Tit. XII.*

Ibid. Vocationem Superintendentium:) *Schilter. libr. I. Tit. XIII. §. XIX. pag. 196.*

Pag. eod. §. II. Ecclesiæ totius:) Quatenus videlicet ex tribus statibus Hierarchicis constat, & in cujusque Magistratus supremi vel Domini Territorialis provinciis habitat.

Pag. 528. §. eod. Quæ Ministris Ecclesiæ sunt propria:) Ut sunt Prædicatio verbi, Administratio Sacramentorum, usus clavium solventis & ligantis, ordinatio Ministrorum novorum per manuum impositionem. Est enim ex divina constitutione alius ordo Ministro-

ſtrorum Eccleſiæ, alius Magiſtratus civilis; neque Miniſtri Eccleſiæ officii ſui partes ex Magiſtratus arbitrio, ſed ex Chriſti conſtitutione & ordinatione habent. Quod itaque Chriſtus juſſit in Eccleſia per ſuos fieri miniſtros, hoc non poteſt ſecularis Magiſtratus, niſi in Chriſtum delinquere velit, ſibi arrogare. Hinc quidam Theologi dicunt, poteſtatem & actiones ſummarum poteſtatum habere ſe ad iſtas miniſterii Eccleſiaſtici partes à miniſtris Eccleſiæ adminiſtrandas, tantum *Objectivè & Directivè*, quatenus ſcil. illas juxta præſcriptum verbi divini exerceri jubent & contra vim aut dolos defendunt, non autem *formaliter*. Vid. *Dürrii Theol. Moral. Part. Special. Sect. II. cap III §. XII. p 324.*

Ibid. Ne in Cauſis Eccleſiaſticis pro lubitu ſtatuatur:) Uti enim cauſæ Eccleſiaſticæ ſunt æſtimandæ ex ordine ad finem ſupernaturalem & ex ædificatione ad ſalutem æternam; ita in his non debet moduli locô haberi arbitrium humanum, ſed regula verbi divini & prudentia illorum, qui in curanda animarum ſalute exercitati ſunt. Digna ſunt, quæ hanc in rem habet *B. D. Mengeringius cit. loc. p. 1458. 1459.*

Ibid. Inferioribus Antiſtitibus Eccleſiæ:) Ut ſunt Decani, Superintendentes, Conſiſtoria &c.

Ibid. Ex conſuetudine, præſcriptio-

ptione &c. acquisiverunt:) Hi tituli honesti sunt, adeoque si Superintendens, Consistorium, vel alius Minister Ecclesiasticus tali titulo quid possederit, non est hoc suo de jure turbandus, sed potius à Magistratu Christiano in eo defendendus.

Ibid. Ut in Ecclesia semper sint Ministri idonei:] Tàm quoad dona sanctificantia, quàm ministrantia, ad Ecclesiæ ædificationem procurandam apti: de qua re superius Sect. I. & alibi plura diximus.

Ibid. Ut bona Ecclesiastica conserventur & augeantur:] Quò videlicet semper habeatur, unde partim egeni, orphani, viduæ, partim Ecclesiæ & Scholarum ministri, partim ipsa ædificia publica, & alia Ecclesiæ bona, sustentari, educari & reparari, vel etiam de novo, sicubi opus fuerit, excitari queant.

Ibid. Corruptelæ doctrinæ arceantur aut eliminentur:] Doctrina salutaris est, quam DEUS promulgavit per Prophetas, Filium suum, ipsiusque Apostolos, quæ habetur in Scripturis divinis. Hæc sola ducit homines ad salutem. Est igitur illorum, qui jura Episcopalia exercere volunt, ut doctrinam illam cœlestem, veluti κειμήλιον habeant, & nihil majori fide curent, quàm ut hoc DEI verbum integrum & incorruptum prædicetur, vel si amissum fuerit, repetatur & restituatur. Omnia tamen

hæc

hæc fiant mediis divinitus præscriptis & modo non carnali & seculari, sed sacro & à sanguine atque crudelitate alieno. Alias peccari etiam potest in modo agendi, etsi ipsa actio in se honesta foret atque laudabilis.

Ibid. Scholæ & Academiæ floreant.:) Hæc quippe sunt seminaria non modò literarum & bonarum artium, sed etiam Doctorum salutarium & hominum, qui saluti publicæ in Civilibus negotiis prospicere norunt. Hinc Scholis & Academiis malè constitutis, non possunt non omnes status Hierarchici, adeoque tota Ecclesia, imò etiam Respublica quàm gravissimè affligi & everti. Econtrario autem si Scholæ & Academiæ floruerint, necesse est, ut quoque Ecclesia floreat unà cum Republica Civili & literaria. Consistit verò flos Scholarum & Academiarum, non in luxu Doctorum & Auditorum, non in numero Studiosorum flagitiosorum, qui libertatem Academicam ex licentia peccandi unicè æstimant, sed illæ Scholæ & Academiæ demum florent, in quibus bonæ literæ & artes, præcipuè autem purum DEI verbum & dogmata cœlestia exquisitè docentur, excoluntur, inculcantur, vindicantur; in quibus honestas morum & sincera pietas practicè discuntur & perpoliuntur, medicamenta hæresibus, erroribus, flagitiis parantur & applicantur. Verbo: florent Academiæ & Scholæ, quæ verè sunt, quod dicuntur, *officinæ Spiritus Sancti*; non autem quæ sunt, & non dicun-

dicuntur, Synagogæ Satanæ, & flagitiorum, scelerum & licentiæ omnis & vanitatis Gymnasia profana, in quibus filii perditi quam plurimi *partim* impunè parentur substantiam & patrimonium, aliquando etiam beneficia ipsa decoquunt; *partim* alios, quibus melior mens erat, seducunt, imo ad scelerum, maximè digladiationum societatem, ad ignaviam & ἀσωτίαν quandoque invitos compellunt & impunè adigunt, &c.

Ibid. Ut Populus:] Non enim Scholæ & Academiæ tantùm rectè curari debent ab Episcopis, sed cumprimis populus, propter cujus salutem, & Scholæ & Academiæ & Magistratus & Ministerium sunt & divinitus ordinantur. Excidimus ergo nostro fine, nisi pietas & Religio, nisi honestas & fides reapse & vivo exercitio vigeant & floreant in omni populo.

Ibid. Incrementum capiat:] Rerum divinarum periti fidem & virtutes comparant Lunæ phasibus, quæ nunquam in novilunio vel plenilunio perdurat, sed semper vel decrescit vel crescit. Si populus noster in hac vitæ imbecillitate non incrementum capit, indubiè decrescit & quæ antea habuerat sensim decoquit & iterum amittit. Perpetua ergo incrementa sunt procuranda in populo, nec unquam cessandum in opere hoc Domini. Videatur exemplum Pauli *ad Philipp. III. 11. 12. 13. 14.*

Pag.

Pag. ead. §. IV. Quæ ministris propria sunt, ipsi exercent:] Qualequid quondam designavit Usia, Rex, suffitum faciens loco sacerdotis *II. Chron. XXVI. 16. 17. 18.* Porro quæ propria sint Ministris Ecclesiæ, recensuimus ad §. præcedentem.

Ibid. Pro arbitrio determinant:] Tale scelus erat Jerobeami filii Nebat, Regis Israëlis, qui pro suo arbitrio cultum DEI transtulit, immutavit, & quos voluit, fecit sacerdotes. Vid. *I. Reg. XII. v. 27. 28. seqq.* Non solùm autem peccatur, quando Theologica contra Prophetarum & Apostolorum doctrinam temerè à Politicis ordinantur, sed etiam, quando sine iisdem vel sine consilio eorum, qui periti sunt, ordinantur: quia sic vel non nisi casu æqvum, vel planè iniqvum statuetur.

Ibid. Ductu cœco se regi patiuntur:] Hoc est, quando non ipsi regunt Principes, sed suam conscientiam in aliorum consilia, ut hodie loqvuntur, resignant, adeoque sive ex inertia, sive ex carnali negligentia & voluptatum amore, curam populi sui vel gregis commissi, officialium quorundam vel avaritiæ vel machinationibus, vel affectuum & partium studio ita committunt, ut causam ipsi nec probè ponderent nec examinent, sed aliorum tantùm relationes & judicia secuti, nomina sua vel non lectis sententiis subscribant, & quidvis, tanquam consiliariorum pedarii, ex horum mente fieri permittant.

Ibid. Jura Patronorum:) De his agetur Sectione sequente.

Ibid. Consuetudines rationabiles:) Sive tales, quæ non omni carent rationum pondere.

Pag. 529. §. eod. Minus idoneos aut vitæ improbitate maculatos:) *Sive*, quia parum curant salutem animarum, *sive* quia delectantur talibus ministris, qui ruditate & malitiâ suâ, barbariem & vitia vel alunt, vel saltem non impediunt, *sive* denique quia casus obliquos commodis suis privatis proficuos credunt & vel largitiones diligunt, vel fœminas habent, quibus consulere volunt per matrimonia clericorum &c.

Ibid. Falsa dogmata:) Hoc est talia, quæ cum fundamento fidei sive doctrinæ divinitus revelatæ, pugnant & hujus articulos vel primarios, vel secundarios evertunt.

Ibid. Vitæ licentiâ:) Licentia vitæ est, quando clerus indulget concupiscentiis carnis, avaritiæ, luxuriæ, otio, petulantiæ, ludis, commessationibus, compotationibus, veneri impuræ &c. Hæc licentia adeo non est concedenda pastoribus, vel Scholæ ministris, ut ne quidem possit tolerari in eorundem familiis, per Pauli constitutionem *I. Tim. III. 4. 5.*

Ibid. Impune permittunt:) Impunè permittuntur scelera, quæ vel planè non puniuntur, vel quibus levioribus resistitur, remediis,

mediis, quàm ut scelera vinci queant & scandala data è medio tolli. Certe enim uti leves gratiæ magno beneficio oppositæ sapiùs pejores habentur quàm nullæ omnino; ita leviores pœnæ in ordine ad scelera magna haud rarò plus scandali pariunt & homines ad scelera parvi facienda magis invitant, quàm ipsa scelera. Ea quippe mentis corruptæ indoles est, ut morsus conscientiæ faciliùs retundat, si qualicunque pœnâ jam rem omnem componi posse autumet, quàm si sceleribus planè non vindicatis indulserit.

Ibid. Bona Ecclesiastica vel minuunt ipsi:) Luxu suo, vel privatorum commodorum studio, vel aliis artibus aut vi aperta; secundum cantionem notam:

Die Kirchen-Güter sind ihr Gifft;
Sie sind von ihnen nicht gestifft/
Noch nehmen sie das Kirchen-Gut/
Sieh' was der leidig Geitz nicht thut.

Vide omnino *B. König. in Cas. Catech. Casu IX. de Magistr. Polit. p. 749. seqq.* ubi pluribus evincit *Potestates seculares, re integrâ, non habere potestatem alienandi, infeudandi, disponendi, ordinandi sive statuendi aliquid de Ecclesiis ac earundem Bonis?* Aliter autem res se habet, si res non fuerit integra, h. e. si Ecclesiastici suum non fecerint officium, sed beneficiis collatis abutantur ad usus & fines profanos: tunc enim Magistratui Christiano, ex jure ejusdem circa sacra utique incumbit, reformationem su-

ſcipere, & bona Eccleſiaſtica ſacris reſtituere uſibus, quibus deſtinata erant.

Ibid. Minui ab aliis:] Scil. qui non impedit, quod potuiſſet & ex officio debuiſſet, jubere cenſetur, & cauſa efficiens moralis iſtiusmodi ſcelerum rectè dicitur.

Ibid. Modis illegitimis eadem augeri volunt:] Sive non erogando ſalaria debita & beneficia præſtanda abſorbendo, ſive injuſtè acquirendo novos reditus vel vi vel fraude &c. Videlicet non ſunt facienda mala, unde inde eveniant bona.

Ibid. Scholas & Academias non conſervant:] Salutem Eccleſiæ & Reipubl pendere ex Scholarum & Academiarum flore ad §. præcedentem diximus. Qui ergo has non conſervant, ſaltem indirectè & per conſequentiam, Eccleſiam CHRISTI & Respubl. evertunt.

Ibid. Non perficiunt:] Scil. ſi aliquid adhuc illarum defuerit flori & perfectioni debitæ. Eſt autem cujusque Scholæ perfectio æſtimanda ex fine, h. e. ex profectibus, ad quos diſcipuli vel auditores, in Eccleſiæ & Reipubl. commoda ſunt perducendi.

Ibid. Ipſorum Docentium:] Damna ab ipſis docentibus Scholis & Academiis inferuntur, ſi vel fuerint rudes, vel pigri, & negligentes, vel rixarum fautores, vel vitiis aliis dediti, vel ſi neglexerint diſciplinam, neque bonos mores cuſtodierint. Ibid.

Ibid. Vel discentium:) Damna à discentibus inferuntur Scholis, & Academiis, si fuerint negligentes, frena momorderint, luxui se dederint & prodigi fuerint, sicque magis vitiis, quàm artibus & virtutibus colendis operam suam applicuerint &c.

Ibid. Civium aliorum:] V.gr. In Academiis, Typographorum, & Exercitiorum corporis Artificum, ut sunt pugiles, saltatores. Quorum illi quidvis imprimendo, hi seducendo juventutem ad digladiationes, venerem, luxum, &c. plurimum damni haud rarò scholis & Academiis inferunt.

Ibid. Exterorum Malevolorum:) v. gr. Forum, qui privilegia Scholarum & Academiarum concidere vel evertere student; item qui convitiis & calumniis studia Scholastica & Academica affligunt &c.

Ibid. Populum in doctrina rudem:) h. e. talem, qui capita fidei & morum catechetica ne quidem satis sciat, vel penitus ignoret.

Ibid. In devotione frigidum:) h. e. negligentem in frequentandis, vel audiendis & meditandis sacris publicis, præcipuè concionibus & institutionibus catecheticis; profanum & irreligiosum in fundendis precibus ad DEUM; securum in contemtu, vel profano usu Sacramentorum &c. Talis status penè olim erat Israëlitarum, temporibus Saulis, ut David ait *I. Chronic. XIV. 3.*

Ibid. In cæteris vitæ actionibus &c.) Puta, si populus relinquatur suis cupiditatibus carnalibus, v. gr. superstitionibus & veneficiis, pejerationibus, luxui, odiis, invidiæ, scortationibus, gulæ, adulteriis, fœnori, calumniis, furtis, rapinis, defraudationibus, acediæ &c.

Pag. ead. §. V. Mandatum DEI:) Tam generale, *Rom. XII. 7. 8.* quàm speciale, *Actor. XX. 28. seqq.* Quippe quod tunc Episcopis Ephesinis singulis & junctim sumtis injunxerat Paulus, id sibi speciatim dictum sciant, quibus speciatim jam illa inspectio est demandata. Reducunt huc auctores textum *Esaiæ XLIX. 23.* ubi cura nutricia Ecclesiæ est Regibus & Principibus commissa. Conf. *Deuter. XVII. 18. 19. Josuæ I. 7. 8.* ubi conservatio cultus divini est Magistratibus fidelibus Israëlitarum injuncta &c.

Ibid. Piorum Regum in V. Test.:) Davidis, Viri ad cor DEI, *II. Samuel. VI. VII. I. Chron. XIV. XVII. XXIII. XXIV. XXV. seqq.* Salomonis *I. Reg. V. VI. seqq.* Ezechiæ *II. Chron. XXIX.* Josiæ, *II. Reg. XXII. XXIII.* &c. & *II. Paral. XIX. 8. 9. 10.* quem locum pro constitutione Consistoriorum graviter urget *B. D. Mengering. cit. loc. pag. 516.*

Ibid. Imperatorum:) *Constantinum Magnum* hoc nomine passim videas laudatum. Hoc coëgit Synodum Nicænam, ut consuleret Ecclesiæ: *Theodosius Major*, Constantino-

tinopolitanam Synodum instituit & sic reliquas Synodos semper Imperatores indixerunt, donec tandem Pontifices Romani illam curam eripe-rent Imperatoribus & sibi vindicarent. Quid? Ipsum Pontificem Romanum non modò Impera-tores & principes partim donarunt variis bonis, quibus abundat, partim ut sibi acquireret, con-cesserunt; sed etiam Phocas, Imperator, utique meruit dici Conditor Pontificis, ein Pabstma-cher / quia Episcopo Romano universalitatem Episcopalis, seu, ut caput omnium Ecclesiarum esset, primus indulsit: Ut adeo meritò pudere debeat eos, qui indignè ferunt, si jure Episcopa-lia cum jure Territorii, apud Nostrates videant connexa.

Ibid. Principum in V. Test.) Ex re-centiorum historiis eminent in Nostra Ecclesia Evangelica, *Fridericus* Sapiens, Elector Saxo-nicus, ejusque Successor *Johannes*; Item *Erne-stus pius*, Dux Saxo Gothanus &c. Quorum merita in Ecclesiam nostram longè illustrissima fuerunt.

Ibid. Muneris Episcopalis dignitas:) Dignitas patet, quia vices DEI gerunt, qui mu-nere Episcopali funguntur, & quia ab hac fun-ctione, salus tàm Ecclesiæ, quàm Reipublicæ or-dinariè pendet.

Ibid. Reddendæ de eo ratione Gra-vitas:) Quippe quò dignius & majoris mo-menti est officium hocce, eò cantius debet tra-

ctari & majori cum curâ geri; & eò gravius delinquitur, si vel neglectum vel perperam administratum fuerit. Pertinet huc enim utique illud Christi *Luc. XII. 48. Cuicunque multum datum est, ab eo multum requiretur.*

Ibid. Præmia:] Tam temporalia, quod docent exempla Regum piorum Judaicorum quibus DEUS benedixit ob Episcopalis jura rectè administrata, v. gr. Hiskiæ *II. Chron. XXXI. 21.* quàm æterna. Nec enim sunt Episcopi excludendi, si ritè se gesserint, à benedictione illa & promissione præmiorum *Dan. XXII. 3.* quia ipsi ad opus, cui promissio facta est, solenniter concurrunt.

Ibid. Totius Ecclesiæ ac Reipublicæ utilitas:) Videlicet salus æterna & temporalis subditorum & provinciarum, imo Regnorum aliquando integrorum, pendet ex hoc officio ritè administratio. Certè si ullibi, hic valet illud tritum: *Qualis rex, talis grex.*

Ibid. Ipsis peccantibus metuenda:] Quò enim gravius delinquunt, qui delinquunt in tanto munere, & quo plurium cum damno temporali & æterno hac in parte peccatur; eò gravius hoc pacto peccantes meritò & justè puniuntur.

Ibid. In totam Ecclesiam:] Episcopi, quo suo desunt officio, & vel falsa dogmata vel vitia alunt, vel Scholas & Academias corrumpi sinunt, vel non fovent, non sibi solum, sed toti

toti Ecclesiæ calamitatem pariunt longe maximam. Idem de Republica esto judicium, quia nulla respublica sine vera Religione & bonarum literarum cultu verè felix persistere potest.

Pag. ead. §. VI. Accurata consideratio:) Accurata autem erit, si fiat (1.) ad fusas preces pœnitentes & humiles (2.) ad juge verbi divini scrutinium, (3.) ad experientiam ipsam.

Pag. 530. §. eod. Eventuum--investigatio:) Hæc investigatio non absolvitur solâ cognitione eventuum, sed quam maxime requirit omnium circumstantiarum excussionem & ex his investigationem causarum, quæ nunc hos, nunc illos pariunt eventus. Secus si fiat, nuda eventuum notitia parum proderit, cùm sæpius minima, ut videbatur, circumstantia possit variare totam rem.

Pag. ead. §. VII. Persuasio de negotiorum Ecclesiasticorum facilitate:) Hoc præjudicium multos seculares corrumpit & prorsus ad Ecclesiastica tractanda ineptos reddit. Qui enim consueverunt Ministerium verbi & Scholas contemtui habere, non possunt non etiam causas huc pertinentes abjectè tractare, & ita plurimis delinquere viis.

Ibid. Improba Status ratio:) Ratio Status improba est, quando homines mundani & carnales non modo negotia sua civilia ex seculi more & amore potius, quam ex populi salute æstimant; verum quoque ita Religionem & Statum Ecclesiæ corrumpunt, ut iste illorum sceleribus & concupiscentiis, si non inserviat, saltem non obsit vel repugnet.

Ibid. Nimia credulitas:) Fides in laude ponitur in negotio Religionis, non verò credulitas, quæ quidvis sibi persuaderi patitur, maxime in rebus, quæ ad salutem publicam, imò æternam spectant. Confer exemplum Josuæ & Seniorum satis triste *Josuæ IX. 6. 14. &c.*

AD CAP. I.

SECTIONEM IX.

DE OFFICIO PATRONORUM CERTARUM ECCLESIARUM.

Pag. 530. §. I.

Cùm eam olim fieri consveverit :) Videlicet Justiniani Imperatoris ævo. Vid. *Schilter. cit.loc.libr.I.Tit.XIII. §.III.p.* 184.

Ibid. Gratitudinis referendæ causa :) *Jus Patronatus* locum extra causam fundationis & dotationis non inveniebat, adeoque cæteroquin electio omni populo & clero libera manebat. *Schilt. c.l. §. VI.p.* 186. Hinc distinctio Ecclesiarum in *liberas* & *Patronatas*. *Ungepauerus* in *Comment. super Decretales libr. III. Decretal. de Jure Patronatus Tit. XXXVIII. p.* 466. Jus Patronatus definit, *quòd sit Jus præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vocans, fundatoribus Ecclesiæ, aliisque similibus personis competens, ut tanto propensiores reddantur ad obstringendas sibi similibus beneficiis Ecclesias.* Hanc definitionem cit. loc. pluribus explicatam lege.

Ibid. Tota Ecclesia :) Tota, non universalis Ecclesia. Est verò etiam quælibet Ecclesia particularis tota, quatenus ex tribus statibus hierarchicis constat.

Ibid. Jus nominandi :) Nominare seu præsentare possunt Patroni ad Ministerium vel beneficium Ecclesiasticum aliquem, non autem conferre ipsum Ministerium vel beneficium ; quod Episcoporum est. Conf. *Schilt. cit. loc. §. XXVII. p.* 203. 204. Observa tamen quòd qui distinctiùs hanc materiam tractant, monere soleant, quòd Jus Patronatus tres particulas regulariter ex observantiâ Nostrarum Ecclesiarum habeat, scil. *Jus Nominandi, Eligendi & Præsentandi*, itemque *Vocandi* : inter quas particulas Essentiam Juris constituit *Præsentatio & Electio* ; Jus autèm Nominandi & Vocandi à Jure Patronatus abesse & ei adesse possunt, ut adeo à Jure præsentandi & eligendi ad Jus Patronatus valeat

valeat consequentia, non autem à Jure Nominandi vel Vocandi; Cùm utrumque aliquando alii, quàm Patrono competat, ut docet *Schilter. cit. loc. §. VII. & seqq. p.* 187. 188. 189. Qui idem §. *XII. p.* 290. monet, plura etiam aliquando ad Jus Patronatus referri posse, quæ tamen non fluunt ex natura ejus, sed ex pactis, aut legibus, aut præscriptione.

Ibid. Patroni Ecclesiæ:) Nomen ex Jure Civili ad forum Canonicum translatum est. Quemadmodum enim olim domini per manumissionem servorum Jus Patronatus consequebantur, quod in honore & reverentia consistit, quam libertus pro beneficio manumissionis patrono debet, & ut patronum ejusque liberos egentes de suo alat libertus, si habeat, unde faciat; ita etiam Ecclesiæ ædificatione, aliisque modis, jus patronatus jure canonico consequimur. *Ungepauerus cit. loc.* qui pag. 468. pergit: *Tres sunt modi, cæteris frequentiores, quibus Jus Patronatus acquiritur, videl. fundatio, Ædificatio atque dotatio juxta versiculum:*

Patronorum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Quæ tamen tria conjunctim non requiruntur, quia potest unus fieri patronus ratione fundationis, alius ratione constructionis, alius ratione dotationis. Exinde factum est, ut unius Ecclesiæ Patroni plures essent. Vid. *Schilt. cit. loc. libr. I. Tit. XIII. §. XVI. p.* 139.

Pag. 531. §. eod. Deligant personas:) Electio & Præsentatio juris patronatus essentiam ingrediuntur. Itaque de officio Patronorum est, ut in electione utantur, non abutantur, suo jure, hoc est, sciant, Electionis suæ mensuram esse debere, non affectus suos, vel arbitrium, vel privata studia, sed utilitatem & salutem Ecclesiæ & Scholarum, quæ exposcat tales ministros, qui ad Ministerium obeundum, ut & adjuventutem informandam, necessariis donis & requisitis sint instructi. *Schilt. cit. loc. §. XXIII. XXIV.* Conf. *B. D. Mengeringii Scrutinium Conscientiæ Catechet.* (edit. 1687.) pag. 1407. §. II. ubi recenset Officia Patronorum in eligendis pastoribus. Eandem materiam tractat pag. 510. 511. Quanquam, si *indigenæ* idonei adfuerint, hi utique debeant peregri-

nis

nis præferri, ut hi incitentur ad bonas artes. Vid. *Schilter. cit. loc.* §. *XX.* Præterea, quantum fieri potest, promotio observet gradus, ita ut ab inferioribus officiis ministri promovendi surgant ad superiora, nisi singularis aptitudo saltum aliquem suaserit. Est enim è re Ecclesiæ, ut exercitati, superiora officia aggrediantur. Conf. *Schilt. cit. loc.* §. *XXI.* Veteres tamen canones prohibuerunt, alterius Diœceseos ministros solicitari. *Idem* §. *XXII.* Electionem præterea faciat secundum consuetudinem, leges, pacta &c. neque excludat ab Electione, si qui forte habuerint *Jus Nominandi*, vel si Superintendens fuerit eidem alicubi in hoc negotio adjunctus. Ubi præsentatio electi fieri debet ad examen & consecrationem; itidem par est, ut observentur leges, consuetudines, transactiones, ne aliorum violentur jura. Modus præsentandi consistit in tribus. Nam (1.) debet fieri *gratis*, (2.) *actualiter*, sive ita ut præsentatus vel instituendus præsens coram Episcopo compareat, (3.) justo & legitimo tempore. Vid. *Ungepaur. cit. loc. p. 479.* Præterea formula præsentandi hæc non debet esse: *Præsento Vobis clericum, cui Ecclesiam concessi, vel contuli*, sed potius eam oportet esse talem: *Hunc clericum elegi Vobis præsentandum*, vel saltem simili modo conceptam &c. *Schilt. cit. loc.* §. *XXVII.*

Ibid. Quantum in se est, defendant:) Jus Patronatus & *Protectionis* aliàs differunt, licet Patronus quoque *Defensor* & propugnator Ecclesiæ, quam fundavit, vel dotavit, dicatur. *Schilter. cit. loc.* §. *XII. p. 290.*

§. II. Quasi pro imperio:) Scilicet omnis feritas ex infirmitate est, & quò quisque est indoctior & impotentior, eò est impudentior. Sæpius ergo, cùm nec sua, nec aliorum jura istiusmodi homines intelligant, modum excedunt, & *vel* consilia sana cleri, populi, aliorumque cordatorum monitorum respuunt, iisque sese opponunt, rati, se sic sua probare jura & suam auctoritatem; *vel* etiam jura ipsa Episcopolia violant & plus sibi arrogant, quàm habent.

Ibid. Conditiones difficiliores & incongruas:) v. gr. Nuptias certas, vel attenuatum salarium,

nium, vel omissionem Elenchi &c. Digna lectu est Epistola *B. Luther.* Anno 1543. perscripta, quæ *tom. VIII. Jenens. Germ. fol. 107. seqq.* exstat : In qua graviter invehitur in illos Nobilium, qui ferre nolunt Elenchos Morales. Hoc nomine aliquando *Reverſales*, quas vocant, postulant: de quibus autem tenendum monitum *Schilteri cit. loc. §. XXV. p. 202. Reverſales ab eligendo Patronus exigere nequit, quibus ſibi eum ultra effectum juris patronatus obliget.*

Ibid. Bona Ecclesiastica attenuari :) Sunt quandoque Rubi Rosetorũ veterascentium, qui omnia decoquunt à majoribus ipsorum profecta ; *vel* ex avaritia concidunt bona Ecclesiastica, ob quæ Patroni audiunt; *vel* ex negligentia, aliquando etiam ex ruditate bonis Ecclesiasticis desunt & hisce damna inferri patiuntur. De reliquo licet aliquando in casibus extremæ necessitates quædam usibus sacris dicata alienare, quod ostendit *B. Mengering. cit. loc pag. 1408.*

Pag. ead. §. III. Ut quisque in vocatione sua maneat :) *Rom. XII. 7. §. I. Corinth. VII. 20.*

Ibid. In Sermonibus Parentalibus :] Maxime Concionibus Funebribus, & his addi solitis curriculis vitarum. Ex sacris huc referri quodammodo potorit ille Centurio, quem ut Synagogæ suæ fundatorem laudant Judæi, *Luc. VII. 4. 5.*

Ibid. Dignitas & honor :) Efficit quippe jus Patronatus inter alia, ut tribuatur Patrono honor & locus primarius in publicis actibus atque processionibus. *Ungepauer cit loc pag. 466. & p. 481.*

Ibid. In casu necessitatis extremæ :) Ut olim libertus Patronum & ejus liberos egentes in casu necessitatis tenebatur alere, si facultatem ipse habuerit; ita in casu inopiæ, Patrono & liberis, pro modo reditum & dignitate personæ suppeditantur alimenta, *Ungepauer cit. loc.* Huc pertinent versiculi *ab Ungepauero citati pag. 481.*

Patrono debetur honos, onus, utilitasque
Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus.

Ibid

Ibid. In ecclesiam liberalibus:) Secundum illud *Matth. X. 41. 42.*

Pag. 532. §. ead. Jus Patronatus perdi potest:) Propter delictum partim, partim propter alias causas amittitur jus Patronatus. Et quidem propter delictum, si Patronus hæreticus factus sit, vel crimen Majestatis commiserit, vel rectorem aut clericum alium Ecclesiæ per se vel per alios occiderit, aut mutilare præsumserit. *Ungepauer. cit. loc. p. 487.* Aliæ causæ sunt destructio Ecclesiarum, cessiones &c.

Pag. ead. §. IV. V. Media. Impedimenta:) Hæc jam alibi explicata fuerunt: applicatio verò ad negotium præsens κατ' ἀναλογίαν facilis est.

Ad CAP. I.
SECTIONEM X.
DE OFFICIO CONSISTORIALIUM.

Pag. 532. §. I.

Judicia Ecclesiastica:) Causæ Ecclesiarum publicæ in Synodis vel extra ordinem, vel statis temporibus indictis: privatæ in Judiciis & Conventibus ordinariis atque perpetuis ventilantur. Appellantur hæc jure Romano *Episcopalis Audientia, Episcopale Iudicium*, Moribus vero. *Consistoria & Iudicia Ecclesiastica.* Verba sunt *Schilteri cit. loc. libr. I. Tit. V. §. I. p. 62. 63.*

Ibid. Præses & Assessores:) *Personæ, qui ut Senatores aut Iudices adsident, Divini & Humani juris, imprimis verò Ecclesiastici debent esse periti, quippe ex quo causæ hic tractandæ veniant. Hinc optimum institutum, ut Assessores sive consiliarii partim Theologi, partim Politici constituantur. Schilt. libr. I. Tit. V. §. V. p. 65.* Probari hoc solet ex *II. Paral. XIX. 8. 9. 10.* in quem locum confuse *Mengeringius. cit. loc. pag. 516.*

Ibid. Habitâ diligendi circumstantiarum ratione:) Ante omnia enim debet Species Facti & ipse casus plene erui, ne quid ratione momentorum expendendorum desit. Ibid.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0582
DFG

Ibid. Ad normam verbi divini :) Hæc quippe in negotiis sacris unica, certè suprema regula est: prout ex Positivis notum.

Ibid. Librorumque Symbolicorum :) Quo nomine veniunt *scripta publica Ecclesiæ nostræ, quæ Statuum protestantium autoritate, ex verbo DEI, per pios & doctos Theologos fuerunt adornata; partim ut ipsi religionis suæ rationem Cæsari & orbi Christiano redderent; partim ut formulam credendi, docendi, confitendi & agendi suis Doctoribus & auditoribus præscribens; ac adeo demonstrant publice quantum ab hæreticorum & Schismaticorum placitis vera nostra antiqua ac Apostolico-Catholica distaret Religio.* Dn. Rechenberg. in Append. ad libros Symbol. p. 1.

Ibid. Constitutionum Ecclesiasticarum :) Quæ solent vel de rebus indifferentibus ferri in Ecclesia, vel quibus quæ juris divini sunt, repetuntur, & denuo inculcantur à Magistratibus Ecclesiasticis.

Ibid. Secundum conscientiam :) Rectè videlicet *partim* in specie facti & ipsa causa dijudicanda, *partim* ex verbo divino & jure Ecclesiastico informatam.

Ibid. Vota :) Hoc est Sententiæ, quas quisque Assessorum fovet, vel judicium, quod de causa dijudicanda fert.

Ibid. Libere :) Adeoque prorsus, uti sentit, & ex Norma præscripta, de casu judicat, citra dissimulationem; ex quacunque etiam causa hæc ortum traxerit.

Ibid. Modestè :) Hoc est ita, ne rectiùs sentientibus pertinaciter & temere resistatur, vel opinio singularis cum impetu & ex affectuum carnalitate propugnetur, adeoque victoria magis, quam veritas quæratur.

Pag. 533. §. eod. Sententia :) h. e. Judicium, quod per plures, vel etiam omnes Assessores de re dijudicanda latum fuit.

Ibid. Legitimè publicetur :) Sive illis, quorum interest noviisse, decenter & tanquam ex officii ratione insinuetur & proponatur.

Ibid.

Ibid. Exsecutio decens:) Decens exsecutio est, quæ ordinem servat observandum. Exsecutio autem hæcce si defuerit, sententia lata recte habebitur pro campana sine pistillo.

Pag. ead. §. II. Quæ alterius fori sunt:) Ut Civiles, Criminales &c.

Ibid. Otisè ac securè & superficiariè:) Videlicet nec rectè prius inquirendo in speciem facti, nec omnia satis expendendo, & cum norma, secundum quam judicium fieri debet, accuratè conferendo &c.

Ibid. Pro suo ingenio atque arbittio:) Quasi nempe suum, non autem DEO judicium exercerent.

Ibid. Contra Conscientiam:) Puta rectiùs, quàm sententia fertur, ex facti specie & verbo DEI atque Legibus Ecclesiasticis informatam.

Ibid. Suâ morositate:) Dum videlicet suæ sententiæ adeo pertinaciter & importune inhærent & aliorum vota insectantur, ut hi malint suam premere sententiam, quàm promendo ciere rixas.

Pag. ead. §. III. Eadem fere sunt:) Quia videlicet Consistoria ab Episcopis instituuntur, ut in causis sibi demendatis, Episcopi instituuntur, ut in causis sibi demendatis, Episcopi munus, etsi dependenter ab Episcopo, exsequantur.

Pag. ead. §. IV. Cumprimis in ipso exercitio:) Hæc quippe observatio practica est, & habitum practicum prudentiæ Consistorialis nobis ingenerat, nosque habiles reddit ad ipsam praxin feliciter suscipiendam: cùm peritia extra exercitium acquisita sæpius plus juvet discursum, quàm praxin. Hoc tamen certum est, peritiam rerum gerendarum ante accessum ad ipsum munus, rectè delibari ex scriptoribus practicis, maximè iis, qui non tam abstracta præcepta, quàm exempla tradunt.

Pag. 534. §. V. Ignorantia rerum gerendarum:) Perperam quippe agunt, qui res tanti momenti, sine præparatione decente aggrediuntur, &, cùm nec principia Theologica satis teneant, nec practicos evolverint, sicque mentem suam ad talia tractanda non perfecerint, attamen sententiam dicere audeant.

AD

AD PARTIS TPECIALIS

CAPUT II.

De Statu Politico & officiis Hominum, ad illum pertinentium.

SECTIO I.

De RECTA PRÆPARATIONE AD MVNVS MAGISTRATVS CIVILIS, PRÆSERTIM GRAVIORIS, DIGNE ET VTILITER OBSERVANDVM.

Pag. 534. §. I.

IN multas societates divisô genere humanô:] Non solùm multiplicatio generis humani in plures societates divisi, sed etiam illa indigentia universalis, in quam homi-

nes per lapsum devenerunt, præsupponenda vi detur, antequam ille instinctus naturalis ad ineundam societatem Civilem rectè probari possit. Aliàs uti natura omnes producit pares & libertatis ejusdem, ita non ipsa, quàm corruptio & inde nata indigentia generis nostri adegit pridem homines & hodienum adigit, ut libertati, in qua naturaliter nascuntur, renunciare malint & societatem Civilem consentire, quàm extra hanc omnium nequitiæ expositi esse & illis carere commodis, quæ pro indigentia & partim etiam cupiditatibus explendis, Societates Civiles adferunt. Fusè hæc & doctè probat Illustris quondam *Buffendorffius*, de *Officio Hominis & Civis libr. II. cap. V. p. m. 251. seqq.*

Ibid. Rectam rationem suadere:] Positâ illâ hominum indigentiâ, petulantiâ, ferociâ, satis evidens est, majora hæc esse mala, quàm ut per sociatates naturales minores, conjugialem, paternam, herilem, vinci queant. Majori ergo vi, majori societate, quæ Majestatis usu animaretur, opus erat. Sapit ingenium illa laudati *Pufendorfii* conjectura in *Introduct. ad Historiam Regnorum & Statuum potiorum in Europa cap. 1. §. 1.*, quòd barbaries extrema totius generis humani ante diluvium ortum traxerit ex defectu Societatem Civilium, quarum ope potuisset tantæ corruptioni universali obex poni. Indubium ergo est, Rationem rectam pro statu Generis humani præsenti, qui non tam

ex

ex natura hominis, quàm ejus lapsis fluit, dictare, ut Societatem Civilem colamus, & libertati nostræ naturali, quæ nobis, rebus sic stantibus, nihil nisi exitium allatura esset, renunciemus.

Ibid. Voluntatem suam revelasse:) Dicta scripturæ hanc in rem plana sunt, *Proverb. VIII. v. 15. Rom. XIII. 1. Deut. I. 7.* Quod autem *I. Petr. II. 13.* Magistratus dicuntur *creatura humana*, id cum grano salis accipiendum est. *Vel* enim ita dicitur, quia *hic aut ille singularis modus potestatis aut gubernationis non est à DEO determinatus, sed ab hominibus* (ut vult *Guil. Amesius in Explicat. Analyt.* ad h. l.) *vel* quia principatus ab hominibus & in humanis exercetur, prout *virga hominis* dicitur, qua homines castigat Deus *II. Sam. XII. 14.* & tentatio humana, qua eos idem tentat *I. Corinth. X. 13.* Conf. *B. König. Casus Catechet. Cas. I. de Statu Polit. pag. 708.*

Ibid. Ut sit ordo Imperantium & parentium:) Accipienda hæc sunt de ipsa potestate Civili, non autem de modo potestatis, an videlicet forma potestatis vel gubernationis esse debeat Monarchica, an Aristocratica, an Democratica &c. Non enim has formas gubernationum inter gentes instituit DEUS, sed hominum arbitrium.

Ibid. Qui Christiani dicuntur:)

Est hæc nostratium thesis contra Anabaptistas, contra quos pluribus disputat *B. Königius. cit. loc. à p. 702. ad p. 710.* ubi fuse hanc quæstionem solvit: *utrum aliquis bona cum conscientia gerere possit Magistratum Politicum.*

Pag. 531. §. 11. Munus Magistratus Politici:] Tam summi, penes quem jura Majestatis sunt, quàm inferiorum, qui Magistratui superiori subsunt; eorum autem respectu, titulo Magistratus gaudent, quibus à Magistratu superiore præpositi sunt. Hæc latior vocis acceptio in Scholis Theologorum valet; licet in Scholis Politicorum ferè Magistratus strictius accipiatur pro potestate inferiore. Vid. *B. Auctor in Theol. Posit. cap. de Magistr. Polit. §. 1. not.* (*b.*) Significationem hanc laxiorem didicimus ab Apostolis, *Petro I. Epist. II. 13. 14.* & *Paulo Rom. XIII. 1. seqq.*

Ibid. Accessori aut admovendi sunt:) Alii nempe sponte hoc vitæ genus eligunt & ad illud adspirant; alii jure hæreditatis admovendi sunt vel ad imperium summum, vel ad majoris momenti munera Politica: Utrosque pia præparatio decet.

Ibid. Pietati studeant:) Princeps hæc est Principum & Magistratuum virtus. Est verò Pietas, si absolutè sumatur, Religiosus in Numen supremum & res divinas, ex Spiritus sancti illuminatione exorsus affectus. Porro cùm Spiritus sancti illuminatio sit petenda per pre-

preces ardentes promissionibus divinis innixas, & impetretur per quotidianam meditationem verbi divini, ut & perpetuum exercitium ad verbi Divini regulas puero institutum; facilè patet, nequiri, ut principes juventutis & alii ad Regimen Civile olim admovendi, à prima ætate ad precum ardorem, sincerum verbi divini, idque practicum studium, omni conatu inducantur.

Ibid. Justitiam:] Hæc post pietatem proxima Magistratuum & Principum virtus est. Et quippe hoc palmarium Magistratus officium, ut jus administret, hoc est, unicuique suum attribuat, bonis præmia, malis pœnas, pro ratione circumstantiarum, æquas & rectè trutinatas adsignet. Instruendi ergo sunt futuri Magistratus, (1) in Jure Divino & Humano, maximè earum, quibus olim sunt præponendi, provinciarum; (2) in forma processum, ne mala fiat juris & legum applicatio praxi.

Ibid. Clementiam:] Hæc apud Imperantes individua Justitiæ comes esse debet, secundum illud *Psalmi CI. vers. 1.* משפט חסד GRATIAM ET JUDICIUM *cantabo:* qui totus Psalmus plus quàm aureus est, & omnibus Magistratibus, unà cum B. Lutheri insigni Commentario (quem *Tom. VI. Jen. Germ.* invenies:) maximè commendandus. Est autem clementiæ, non omnia rigidè exsequi, sed pro ratione cir-

circumstantiarum, jus summum mitigare. Conf. *B. Dürrium Part. Special. Sect. II. cap. III. §. XLVI. pag. 340.*

Ibid. Humanitatem cum gravitate conjunctam:] Temperamentum harum virtutum (de quibus superius in *Part. General. III. Cap. X. sect. VIII.*) est quidem insigne, sed difficile. Gravitas familiaritatem, Humanitas parti m morositatem, partim superbiam coërcet. Sedulò igitur in id incumbendum est, ut ad hoc temperamentum, quod non Regulis, sed usu discitur, à puero futuri Magistratus instruantur.

Ibid. Prudentiam:] Prudentia est, quæ voluntati hominis in singulari monstrat, quid hic & nunc agere & non agere conveniat. Conf. *Auctor. beatum in Proleg. §. II. pag. 14.* Hic ergo habitus itidem non per regulas, sed per usum & experientiam, & exempla potius, quàm per præcepta tradi & acquiri potest.

Ibid. Liberalitatem:) Hæc est una Virtutum Christianarum communium, de qua in parte Generali inter officia circa bona fortunæ passim. Intelligitur autem hic loci itidem habitus quidam non Theoreticus de Liberalitate, sed Practicus ipsius liberalitatis, qui crebris actionibus & jugi exercitio discendus venit. Simile judicium esto de FORTITUDINE, TEMPERANTIA & reliquis virtutibus, quæ partim ex Scholis Ethicis Philosophorum, partim ex Theologiæ Moralis parte Generali jam clarent.

Pag.

Pag. ead. §. III. Atheismo aut superstitione corrumpi se patiantur :] *Atheismus* duplex statuitur, *Theoreticus* & *Practicus* qui etiam *Epicureismus* audit. Porro sunt, qui Atheismi nomine comprehendant *Naturalistas* strictè tales, hoc est, contemtores Revelationis divinæ supernaturalis, & præcipuè Scripturarum Divinarum; unde etiam nonnunquam *Anti-Scripturarii* appellantur. Hæc pestis opponitur Religioni seu pietati in defectu. *Superstitio* est superius explicata inter vitia officiis Christiani Hominis circa DEUM opposita, & quidem quasi in excessu. Pertinet huc, quando vel DEUS verus planè non, vel saltem verus DEUS non ita colitur, prout se coli præcepit. His ita monitis, nunc facilè constat, quodnam delictum, imo scelus, hîc Auctor beatus damnet. Nempe quando futuri principes vel magistratus in principiis religionis veræ & salutaris *vel* negliguntur & suæ carnali indoli relinquuntur, *vel* planè oppositis opinionibus & sententiis imbuuntur, ita ut de DEI existentia, de providentia DEI, de animæ immortalitate ad judicio extremo, de veritate Scripturarum & aliis pietatis fulcris vel dubitent, vel iisdem omnino contradicant. Item quando est falsas Religiones facilius, quàm ad veræ cognitionem institui & fortè per Splendorem, Voluptates, Reditus temporales & similes technas atque illecebras,

quibus Satanas & organa ejus, veritatem cœlestem, maximè ex Principum & Magistratuum pectoribus emovere laborant, excæcari permittuntur.

Ibid. Segniores & frigidiores:] Hoc vitium & morem corruptum fusè describit *B. D. Mengeringius in Scrutin. Conscient. Catech. pag. m. 1457. seqq.* Ein *Politicus* ait, ist offt von Jugend auf ein Zärtling und Mutter-Söhngen/ wird gehätschelt und verzogen in sinu matris; der Præceptor muß ihm seinen Willen lassen/ und darf es nicht scheel ansehen/will er Gunst im Hause und Hofe behalten/wanns Hänsichen oder Töffelgen nicht eben ist in die Schule zu gehen/so hat er Ferien, bleibet daheim/ schlägt sich oder spielet und zancket mit Muhmen und Mägden/oder tantzet auff der Gassen herüm/da wird an andächtiges Gebeth und fleißige Lesung der Bibel wenig gedacht/ ja man lässt sie lieber im Marcolph, Eulen-Spiegel/Claus-Narren/im Amadis/Octaviano, Tristant/Melusina und dergleichen Büchern lesen als in der Bibel. Ich will keinen Pfaffen aus meine Sohn ziehen/sagt der liebe Pater/die liebe Mutter. Vide quæ plura cit. loc. sequuntur.

Ibid. In actionibus externis levitate sese polluant:] Actiones externæ hic dicuntur in ordine ad præcedens vitium, quod pietati oppo-

opponebatur. Quemadmodum enim pietas & Religio præcipue consistit in affectu Cordis interno, ita tamen, ut externus cultus non excluditur; sic à contrario illa vitia, levitas, injustia, superbia &c. præcipue in actionibus externis vitæ humanæ attendi solent, non exclusa tamen interna pollutione cordis, ex qua oriuntur, & de qua, tanquam fructus, de radice restantur. De reliquo satis jam in parte Generali de his vitiis suo ubique loco dictum fuit. Hoc tantùm addimus, quòd hæc omnia vitia tantò deteriora sint in principibus & Magistratibus, quàm in hominibus privatis, iquantò miserius affliguntur integra Regna, provinciæ, territoria &c. si Magistratus illis fuerint, & quidem habitualiter, ita ut in actiones externas erumpant, contaminati.

Ibid. Solidioris prudentiæ defectu:] Solida prudentia deest non modò hominibus stupidis & rerum agendarum imperitis, sed etiam callidis & technarum malarum cultoribus.

Pag. ead. §. IV. Mandatum DEI:] Pietatis studium Magistratibus populi Judaici in Lege Mosis graviter inculcatur, & vel inter præcipua & primaria requisita ponitur *Exodi XVIII. 21. Deuter. XVII. 18. 19.* Confer. *Jos. I. 8. Psal. II. 10. 11. 12. Sap. I. 2. &c.* Justitia Regibus & principibus præscripta est *Exodi XXIII. 7. 8. Deut. XVI. 18. Esaiæ I. 17. 23. 24. 1099. Mich. III. 1. Jerem. V. 4 5. Prov. XX 8. 20 XXV. 5. &c.* Conf.

Rom. XIII. 1. 2. 3. 4. unde facile intelligi potest, DEUM ab omni Magistratu requirere pietatem & justitiam. Clementia Regibus commendata habetur *Proverb. XX. 28. Misericordia & veritas custodiant Regem & fulcit Clementia solium ejus.* Conf. *Psalm. CI. 1.* Reliquæ virtutes divinitus Magistratibus præscriptæ colligi possunt quam optimè ex loco classico *Deuter. XVII. 16. 17. seqq.* Conf. *Rom. XII. 8. Luc. XXII. 25. &c.* Adde quæ habet *Heixo Buscherus in Ech. Christ. libr. III. Loc. III. cap. II. pag. 156. 157.*

Ibid. Exempla laudabilia:] Inter omnia Imperantium exempla est nullum illustrius, quam *Davidis*, quod etiam fuse describitur in *Libris Samuelis:* unde patet, quomodo & quibus exercitiis tam ad imperium præparari, quàm in ipso imperio perfici debeant Magistratus. Alia exempla bene imperantium habentur in *libris Regum & Paralipomenorum.* Ex antiquitate Ecclesiastica laudare solent Constantinos Magnos, Theodosios, &c. ranquam Magnificentiæ. Pietatis, Justitiæ, exemplaria viva. Vide quæ de Constantino Magno *libris quinque* tradidit *Eusebius.* De Theodosio juniore *Socrates libr. VII. Hist. Eccles. cap. XXII.* multa egregia narrat.

Ibid. Ipsam functionis rationem:] Vinculum Societatum, præcipue illarum magnarum, est pietas, Religio. Justitia &c. Sine his

his non potest stare Regimen. Id quod pluribus confirmat *Lamb. Danæus in Polit. Christ. libr. I. Cap. II. pag.* (edit. secundæ) *11.12.* Confer quem supra laudavimus B. Lutheri commentarium ad *Psalmum CI. tom. VI. Jenensi Germ.* Porro, cum certum verbum sit, *talis Grex, qualis Rex*, facile intelligitur, vel ideo debere Reges, Principes & Magistratus formari ad pietatem, justitiam, temperantiam, fidem &c. ne per ipsos impietas, injustitia, intemperantia, & alia vitia subditis persuadeant, inculcentur, obtrudantur. Huc pertinentur dicta *Sirac. X. 2. Proverb. XXIX. v. 12.* Auctor beatus illud præcipue urget, quod Functio ipsa Magistratus velut in Specula quadam collocarit, in quos omnium conjiciantur oculi, ita ut eorum & gloria, si meruerint, & infamia, si hac se polluerint, latissime effundantur & æternitatem memoriæ consequantur: quod aliorum hominum virtutibus & vitiis non æque facile obtingat.

Ibid. Utilitatem:] Aristoteles libr. V. Polit. c. XI. & Cirus apud Xenophontem observarunt, Pietatem reddere Magistratus tutos ab insidiis. Conf. *B. Dürrium cit. loc p. 318.* Commoda, quæ ex pietate hauserant *David, Salomon*, & alii piorum Regum Judaicorum, edocent *libri Samuelis, Regum & Chronicorum* passim. Repete huc dicta *Proverb. XX. 28. Esaiæ I. 17. 18. Jerem. XVII. 24. 25. 26. &c.*

Ibid.

Ibid. Damna:] Damnorum ex impietate & neglecta religionis, Justitiæ, Clementiæ &c. ortorum plura sunt exempla, quàm ut possint numerari. Quas calamitates non attraxit sibi *David* injustitia & intemperantiâ, & postmodum superbia *II. Sam. XII. 11. 12. cap. XV. XVI. XXIV?* Quas non amore mulierum Salomon? quas non Rehabeam furore & imprudentia *I. Reg. XI. v. 11. seqq. cap. XII. 18. 19.* quas non Menasses? Achab? & alii. Omnibus autem exemplo tristi esse potest & debet natio judaica, quam DEUS per omnes dispersit gentes & populos, secundum suam comminationem in Lege Mosis scriptum *Deuter. XXVIII 64. 65. 66.*

Pag. ead. §. V. Quotidiana consideratio:] Puta practica, non mere speculativa, prout alibi ostendimus.

Ibid. Conversatio:] Scilicet ex conversatione cura hominibus pus, justis & probis facilius addiscamus pie, juste, temperanter &c. vivere, quàm ex infinita mole librorum. Praxeos quippe media sunt præstantissima, exercitium sive experientia & viva exempla eorum, qui & suarum actionum rationes reddunt, & modum agendi ostendunt, & nostros defectus notant & practice corrigunt.

Ibid. Actionum quarum vis &c.] Principibus Juventutis & aliis ad Imperium instituendis inculcari debet, aliorum hominum quas

quasvis actiones cernere DEUM, sed orbem humanum negligere; Principum autem & Magistratuum gesta omnia & singula non modo DEUM cernere. sed simul etiam universum orbem: unde ad omnia sua debeant, non nisi caute, sobrie & recte præparati accedere, DEUM quippe & orbem actionum suarum judices simul & testes habituri.

Pag. 536. §. eod. In cognoscendo Statu ejus cœtus:] Etsi utile sit, si Magistratus teneat moratorum populorum omnium ritus, mores, leges. indolem; nullius tamen magis cognoscere debet, quam illius cœtus, cui præesse tenetur vel exopiat. Curandum ergo ut addiscat statum tàm publicum, quàm privatum, h. e. Leges societatis fundamentales, formam Regiminis, redituum publicorum fontes, consuetudines, indolem gentis, singulorum etiam vel saltem plerorumque tàm officialium, quàm subditorum dotes, opes &c. Hinc Chronicorum & Constitutionum Lectio, item solennitarum notabiliorum, idque genus similium conspectus præsens utique etiam rationem mediorum hic loci habent.

Pag. ead. §. VI. Neglectus motivorum:] Negligunt autem motiva non tantum qui plane insuper habent, sed etiam qui mere speculative procedunt, scholæ magis, quàm vitæ se commendantes.

Ibid.

Ibid. Imperandi libido:] Hoc malum nec præparationem sufficientem & honestam nec legitimum ingressum ad Imperium perfert, sed animos tanquam œstro percitos subinde in transversum agit, ut vel mediis illegitimis potius, quam honestis inhient atque studeant, vel legitimis non satis dextre & legitime utantur, vel imperium antequam idonei & recte præparati fuerint, involent & arripiant.

Ibid. Conversatio cum hominibus malis:] Exemplo funesto Rehabeami, cui Consiliarii juvenes, qui cum ipso adoleverant, ejusque erant familiares sodales, pessime consuluerant *I. Reg. XII. 8. seqq.* Omnium maxime autem corrumpunt animos conjugia & affinitates cum heterodoxis & perversis mulieribus familiisque initæ: id quod constat ex pernitie Salomonis *I. Reg. XI. 1. seqq*, Achabi *cap. XXI. 25.* Achasiæ *II. Reg. IIX. 27.* Hinc Davidis Introductio Magistratuum ad imperandi artem, *Psal. CI. 3. seqq.* nihil æque repellit à limine Principum, quàm homines perversos, hypocritas, mendaces, dolosos &c.

Ibid. Quæ privatum magis decent: [Ut si quis ad imperium evehendus talia discat, quæ nihil aut parum faciant ad officium Magistratus recte & decore gerendum. Sic perdunrur principes Juventutis, quando v. gr. apicibus Criticis, Grammaticis, speculationibus supervacuis Sophistarum, vel etiam artibus illiberalibus, item sal-

saltationis, venationibus &c. immerguntur, ut hisce rebus se totos tradant, quibus tamen parum imperiis, regnis, provinciis & saluti subditorum consulitur. Etsi enim non improbemus operam secundariam, sicubi fieri possit, huic quoque generi rerum commodatam: maximo tamen sunt impedimento, si qui imperare olim debent, ista ab arte imperandi remoriora, loco rerum Magistratibus scitu necessariarum didicerint.

Ibid. In generalioribus imperii præceptis:] Præcepta, quæ generalia sunt, præscindunt â casibus singularibus, qui suis circumstantiis vestiti plerumque speculationes illas generaliores longe superant. Non nemo dixerat esse hoc discrimen inter Politicum ex præceptis solis sapientem, & inter Politicum, ex praxi firmatum, quod discrimen intersit inter Architectum militarem, qui penes fornacem, ad haustum vini & panes conditos, didicerit in charta depingere rationem obsidendi & expugnandi urbes; & inter Architectum militarem, qui artem suam ex ipsis obsessionibus firmaverit formaveritque inter ictus & arma obsessorum. Plane autem aurea sunt, quæ ex Cicerone de *Hanibale* & *Phormione* adfert atque huc commodat *B. Lutherus* in laudato sæpius *Commentario ad Psal. CI. Tom. VI. Jenens. German. fol. 139.*

Ibid.

Ibid. Ad aliam peregrinam Remp.] Dixeris etiam hîc, levitatis, imo flagitium esse, foris sapere & aliena curare, sed suorum oblivisci. Utile est, noviſſe exterorum res, sed ita, ut hæc notitia referatur unice ad illam remp. cui quis olim admovendus est. Sunt autem cognoscendæ sedulo leges publicæ, quæ ad formam Reip. faciunt, leges & constitutiones privatæ, indoles gentis & civium, fata atque historiæ gentis vel Civitatis &c.

AD CAPUT II.

SECTIO II.

De

RECTO INGRESSU AD OFFICIUM MAGISTRATUS.

Pag. 536. §. I.

DIvina vocatione niti debere:] Constat per ea, quæ ad sectionis præcedentis §. 1. diximus, Magistratum esse, (ut Paulus *Rom. XIII. v. 2.* loquitur) *ordinationem DEI*, vel ut *Proverb. VIII. 15.* dicitur, *per DEUM regnare*: itaque necesse est, cum vices DEI gerant, qui imperant, ut à DEO acceperint suam potestatem

per

per vocationem divinam. Sunt quippe, Ordinans & ordinatus relatum & correlatum quorum nullum sine altero concipi potest. Vocatio autem vel ordinatio ordinati per ordinantem est h. l. ratio fundandi; quemadmodum v. gr. actus generandi est ratio fundandi Paternitatem. Uti ergo, posito quod quis sit filius alicujus, non potest negari actus generandi; ita probato, quod Magistratus sit Διαταγὴ Θεοῦ, non potest dubitari de necessitate *actus ordinandi*, seu *vocatione Divina*. Porro vocatio hæc duplex constitui solet, prorsus uti vocatio ad ministerium verbi: *una* mediata; *altera* immediata. *Immediatæ* vocationis divinæ ad Magistratum gerendum exempla sunt Mosis, *Exodi III. 10. seqq.* & si paulo laxius vocationem immediatam cum B. Auctore sumseris, *Josuæ, Saulis, Davidis &c.* Conf. *Theol. Positiv. Loc. de Magistr. Polit. §. III.* Sed hæc pro hodierno Ecclesiæ statu itidem cessavit. Unde sola vocatio Divina *mediata* super est, de qua in sequentibus.

Ibid. Electio:] Electio fit vel à superiore, prout Moses elegit Chiliarchas, Centuriones &c. *Exod. XVIII. 25.* vel ab inferioribus, qui potestatem habent aut se alios alterius imperio subjiciendi. Conf. *B. Dürrius. Part. spec. Sect. II. cap. I. §. II. III. p. 316.* ubi aliquot exempla ex sacris adducit, quæ nunc Populum, nunc optimates Magistratuum superiorum electores sistunt.

Ibid. Successio:] Quando nempe jure hæreditario à parentibus, aut ab agnatis consanguinei imperium accipiunt. Sic Salomo successit Davidi, & illi Rehabeam &c. Referunt huc auctores plures modos successionum ortos ex jure connubiorum, emtionis, permutationis, donationis &c. Conf. *B. Gerh. L. de Magistr. Polit. n. 86.*

Ibid. Justa Occupatio:] Occupatio justa est, quando *vel* terræ, quæ desertæ sunt, ejus fiunt, qui occupat quod nullius erat; *vel* quando bello legitimo devicti hostes subjiciuntur victori, à quo conservantur. Hunc modum comprobat DEUS quoque, & quidem quoad prius membrum mandatum habetur *Genes. I. 28.* quoad posterius illustria sunt exempla occupatæ terræ Canaaniticæ per Judæos per Nebucadnezarem, denique per Romanos. Conf. *Dürr. cit. loc. §. V. pag. 317.*

Pag. 537. §. II. Ubi electio obtinet:] *Quænam in Electione Personarum ad Imperii vel Magistratus honores promovendarum ex parte Eligentium maxime observanda sint, si conscientiæ consulere velint?* ex instituto docet *B. D. Königius in Cas. Catech. Cap. I. ex Tabula Oeconomica, casu II. à pag. 710. ad 714.* Disquirit (1) An ex Alienigenis sit eligendus Magistratus? (2) An in Electione formæ Dignitas spectanda? (3) An Statura attendenda? (4) An Nobilitatis ratio habenda?

benda? (5) An humilis conditio sit spectanda? (6) An ætatis ratio habenda? (7) An ratio sexus? An Eruditionis & doctrinæ? Noster auctor beatus h. l. magis illa officia urget, quæ in Electione eligendos ipsos decent: de quibus in Notis superioribus.

Ibid. Libertas relinquatur:] Nisi libertas Eligentibus fuerit relicta, sed hi minis & vi adigantur ad illum eligendum, qui armata manu, vel alio pacto jam magistratum arripere paratus est; jam non poterit talis haberi pro legitime electo. Obtrusit se enim invitis, non autem electus fuit per vota & viam legitimam.

Ibid. Prudenti & incorrupto judicio:] *Prudens* judicium est quod respicit ad aptitudinem personæ, quæ ex requisitis & circumstantiis vel omnibus, vel potioribus saltem est æstimanda. *Incorruptum* judicium dicitur, quod non est precibus, nummis & largitionibus, vel alia ratione corruptum & præoccupatum. Hoc judicio prudenti & corruptio standum esse adeo recte adserit auctor, ut ne quidem, si judicium eligentium fuerit imprudens, vel etiam largitionibus corruptum, liceat personis in Electione neglectis tumultus concitare, vel extra viam juris, (hæc enim aliquando exceptiones æquas suggerit) contraniti, & ad consilia in facto potius, quam jure fundanda, confugere. Neglectus namque in Electione non potest suum pro se judicium ob-

obtrudere judicio Eligentium; sed meritò, si hi fuerint lapsi, rem omnem DEI Providentiæ & conscientiæ eorum, qui imprudenter vel corrupte judicarunt, committit.

Ibid. Quæ hactenus in Rep. valuerunt, &c :] Successio diversimode obtinet in Regnis & Principatibus. *Alicubi* moris & consuetudinis, vel etiam juris est, ut in successione non tam attendatur ad gradȣ cognationis, quam ad primogenituram; *alibi* neglecto respectu primogenituræ ad gradum proximum respicitur. Rursus *alibi* uterque sexus hæreditatem obire potest, *alibi* sexus sequior excluditur. Hic ergo attendi debet ad cujusque regni vel provinciæ mores, jura, & rationabiles consuetudines, h.e. tales, quæ, si non cum salute publica aperte fuerint conjunctæ, attamen saltem huic non obfuerint. Conf. *B. Gerhard. c.l.*

Ib. Quæ ad bellum justum pertinent:] Quænam hæc sint inferius commodius docebitur ad *Sect. III. Sub-Sect. II. §. I. pag. 541.*

Ib. Cum gaudio & libenter excipiant:] Hoc fieri poterit, si non modo conscientiæ libertas, sed etiã, quantum fieri potest, Status publicus provinciarum illæsus relinquatur, ut non tam videatur per occupationem ipse status publicus, quam tantum persona imperans mutata.

Pag. ead. §. III. Per vim & minas infringitur:] Exempla tàm in superiorum quam

quam inferiorum magistratuum electione satis nota passim habentur. Historia Romana præcipue est hujusmodi exemplis dives. Oppositus fere casus, *An instructus animi & corporis dotibus præcedente legitima vocatione, possit salvâ conscientiâ operam suam Reipubl. detrectare?* Quem negative definit *Königius cit. loc. casu IV. pag 717. seqq.*

Ibid. Per munera vel blanditias aut promissiones:] Arte hac inhonesta usu sunt Abimelech, *Jud. IX. 2.* Absalon *II. Sam. XV. 2. seqq. &c.* Huc refer quæstionem, quam ventilat *B. Königius cit. loc. cas. V. p. 724. Utrum bona cum conscientiæ peti Magistratus, aut pecunia comparari possit?*

Ibid. Legitimis successoribus præripiat imperium:] Pertinent huc quoque exempla modo adducta *Abimelechi* & *Absalonis*, item *Adoniæ, I. Reg. I. v. 5. seqq. cap. II. v. 15. seqq &c.* Perinde autem fuerit, sive vi, sive fraude, sive muneribus, vel aliis technis fiat.

Ibid. Per bellum aperte injustam:] Quale erat Sanheribi, Regni Assyriorum, *Jesaiæ XXXVI. XXXVII.*

Ib. Per invasionem fraudulentam &c.] Fraudulentur agunt, qui *vel* fidem datam hostibus aut civibus aut vicinis violant, *vel* illorum ministros & officiales largitionibus ad proditionem & perfidiam trahunt, aut sponte se offeren-

tes recipiunt, *vel* alio pacto perfidiam redolente, imperium occupant. Alias insidias militares, quæ non perfidia, sed prudentia & opportunitate locorum, temporum &c. nituntur, non improbamus (1) quia ipse DEUS tales insidias ordinavit *Jos. IIX. 2.* (2) quia exempla alia divinitus comprobata habentur *Judic. VII. 9 seqq. Cap. XX. 29. 29. &c.*

Pag. 538. §. IV. Mandatum DEI:] Tam generale, quod habetur in præceptis decalogi septimo, nono & decimo, quam speciale, cujus vim, ex *Rom. XIII. Proverb. VIII. 15.* pluribus monstravimus paulo anteced. §. 1.

Ibid. Exempla piorum veterum:] *Davidis, I. Sam. XXIV. 7. seqq. cap. XXVI. 10. seqq.* Unde constat, quam acriter declinarit illegitimum & sanguinolentum ingressum ad Solii excelsa. Legitime autem ter unctus fuit & electus (1) à DEO per Samuelem (2) ab Optimatibus tribus Judæ (3) à Populo omni. Conf. *I. Sam. XVI. 13. II. Sam. II. 4. cap. V, 3.* Similiter *Salomon I. Reg. I. & I. Paral. XXIX. XXX. II. Paral. I. v. 7. seqq.* legitimum ingressum expectavit. Alia exemplaplura ex sacra & civili Historia satis nota sunt.

Ibid. Felicitas:] Exempla sunt *David, Salomo, Josua, Jehu &c.*

Ibid. Male accedentium pœnæ:] Funesta exempla habemus Abimelechi, *Jud. IX. 56. 57.*

56.57. Absoloni *II. Sam. XIIX. 14.15.* Adoniæ *I. Reg. II. 23.24.25.* & infinitorum aliorum.

Pag. ead. §. V. Animus sua forte contentus:) Qui didicit præsentibus esse contentus, & sequitur consilium *Epicteti in Enchir. cap. XXIII.* jubentis, ut quisque cogitet, *se actorem fabulæ esse, in qua ipsius sit personam de mandatam, belle effingere, non autem eam eligere*; is facile omnem ingressum illegitimum, cum Davide declinabit, & vocationem honestam atque legitimam exspectabit.

Ibid. In considerandâ difficultate imperandi:) Huc pertinet aureum dictum Gloriosæ memoriæ Imperatoris, *Rudolphi Habsburgensis*, qui in extremo vitæ actu conspexit diadema regium ante se positum, ingemiscens: *Quam blando & jucundo fulgore oculos adspectantium perstringis, & adde allicis: verum si mortales scirent, quantum molestiarum sub te lateat, nemo etiam humi sublevaret.* Accedat illud *Sapientiæ VI. 7. Potentes potenter tormenta patientur.* Quod certe effatum innumera confirmant exempla Tyrannorum & ineptorum principum, qui præterea quod salute æterna exciderunt, etiam in temporalibus miserrimum sortiti sunt exitum.

Ibid. Accuratior notitia:) Notitia hæc non debet esse qualiscunque, sed solida & quidem ad praxin commodata per justam omni-

um circumstantiarum, causarumque ut & mediorum observationem.

Ibid. Inclinata voluntas:] Puta per preces ardentes motivorum tractationem practicam & constantem, reliquarumque huc pertinentium virtutum exercitium juge.

Pag. ead. §. VI. Neglectus motivorum:] Sive ita negligantur, ut illorum tractationem plane omittas; sive ita ut superficiarie, & ad ostentationem potius, quam ad praxin, attingas.

Ibid. Animus ambitiosus:] Ut erat *Humanis*, plus ultra ambitiose tendentis. *Esther. V. 13. cap. VI. 6. 7.* Sanheribi, *Esaiæ XXXVII. 24. seqq.* Nebuchodonozoris, *Daniel. IV. &c.*

Ibid. Avaritiæ deditus:] Danrur quippe homines impotentis animi, qui omnia sibi deesse putant, quam diu proximum adhuc aliquid possidere vident, quod nondum eripuerint eidem. Hinc dies & noctes, ut corvi, inhiant vicinorum finibus, imo totis provinciis & regnis & nescio quas prætensiones excogitant.

Ad Cap. II. Sect. III.

De Ipsa Administratione Magistratus & speciatim.

SUB-

SUB-SECT. I.

De officio Magistratus Civilis circa sacra.

Pag. 539. §. I.

SAlus autem vera &c.] Etsi non negetur, quod alia salus sit societatis Civilis, quæ ad vitæ Civilis commoda terminatur; alia Societatis Ecclesiasticæ, quæ ad sublimiora, spiritualia, æterna tendit; certum tamen est, societatis Civilis salutem non debere opponi, sed subordinari salutiæternæ; alias salus Civilis rectâ ad æternam damnationem ducet, nec tam haberi merebitur amplius Civilis societas, pro Christiana, sana, bona, quam pro Diabolica, vana, & igne fatuo Satanæ. Vide pluribus *Lombert. Danæi Polit. Christ. libr. II. cap. V. pag. m. 105. seqq.* ubi demonstrat *in Evangelica & pia Republ. eundem semper esse debere virum bonum & bonum civem*, secus atque nonnulli paganismum secuti definierant, credentes, bonum Civem esse, qui sciat conservare per malas artes etiam malum & corruptum Reipubl. statum; cum bonus vir nunquam hoc possit. Recte Danæus horum sententiam castigat, & ostendit (1) quod in Evangelica piaque Republ. nihil impium à Magistratu præcipi aut, si præcipiatur, à civibus fieri debeat: cum non possit Christiana dici & pia Respubl. in qua

publice regnet impietas, aut saltem toleretur. Commodat huc loca *Act. IV. 19. I. Corinth. VII. 23.* quibus evincit, saltem cives non posse impiis Magistratus mandatis obedire, nisi & ipsi malint esse de Ecclesia malignantium, quam de Cœtu & societate Civili Evangelica ac Christiana. (2) Addit, quod hic sit pii magistratus scopus, ac proinde cui debeat inservire civis bonus & pius, scil. ut ea Resp. *vivat vitam quietam quidem & tranquillam*, verum *cum omni pietate & honestate I. Tim. II. 2.* Adde quod Magistratus sit DEI minister, *Rom. XIII. 4.* cujus adeo gloriæ debet cumprimis inservire, non autem contra DEUM, Dominum summum, rebellare. Ex dictis liquet, adeo certum esse, quod Magistratus sit, ordinare sua ad salutem veram æternamque Civium omnium & singulorum, ut eidem contra salutem æternam & DEI mandata præcipienti nequidem sit obedientia à Civibus præstanda: quanquam (ut recte idem Danæus pag. 108. observat) hoc discrimine, ut, si Cives & Christiani fuerint homines tantum privati, malint mori, quam impia Magistratus mandata præstando, offendere DEUM; si autem fuerint ordines regni & publici Magistratus, ea via resistant, qua leges fundamentales regni, eorumq; muneris ac jurisdictionis ratio & potestas suadeat & patiatur. Sed hac de re alibi.

Ib. Quæ supra de officio Episcopali &c.) Videlicet *Cap. I. Sect. VIII. §. III. pag. 528.* conjunge

jungi nostros in Supplemento hocce adjectas Notas.

Ibid. In propaganda vera Religione:] Vera Religio est, quæ Revelationi divinæ supernaturali in Scripturis Canonicis per Prophetas & Apostolos factæ consentanea est. Ad hanc recipiendam & propagandam omnes obligantur homines, quia omnes tenentur auctoritatem DEI agnoscere.

Ibid. Sufficientia sunt ad scopum intentum:] Media sufficientia sunt purorum & ex scripturis probatorum Ecclesiæ doctorum constitutio; Visitationes Ecclesiasticæ; Scholarum erectio & conservatio; Civium & Subditorum obligatio ad Lectionem scripturarum concionumque frequentationem: disciplinæ Ecclesiasticæ custodia &c. Commodari hoc possunt quæ habet *Danæus cit. loc. libr. III. cap. II. pag. 170. 17. seqq.*

Ibid. Conscientias hominum maxime convincunt:] Religio quippe cogi non potest, sed oriri debet ex operatione Spiritus Sancti per Verbum auditum, prædicatum, lectum. Conf. *Rom. X. 14. seqq.*

Ibid. A violentia autem & crudelitate sunt aliena:] Videri meretur Beatus Auctor in Disputatione peculiari Theologico-Historica *De Propagatione Fidei per vim armorum à Praxi Ecclesia aliena* Jenæ ao. 1686. habita.

Pag.

Pag. ead. §. II. Supra Jurium Episcopalium abusus &c.) Plura *Cap. I. Sect. VIII. §. IV. pag. 528. 529.*

Ibid. Diversæ Religiones &c.) Quæstionem, *An in una Republ. plures diversæ Religiones tolerari debeant*, tetigit *B. Dürrius in Notis Posthum. pag. 95.* Fusius eandem pertractavit *B. D. Brochmandus Tomo II. Systematis, De Magistr. Polit. Cap. N. Quæst. III. Dubio IV. pag. m. 5076. seqq.* item *Cap. I. Sect. III. p. 5005. seqq.* Nimirum repudiamus *Socinianorum unum extremum* de permittenda cuivis libertate religionis suæ; atque *Pontificiorum alterum* absolutè negantium, licitum esse principi permittere subditis libertatem Religionis. Nostrates mediâ incedunt viâ, neq; præterquam quod conscientiarum libertatem modeste adserunt, etiam distinguunt (1) inter Reipubl. statum pacatum & turbatum: (2) inter Rempubl. quæ nullis constitutionibus, in quas juravit Magistratus, Religionem plurium exercitium firmavit, & inter Rempubl. quæ per constitutiones expressas plurium Religionum exercitium adseruit. In hoc casu posteriore, ut & in statu turbato concedunt pluralitatem; sed in statu tranquillo, & ubi nullæ conventiones vel constitutiones contrarium exigunt, negant. Est etiam distinguendum inter *Religionem veram*, ex solo verbo DEI revelato pendentem & demonstratam, cui Christianus

anus Magistratus nunquam illæsa conscientia Bellum indicere potest; & inter *Religiones falsas, impuras, à verbo DEI deficientes*, de quibus intelligenda est quæstio modo definita. Hoc etiam vult B. Auctor, quando tunc demum rejicit *tolerantiam plurium religionum, si Respubl. possit redigi ad unam veram.* De *Judæis, an inter Christianos sint tolerandi?* Speciatim fuse disputat *B. Dürrius in Theol. Moral. cit. loc. cap. III. §. XXIX. seqq. à pag. 335. ad pag. 339.* & magno numero alios auctores hanc in rem allegat.

Ibid. Vis potius &c.] Res bona malè agendo perdi potest: quidni vera Religio infamiam contrahat, imo enervetur, si non doceatur, sed cogatur? Conf. *B. König. Cas. Catechet. cit. loc. Cas. XI p. 772. 773.*

Pag. ead. §. III. Hic ferè eadem &c.] Vide quæ dicta sunt superius *ad cap. I. sect. IIX. §. V. VI. VII. pag 529 530.*

Pag. 540. Ostendit Paulus I. Cor. III.) Rectius leges in textu B. Auctoris (sphalmate typographico h. l. depravato) *I. Cor. V. v. 6. Galat. V. 9.*

Ad

Ad Cap. II. Sect. III.
SUB-SECT. II.
De

His, quæ præter curam Sacrorum ad officium Magistratus pertinent.

Pag. 540. §. I.

PUblicam totius civitatis:) Civitas seu Respubl. est persona quædam Moralis in qua imperantium & parentium ordines membrorum vices sustinent. Id quod facit ad hujus corporis moralis conservationem & salutem, *salutis publicæ* nomine venit.

Ibid. Privatim Singulorum:] Singulorum videlicet membrorum sive civium imo & imperantium, quatenus ipsi quoque bonorum privatorum capaces sunt.

Ibid. Leges honestas & salutares:] Quid ad Leges honestatem requisiverit *Isidorus*, quem auctores passim sequuntur, edocet *B. Dürrim cit. loc.* §. *LI. pag.* 342. Conf. *Osiander Theol. Moral. Part. General. cap. XIII.* §. *VIII. pag.* 341. Præcipue hic laudandus est *B. Petri Musæi Tractatus* peculiaris *de Lege Civili*. Adde Theologos Moralistas & Theticos passim Nec res difficultate laborat

Ibid.

Ibid. Quæ in jure Naturæ &c.) Materia hæc est Legis civilis, quam adeo duplicem faciunt auctores. *Unam* actionum à jure Naturæ generaliter jam præceptarum, vel vetitarum, v. gr. quod malefici sint puniendi, quod suum cuique sic tribuendum &c. Hoc actionum genus lex civilis vel humana positiva ad certas circumstantias & conditiones ulterius determinare potest, v. gr. quod homicidæ sint curifragii, fures suspendio puniendi &c. *Alterum* genus actionum est per jus naturæ indifferentium, eo quod à jure naturæ proximè & immediatè non attingantur v. gr. de rebus inferendis & evehendis ex Regno seu provincia, de vestitus differentia multiplici &c.

Pag. 541. §. eod. Perspicue consignatas:) Legés civiles, uti lex omnis alia, debent consignari planè, perspicuè & quantum fieri potest, distinctissimis verbis, quorum sensum quilibet, modo linguam intellexerit, facile adsequi possit: secus videtur Lex non tam propter salutem publicam, quam propter pœnas coacervandas lata.

Ibid. Promulgari faciat:) *Legem quia Jussum est, promulgari oportet, h.e. ut voce vel signo quodam alii innotescat. Ratio, quia Lex præstari exigitur. E. cognosci debet: Facere enim rem, quam non cognoscas, erit sine intellectu & voluntate rem gerere, quod bruti est, non hominis,* Verba sunt Cl. *Becmanni Medit. Polit.*

Polit. cap. XIII. num. VII. p. m. 1901. Egregie *Ludovicus Molina* apud *B. Petrum Musæum cit. Tract. Disp. I. §. XIV.* scribit: *Promulgatio de qua nobis h. l. est sermo, non est solùm conditio, sine qua lex non obligat, sicut applicatio ignis ad stupam est conditio, sine qua vis ignis naturalis, quam jam ignis ante eam applicationem integram in se habet, stupam non inflammabit, sed est quippiam legis completivum atque adeo completivum vis seu virtutis legis ad subditos obligandos.* Plura repete ex *B. Osiand. cit. loc. §. XIV. XV. pag. 345. 346.*

Ibid. Nonnihil corrigat:) Notum est, Aristotelicos definire Æquitatem, *Correctionem Legis in ea parte, qua propter universalitatem deficit, non tamen secundum legem.* Quam in definitionem plura dicit *B. D. Cellarius in Polit. succincta libr. II. cap. IIX. §. 21. seqq.* Non autem omnis correctio Legis est Æquitas; quia hæc est correctio Legis, *non secundum Legem.* Potest autem fieri, ut correctio Legis fiat ita, ut ipsa correctio per modum Legis fiat: quo de correctionis modo B. Auctor sequitur. V. gr. esto Lex de septem testibus ad Testamentum adhibendis: hæc lex *correcta* concipietur, si Magistratus ob certas circumstantias legem nonnihil mutavit, concedendo numerum testium arbitrarium &c. E contrario *æquitas* fuerit dicenda, ubi lege de septem testibus non mutatâ, pro ratô tamen habetur testamentum, quod v. gr. tempore

pore pestis, & coram duobus vel tribus, conditum.

Ibid. Ad legum formas, quantum fieri potest:] Etsi Magistratus summus vulgo dicatur *solutus legibus Civilibus*, quia superiorem non habet, a quo ad has obligari possit; certum tamen est, exigere æquitatem naturalem, ut Magistratus ipse sibi pareat, secundum notos versus *Claudiani: In commune jubes si quid, censesque tenendum, Primus jussa subi: tunc observantior æqui fit populus, nec ferre vetat, cùm viderit ipsum Autorem parere sibi* &c.

Exstat docta hanc in rem disputatio *Dn. Profess. Rotenbecci nostri*, *An princeps sit solutus Legibus civilibus*, Anno 1684. habita. Ubi quæstionem ad hanc denique capitalem controversiam §. XXXIII. p. 15. revocat: *Vtrum Princeps Civilium legum obligationi ita sit exemtus, ut transgrediendo, ne conscientiam quidem suam violet atque adeo nec divinæ pœnæ reus fiat?* eam vero ita definit, ut negativam tutiorem & æquitati conformiorem judicet.

Ibid. Causas & controversias civiles accurate cognoscat: Hanc materiam pertractavit *B. Dürrius in Theol. Moral. cit. loc. cap. IV. pag.* 345. *ad pag.* 352. Esi igitur Magistratus Christiani non modo utramque audire partem & tempus defendendi unicuique concedere, sed etiam audire testes, atque nihil omninò intentatum

tatum relinquere, quo possit veritas clarius erui. Hinc juramenta possunt ac debent aliquando nunc alterutri partium, nunc testibus adjudicari. Vide *B. König. Cas. Catech. cit. loc. casu XI. de Statu Politico pag. 767. seqq.*

Ibid. Juxta Leges decidat:] Controversiæ civiles non sunt de Legibus ipsis, sed de actionibus, ad quam legem sint referendæ, & decidendæ. Postquam igitur per Inquisitionem accuratam, ipsa de causa satis vel saltem quantum haberi potuit, constat; est de officio Christiani Magistratus, ut applicatio atque dijudicatio ejus fiat ex illis legibus, ad quam pertinet causa cognita: atque hic quidem par est, ut citra respectum personarum justitia ex Legibus administretur. Repete huc, quæ B. auctor superius dixit in *Parte Generali III. Cap. II.* de *Legibus tanquam Norma actionum. p.* 130. *seqq.* Vti autem homo Christianus tenetur suas actiones ad Leges, tanquam normam componere; ita Magistratus est, ex Legibus, tanquam ex actionum norma, de actionum moralitate ferre judicium, præmiaque & pœnas definire. Ventilari hic solet quæstio, *utrum Judex tutius & rectius conscientiam; an verò actorum Publicorum fidem sequatur?* Dürrius *in Theol. Moral. p.* 347. prius affirmat, provocans ad *Balduinum* in *Cas. Consc. libr. IV. cap.* 12. *cas.* 6. Adde *Brochmand. cit. loc. pag.* 5059. *seqq.* Ubi hanc quæstionem fuse excutit.

Ibid.

Ibid. Suum cuique tribuatur :) Quicquid alicui debetur per Naturam vel Leges positivas, vel contractus, vel propter merita aut delicta, vel alio titulo æquo quocunque, id omne voce *Suum* denotatur. Pertinent huc igitur etiam præmia & pœnæ, quæ itidem non ex arbitrio judicis, sed ex merito aut delicto pendere & distribui debent.

Ib. Injuriæ ab innocentibus auferantur :) Quieta, tuta & tranquilla vita est palmarius hujus societatis finis. Huc respicit Paulus *Rom.* XIII. 3. 4. I. *Tim.* II. 2. Nunquam igitur tutela est deneganda piis & honestis animis; sed potius hi sunt gladii ope, ubi opus est, vindicandi, defendendi, liberandi. Præcipue commendavit DEUS Magistratibus causas Orphanorum & viduarum quam intensissime *Exod.* XXII. 22. *seqq. Esaiæ.* I. 17. 23. & alibi passim. Quibus à latere jungit *Peregrinantes* sive *Advenas Exodi* XXII. 21. *cap.* XXIII. 9. Ratio est, quia hæ personæ sunt miserabiles, desertæ, nec sibi consuli possunt, sed coguntur sustinere aliorum injurias, nisi consuluerit ipsis Magistratus æquus & Christianus.

Ibid. Improbis pœnæ :) Quemadmodum gradus improbitatis & delictorum sunt, ita etiam pœnarum gradus illis respondeant, necesse est. Quæritur hic: *Utrum Magistratus Politicus bona cum conscientia gladio animadvertere possit in facinorosos?* Negant Photiniani, Weigelia-

geliani & alii. Noſtrates adfirmant. Argumenta utriusque partis exhibet *B. Königius cit. loc. caſ. X. p. 755. ſeqq.* Conf. *Dürr. cit. loc. pag.* 349. 350. *Oſiandr.* in *Parte Special. Cap. II. Præcept. V. pag.* 83. *ſeqq.* Pro defendenda ſententia noſtratium militant loca plana *Jerem.* XLIIX. 10. *Rom.* XIII. 4. &c.

Ibid. Onera ad explendam Reipubl. neceſsitatem:] Onerum nomine h. l. venit quicquid ſubditi vel Cives tenentur vel ære vel opere conferre ad reipubl. conſervationem, tam tempore belli, quam pacis, v. gr. vectigalia, tributa, decimas, &c. His carere non poteſt ſocietas Civilis. *Neque* enim *Reipubl. quies ſine armis: neque arma ſine ſtipendiis: neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt*, ut eſt apud Tacitum. Ipſe DEUS in ſanctiſſima Republica Judaica noluit deeſſe tributa. Paulus etiam *Rom.* XIII. 6. 7. & Chriſtus *Mathæi.* XXII. 21. hoc jus Magiſtratuum graviter adſeruerunt. Huc referunt auctores plures, nec inepte, *Jus Regium*, I. *Samuel.* IIX. 9. 10. *ſeqq.* Etſi enim non deſint, qui putent, illud *Jus Regium*, ſeu משפט המלך, non debere haberi pro jure, ſed pro *more Regis*, inique populum prementis; alii tamen contrarium adſerunt, nec quisquam iniqui in illo jure vel משפט agnoſcunt. Vide Celeberrimum poſt fata virum, *Guilielm. Schikardum* in Tractatu peculiari, cujus titulus המלך משפט ſive *Jus Regium Hebræorum*, *cap. II. Theor. VII.* (edit. Lipſ.

Lipſ. 1674.) *pag.*160. *ſeqq.* & notas adjectas Theologi Magni Nominis, B. Dn. D. *Capzovii.* Summatim vero B. *Dn. D. Pfeifferum* in dubiis vexatis, *Centuriæ II. loco* LXIX. *pag.*366.367. qui ita decidens quæſtionem de hoc loco motam, משפט *indigitat Jus Regi à DEO indultum, quo ſalva conſcientia uti poteſt*, probationis loco urget (1) ſignificationem famoſiorem vocis משפט. (2) Quod משפט tribuatur generaliter omnibus Regibus, quorum plures non fuerint tyranni. (3) Collationem *locorum C. IIX. 9. & c. X. v. 25.* (4) Quod omnes ſpecies enumeratæ ita comparatæ ſint, ut licitæ eſſe queant. Si enim Regi jus eſt in ſubditorum corpora, quidni in bona? Objectionibus abunde ſatisfactum fuiſſe à *Wandæbino*, judicat laudatus modo *Dn. D. Pfeifferus:* junge *Medit. Polit. Cl. Becmanni cap.* XXI. §. *V.* & alios plures Theologorum & Politicorum.

Ibid. Subditis:] Hi enim ex publico regimine defenſionem & quietam vitam aliaque commoda accipientes merito conſervando eidem ſumtus impendunt. Solet autem impoſitio tributorum fieri duobus modis, (1) capitatim & æqualiter (2) inæqualiter & ratione bonorum, quæ quisque poſſidet. Uterque modus in rebus-publ. bene compoſitis ſolet jungi, ita ut qui pauciora commoda ex Rep. capiunt, pauciora, & non niſi communia tributa; qui vero plura & majora commoda, etiam ſpecialia & plura tributa præſtare teneantur. Præterea obſervandum

est in tributorum impositione, quod hæc fieri debeat secundum leges Reipubl. fundamentales, v. gr. consultis statibus &c. Vid. *Danæi Polit. Christ. libr. III. cap. III. pag.* 183. 184.

Ibid. Peregrinis commercium habentibus :) Est etiam hoc æquum, peregrini per commercia usum fructum ex Republ. nostra accipientes, nostræ Reipubl. ex suis commerciis succurrant.

Ibid. Juxta æquitatis Regulam :) Scil. ita ut ratio habeatur facultatum, redituum, meritorumque eorum, à quibus exiguntur tributa. Hunc enim respectum exigit ipsa ratio, ob quam tributa exigi possunt ac debent. Porro æquum est, ut onera imponantur rebus honestis, non autem nefariis v. gr. lupanaribus, latrociniis.

Ibid. Ut levius ferri possint :) Non solum levius ferri solent tributa, quæ distribuuntur in plura tempora & terminos solvenda, sed etiam quæ modice rebus imponuntur talibus, quibus quotidie utimur, ut cibo, potui, vestitui &c. quem solvendi modum homines non adeo persentiscunt. Omnium optime autem imponuntur onera rebus ad splendorem potius, quam ad vitæ necessitatem facientibus. Qui enim hoc carere non vult, ne defraudet Remp. suis reditibus etiam ex illis commodis superfluis.

Ibid.

Ibid. Adversus hostes externos defendat Civitatem:] Quæstionem huic officio moverunt Anabaptistæ, Sociniani & similes, contendentes, Magistratui Christiano non licere bellum gerere, sive, (ut statum quæstionis accuratius exprimamus) *Magistratui Christiano in N. T. jure divino non esse licitum bella gerere, quæ alias ex justis causis fieri possent.* Conf. *B. D. Brochmand. cit. loc. de Magistr. Polit. cap. II. Quæst. X. p.* 5045. B. D. *König. cit. loc. cas. X. p.* 758. 759. Nostratium sententia est, urgente extrema necessitate, salva cum conscientia posse bellum suscipi à Christianis, modo (1) *adfuerit legitima auctoritas indicendi bellum.* (2.) *Justa causa.* (3.) *Recta intentio.* Urgent (a) Jus gladii, quod *Rom.* XIII. 4. Magistratui adscritur generaliter ad defendendos bonos & arcendos malos. (b) Urgent illa loca, in quibus militum fit mentio & illorum vitæ genus non improbatur, ut *Luc.* III. 14. *Act.* X. 9. (c) *Apocal. XIX.* 14. 15. dicunt prædici bella piorum cum manifesta approbatione. Plura repete ex B. *auctore in Theol. posit. de Magistr. Polit.* §. *IX. Brochmand. cit. loc. sect. VII. p.* 5013. *Jeqq. König. cit. loc.* & aliis Theologis in loco de Magistr. Polit.

Ibid. Observata accurate disciplina militari:) Secundum monitum Baptistæ *Luc.* III. 14. & postulante sic ipso belli fine, qui est subditorum defensio, non per milites op-

pressio. Præterea non negamus, bella esse violentum remedium, ad quod, ob varia pericula, non sit citius, quam in casu extremæ necessitatis provolandum: unde etiam caute & magna cum dexteritate, ne modus excedatur, geri debent. Conf. B. *Auctor. in Comp. Theol. Posit. cit. loc.* §. X.

Ibid. Qui etiam hostibus debetur:] Exsecramur illud principium crudele Pseudo-Politicorum quorundam, *In hostem quidvis licet.* Ratio, quia hostis non qua homo, sed qua jus nobis negat nostrum, hostis est, adeoque qua hostis adhuc ut homo tractandus. Equidem DEUS quarundam gentium excidium omnimodum olim Israelitis injunxit: sed illa constitutio non caruit typo, quem qui historiam illam rectius expendit, facile observat, maxime si oculum rejecerit ad rationem illius exterminii. *Deuter.* XX. 18. indicatam. Alia autem ratio est in aliis bellis, quæ non fiunt propter occupationem hæreditatis typicæ, sed pro jure nostro asserendo. Hinc ipse *Becmannus in Meditat. Polit. cap.* XXIII. §. X. *p. m.* 325. 326. ut & in *Polit. Parall. cap.* XXII. §. XI. *p.* 733. assertum suum, *Hostem quovis modo lædere licere*, restrinxit ad illos tantum lædendi actus & modos, qui sine vitio morali peragi possint, & damnavit *stupra, adulteria, venena* &c. addita ratione, quod per belli indolem exuatur quidem status Socialis, sed non Rationalis. Fusius Magistratuum Christianorum Regulas & offi-

officia recensuit *B. D. Mengeringius cit. loc. p.* 1426. *seqq.*

Pag. 541. §. II. Leges improbas:] Quæ cum Jure Naturali aut Lege divina positiva pugnant. Nec enim Magistratus, qui tantum est DEI minister, potest contra DEUM valide aliquid moliri vel imperare, *Actor.* IV. 19.

Ibid. Ad statum Reip. non quadrantes :] Talia erant illa XX. edicta ridicula & puerilia *Titi Claudii*, uno die proposita, inter quæ etiam hoc, *ut ubere vinearum proventu bene picarentur dolia.* Conf. *Suetonium* in vita ejus. Ad hæc edicta referri potest illud Saulis, I. *Samuel* XIV. 24.

Ibid. Non ita promulgari facit :] Conf. quæ diximus ad §. præced. de promulgatione Legum.

Pag. 542. §. eod. Temere mutat:) Omnis mutatio, maxime in Publicis, est periculosa. Quod si autem leges utiles mutentur, duplici ratione peccatur (1.) quod præter necessitatem turbatur status præsens (2.) quod Lege utili abrogata resp. privatur bono illo, quo erat gavisa per legem utilem & commodam. Facile autem apparet, in Rep. Christiana non esse utilem legem, nisi simul fuerit eadem quoque honesta.

Ibid. Aliam viam ingreditur:) Secundum illud turpe & funestum verbum: *Quod libet principi, licet.* Christiano Magistra-

tui alia mens est. Hic etiam suo exemplo viva lex est, & Claudiani versus ad §. præcedent. adductos presse sequitur.

Ibid. Causæ non cognoscuntur accurate:] Neglectis videlicet processu juris, & sufficiente inquisitione, ac informatione judicis, tam quoad speciem facti, quam quoad Leges & jura, ex quibus sententia ferri debet.

Ibid. Partium studio:] Hoc vitium προσωπολημψία dicitur, & in Sacris literis toties interdicitur & damnatur. Vide *Deut. XVI.* 9. *Proverb. XVIII.* 5. *Psal. LXXXII.* 2. *&c.* Conf. B. *Dürr. in Theol. Moral. p.* 346. & in *Notis post humis pag.* 97. ubi inter προσωπολημψίαν licitam & illicitam distinguit.

Ibid. Contra conscientiam:] Qualis sententia erat Seniorum Jesreheliticorum *I. Reg. XXI.* 11. *seqq.* Pilati, *Matth. XXII.* 24. 25. 26.

Ibid. Alter alterum lædat:] Hac negligentia supina (cui maledictio indicta est *Jerem. XLIIX.* 10. cum quo loco junge illud Pauli *Rom. XIII.* 4.) se contaminarunt Judæi passim, maxime temporibus excidiorum. Præcipue impunem sanguinis innocentis effusionem Deus passim Judæis exprobrat apud Prophetas. Vide *Thren. IV.* 13. 14. *Ezechiel. XXII.* 24. 25. 27. *XXIV.* 7. 8. *seqq. II. Chron. XXIV.* 4. *Matth. XXIII.* 35 *&c.* Adde *Jesaiæ I.* 15. *seqq. Mich. II.* 8. 9.

8. 9. *Hoseæ IV.* 1. 2. *Amos IIX.* 4. 5. 6. *Jerem. II.* 34. & alia loca infinita.

Ibid. Quando injuriæ non vindicantur:] Exemplum singulare exstat *Jeremiæ* XXX*VI.* 23. 24.

Ibid. Æstimatio negligitur:] Hoc est, non attenditur ad causas & circumstantias delictorum, quæ eadem exaggerant vel elevant.

Ibid. Non inferuntur pœnæ proportionatæ:) Sed potius pœnæ infliguntur secundum versiculum notum: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Ibid. Ad explendum luxum vel avaritiam:] Huc pertinet illud *Ecclesiastæ cap.* X. 16. 17. *Væ tibi, terra, cum rex tuus puer, & principes tui mane comedunt: Beatam terram; cum rex tuus generosus, & principes tui comedunt justo tempore, comedentes propter fortitudinem, & non propter compotationem.* Sordes huc pertinent *Flavii Vespasiani* dicentis: *lucri bonus odor ex re qualibet.* Nam requisiverat vectigal ex lotio & cloacis.

Ib. Propter merita eximia debebant:] Ingratitudinem in merita publica gravissime castigat Scriptura. Vid. *Judic. IIX.* 34. 35. *II. Chron.* XX*IV. v.* 22. &c. Hoc vitio turpis erat magno promissor hiatu, Saul. Vid. *I. Sam. XVII.* 25. *coll. cum cap. XIIX.* 19. *cap.* XIX. *v.* 1. *seqq. &c.*

Ibid.

Ibid. Æqualibus :] Per omnia, aut saltem in potioribus. Nam si æqualitas fuerit v. gr. ratione opum, sed inæqualitas ratione meritorum; jam frustra urseris æqualitatem.

Ibid. Temere suscipitur bellum :] Bellum temerarium est non modo quod ob frivolas suscipitur causas, sed etiam cujus causæ poterant alio tractandi modo absorberi. Omnia quippe prius verbis, quam armis tentare sapientem decet. Talis temeritas notatur in variis Israëlitarum & Judæ Regibus, v. gr. in Achab. I. *Reg.* XXII. *v.* 21. 22. Amasia, II. *Reg.* XIV. *seqq* Josia, II. *Paralip.* XXXV. 20. 21. *seqq.*

Ibid. Non geritur pie &c.) Sed artibus illicitis, v. gr. Veneno, fraudibus, perfidia, proditionibus, crudelitate.

Ibid. Cum damno Reipubl. intermittitur : [Videl. non est causa publica privati arbitrii; Regentium : sed publici Magistratus est, uti gladio ad defendendos illos, quos debebat, Vid. *Rom.* XIII. 4. 6. De Nævis Magistratui familiaribus plura habet *Mengeringius cit. loc. p.* 1423. *seqq.*

Pag. ead. §. III. Supra de Præparatione ad officium Magistratus :] Nempe *capite hoc secundo, sect. I. p.* 534 *seqq.*

Pag. 543. §. eod. Virtutes mentis :] Vide *cit. loc.* §. II. *p.* 535.

Ibid. Vitia :] Vide *cit. loc.* §. III.

Ad

Ad Cap. II. Sect. IV.

De Diceſſu ab officio Magiſtratus.

Pag. 543. §. I.

NE propter vitia :] Puta ſi fuerit magiſtratus inferior. In ſupremas enim poteſtates & Principum capita non conceditur jus plebi, ut ab his ſumat pœnas. Certe notatu dignum eſt, quod David adulter & homicida, non plebem, ſed DEUM ſolum judicem ſuum appellat *Pſal. LI. 6. Tibi ſoli*, inquiens, *peccavi.* Quanquam ſine dubio graviter quoque delinquant Magiſtratus ſummi, ſi pacta fundamentalia trangrediendo, tyrannide & ſimilibus modis ita mentes ſubditorum irritent, ut ad arma rebelles provolent. Ita enim tunc intra & extra muros peccatur.

Ibid. Superet moleſtias :] Caſum hunc, *Utrum aliquis bona cum conſcientia officium Magiſtratus reſignare poſſit, ſi non omnia ad votum reſpondeant?* pluribus & ex inſtituto tractat B. *Königius in caſibus Catech. de Magiſtr. Polit. caſ. VI. pag. 728. ſeqq.* atque decidit eundem negative ob exempla & rationes ex Scripturis col-

collectas, de quibus post paulo ad §. III. non nihil dicendum erit.

Ibid. Per ætatem:] Ita David grandævus tradidit Regnum filio Salomoni *I. Reg.* I. 35.

Ibid. Morbum:] Sive animi, sive corporis, vel utriusque. Nec enim commode ferre potest cura publica eos, quos DEUS, sine spe reconvalescentiæ, viribus gubernandi privavit: etsi non tam inviti sint removendi, quam propriæ conscientiæ motu recedere debeant. Imo si vires animi fuerint salvi, corporis imbecillitas sæpius attendi non meretur. Notabile est, quod de *Marco Claudio Tacito*, seculi tertii à N. C. Imperatore Romano referunt Historici: Nimirum, quod cum Imperator senectutem suam excusarit, ipsi regesserint, *Caput imperare, non pedes.* Simile quid refert auctor *Itinerarii Germ. Polit. in Præfat.* de *Carolo V.* Imperatore, ex *Piccarti Dec.* 14. *Obs. Pol.* 2.

Ibid. Pericula aut ruinam Reip. præcaveri:] Ita *Carolus V.* resignavisse dicitur imperium Anno 1555. Conf. *König. cit. loc. pag.* 728. qui hoc exemplum approbat & laudat.

Pag. 544. §. eod. In alienatione Imperiorum:] Quando nempe ex una in alteram Domum imperia transferuntur. Ibi omnino necesse est, ut ne quid fiat, quo vel conscientiæ subditorum, ratione Religionis affli-

affligantur ; vel alias illorum jura & reditus in deteriorem conditionem detrudantur, aut forma ſtatus publici concutiatur.

Pag. ead. §. II. **Inferiores Magiſtratus :**] Quemadmodum ſunt Præfecti, Præſides, Curatores, Judices idque genus alii officiales. Exempla habes *Geneſ. XL.* 1. 2. 3. *Eſther. VII.* 9. 10. &c.

Ibid. De ſolio deturbentur :] Huc pertinet exemplum Rehabeami *I. Reg.* XII. 16. & aliorum Regum Judæ & Iſraelis, qui ſua nequitia, ut occiderentur, effecerunt. Præcipue funeſta eſt Laniena plurium Regum Iſraelis, *cap.* XV. XVI.

Ibid. Ut violatores deponant :] Hoc non niſi in iis Rerump. formis habet locum, in quibus limitata & conditionata eſt Majeſtatis in Imperantes translatio. Sic depoſitus fuit à Proceribus *Wenceslaus*, cui ſubrogatus fuit primo *Fridericus Brunſvicenſis*, deinde *Rupertus Palatinus*. Referri forte huc quodammodo poterit Athaliæ deturbatio de Throno II. *Reg.* XI. per Jojadam & populum, Regem ejus loco conſtituentium *Joam*, ex proſopia Davidis.

Ibid. Intempeſtive - - deſerunt :] Sicut vitio vertitur militi ſtationem ex ignavia & cum pugnandum fuiſſet, deſerenti ; ita etiam ſimilem infamiæ notam meretur, qui animum abjicit inter adverſa gubernationis.

Ibid.

Ibid. Officium sic retinent, ut Civitas laboret:] Vel ex avaritia, vel ex ambitione, vel ex alia causa frivola, quæ privatarum rerum studium potius sapit, quam curam publicæ salutis.

Pag. 545. §. III. Partim de vocatione &c.] *1. Corinth. VII.* 20. *Unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, maneat.* Conf. *Luc. IX.* 62. plura vide ap. *König. cit. loc. p.* 729.

Ibid. Partim de officio :] *Rom. XII.* 8. *Qui præest, in diligentia præsit.* Conf. *Sirac. III.* 22.

Ibid Exempla Sanctorum :) *Mosis, & Davidis* exempla potissimum hic eminere, recte docet *Königius cit. loc. pag.* 730.

Ibid. Ipsius officii Magistratus ratio & scopus :] Scilicet non sibi, sed publico bono consulere debent Imperantes. Est quippe Magistratus nobile servitium, quod non ex privato commodo Magistratus, sed ex salute populi æstimari debet. Quamdiu ergo Salus publica postulat, imperantes stare ad gubernaculum, tamdiu salva conscientia abjici non potest hoc officium, etsi difficile & variis pressum fuerit fastidiis vitæ.

Ibid. Recte agentium præmia :] Quæ sunt Gloria immortalis & tandem triumphi æterni. Hinc Nehemias petit, ut DEUS meminisse velit fastidiorum, quæ devoraverat in

in regimine populi restaurando & sustinendo. vid. *Nehem. V.* 16. Pertinent huc exempla omnia eorum, qui Magistratus officia recte functi, & ad mortem usque fideliter persistentes varia bona consecuti sunt, ut *David*, *Ezechias* & similes. Plures rationes collegit B. *König. cit. loc. p.* 730. 731. 732.

Ibid. Peccantium pœnæ :] Quales sunt, Infamia, Maledictio, Conscientiæ morsus, ipsa denique, nisi pœnitentia intercesserit, damnatio.

Ad Cap. II. Sect. V.

De

Officio Subditorum.

Pag. 545. §. I.

Subditorum :] Subditi non sunt unius generis. Alii sunt *proprie*, alii *improprie* subditi; *illi* ratione personæ ipsius, *hi* ratione bonorum tantum alterius imperio subsunt. Rursus alii sunt *mere subditi*, qui superiori simpliciter sunt subjecti; alii *Mixti*, qui simul in Reipubl. curam & partem potestatis assumti sunt, ut Duces, Comites & status Imperii Romani. Plura repete ex *B. D. Cellarii Polit. succinct. libr. II. cap. XIIX. p.* 292. 293. *seqq.* Neque concedunt Nostrates hic discrimen inter Laicos & Clericos.

Vide B. Auctor. *in Theol. Posit. Comp. de Magistr. Polit. §. XI. & additis Notis.* Æque enim Clerici atque Laici debent subditi esse Magistratui suo Civili.

Ibid. Orare pro Magistratu :) Preces debent subditi Christiani etiam infidelibus Magistratibus ; id quod ex *I. Tim. II.* 2. constat. Praxis Christianorum veterum idem confirmat. *Tertullianus Apolog. adversus Gentes Cap. XXX.* (Edit. Basil. 1550.) *fol.* 867. scribit: *De pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt.*

Ibid. Honorem debitum :) Notatu dignum, quod *I. Petr. II.* 17. Apostolus honorem Regi, post timorem DEO debitum, decernit. Hic honor comprehendit (1.) Judicium honorificum intellectus de Magistratu, tanquam ordinatione divina sapientissima & optima, maxima, sine qua omnis quies & salus publica generis humani interiret. (2.) Voluntatis inclinationem & promtam animi facilitatem, tantum Bonum divinum diligendi, observandi, & omnia præstandi, quæ ejus ad conservationem & gloriam debitam facere possunt. (3.) Addimus sermonem honorificum, & cultum etiam externum, gestu & opere præstandum. Conf. *B. Dürr. cit. loc. pag.* 353. 354.

Pag.

Pag. 546. §. eod. Obedientiam præstare :) Uti Magistratus habet potestatem leges ferendi, ita subditorum est, obedire & obtemperare Magistratui, sic tamen, ut DEO reddantur, quæ DEI sunt, h. e. Magistratui non obedientia præstetur, quando quid contra DEUM præcipit. Vid. *Actor.* IV. 19. *cap.* V. 29. In quo ipso casu porro tenendum est, quod si quid iniqui postulet Magistratus; tamen non nisi modeste & cum omni observantia & fide obsequium sit denegandum. Conf. *B. Bajerum in Theol. Posit. cit. loc. §. XII. not.* (b) (c) *Dürr. cit. loc. p.* 353. Quippe *DEI voluntas est, ut benefaciendo obturemus os hominibus stultis & ignorantibus I. Petr. II.* 15.

Ibid. Ad defensionem Patriæ :] Societas Civilis corpus morale quoddam est, cujus partes non tantum sunt Imperantes, sed etiam parentes : unde ad sui conservationem debent singulæ partes, quantum possunt, etiam cum suo periculo, conferre; quia corpore toto intereunte, nulla pars salva manere potest. Nulli ergo dubitent subditi pro conservatione Patriæ & Publicæ salutis offerre opes, honores, imo etiam vitam. B. *Königius cit. loc. p.* 758. huc commodat illud *I. Joh. III.* 17. ubi jubeamur in genere, *ut animas ponamus pro fratribus.*

Ibid. Libenter solvere :) Non enim pro expensis, sed pro acceptis habenda

sunt, quæ conservationi salutis publicæ impendimus. Quod si tributa fuerint graviora; cogitemus, nos illas meruisse pœnas, quæ tot publicos sumtus postulent; vel saltem nostrum esse, rem omnem committere providentiæ divinæ. Conf. *Rom.* III. 6.

Ibid. Nævos Imperantium :] Homines quippe Magistratus nihil humani a se alienum vel ipsi putent, vel nos ab ipsis putemus. Quod si ergo lapsi fuerint, cogitemus (1) sortem humanam communem: (2) Gravitatem oneris, quod sustinent Magistratus: (3) Plura nos ex nostris vel præjudiciis, vel hypothesibus habere pro malis & nævis, quæ tamen non sint. Egregie *B. Lutherus* in Commentario ad *Psalm. CI.* sæpius laudato, *Tom. VI. Jenens. Germ. fol.* 136. Es sind die Meister Klüglinge / die das Roß [für grosser Weißheit] im Hindern zäumen können / und nichts mehr können / dann andere Leute urtheilen und meistern: Und wann sie es in die Hand kriegen / so gehets alles zu Grund mit ihnen / gleich wie man spricht : Wer dem Spiel zusiehet / der kans am besten. Dann sie meinen / wo sie die Kugel in die Hand kriegten / wolten sie wohl zwölff Kögel treffen / da doch nur neun auf dem Leiche stehen / biß sie erfahren / daß neben dem Leiche auch ein Weg beyhingehet.

Pag. ead. §. II. Denegatur honor debitus:] Vivum exemplum hujus nequitiæ est Simei

Simei Davidi insultans *II. Samuel. XVI.* 5. *seqq.* Tales erant illi magni, qui Regem Saulem recens creatum contemtim habuerant *I. Sam. X.* 27. Perinde autem fuerit, sive corde, sive ore, sive opere externo honor denegetur. Bis autem peccant, (quod plerumque fieri solet) quando non solum honor debitus non exhibetur, sed etiam contumeliæ honoris loco in Magistratum conjiciuntur, idque vel ore, vel corde, vel opere.

Ibid. Aut Obsequium :] Obsequium debitum denegarunt Mosi toties rebellantes Judæi in deserto. Ab hoc flagitio puros esse vult Christianos Petrus I. *Epist.* II. 13. *seqq.* & graviter ob id invehitur in Pseudo Prophetas II. *Epist.* II. 10. Maxime autem hoc flagitium inobedientiæ damnat Paulus *Rom.* XIII. 1. *seqq.* Nostrates exprobant Clero pontificio peccatum adversus has constitutiones divinas. Vide omnino B. D. *Osiandr. Theol. Moral. Part. Special. IV. Præcept. pag.* 40. & *pag.* 45. *seqq.* De reliquo pertinet huc quæstio : *Utrum Magistratus inferior possit Religionis liberum exercitium defendere adversus superiorem gladio?* Responsum pete ex *Annotat. posthum. B. Dürrii pag.* 93. Adde ipsam ejus *Theol. Moral. pag.* 330. unde disces, quam caute sit affirmativa defendenda. Iis autem, qui mere subditi sunt, omnino incumbit, ut citius mortem subeant, quam contra Magistratum arma capessant. Conf. *Dan. Polit. Christ. pag.* 108. ubi graviter ait : *Cives boni & pii siquidem*

dem privati homines erunt, potius mori eligent, quam DEUM offendere: si erunt ordines regni & publici Magistratus, illi ea via resistent, qua leges regni fundamentales, eorumque muneris ac Jurisdictionis ratio & potestas patitur & suadet.

Ibid. Preces - - omittuntur :) Vulgare hoc scelus est è diametro adversum dicto Pauli *I. Tim. II.* 1. 2. *Dürrius B. in Theol. Moral. pag.* 354. adducit memorabile dictum *Bugenhagii Pomerani* ex B. Gerhardo, quod B. *D. Mengeringius in Cas. Catech. p.* 1461. B. D. Mörlino etiam familiare fuisse testatur : *Si tam promti essemus ad preces pro Magistratibus fundendas, quam parati sumus ad detrahendum ac maledicendum ipsis, næ res nostræ melius haberent.*

Ibid. In defendendo - - segniores aut timidiores :) Tale quid graviter exprobravit Abnero David *I. Samuel. XXVI.* 15. 16. Item Debora Barako *Jud. IV.* 9.

Ibid. Minus fideles:] Ut sunt proditores seu Traditores arcanorum consiliorum, castellorum, arcium &c. qui cum hostibus patriæ colludunt. Fœdissimum scelus & omnibus gentibus exosum proditio, cujus pœnam singularem Romanis quondam *Metius Suffetius* dedit ap. *Livium in Hist. Rom. lib. I. cap. XXVII.* Ipsis hostibus proditores sunt infames, secundum illud tritum: *Proditionem amo, sed proditorem odi.*

Ibid.

Ibid. Se subducunt oneribus :] *Vel* fraude, *vel* negligentia, *vel* violentia & contumacia, ita ut aperte contradicant, & necessaria solvere renuant, contra clarum Apostoli verbum *Rom.* XIII. 7. Præcipue quantum ad statum provinciæ alicujus aut Regni attinet, monitum salubre exstat ap. B.D. *Mengeringium cit. loc. p.* 1460. Mox quoque *pag.* 1461. de subditis mere talibus, ratione onerum, nonnulla salutaria excerpta offert ex *Dedekenno*, *Luthero*, *Osiandro*.

Ibid. Seditione excitata affligunt :] Indoles viperina hæc comites, imo Duces habet Koreh, Dathan & Abiram, *Num.* XVI, Sebam II. *Samuel.* XX. Jojakimum rebellantem *II. Reg.* XXIV. 1. *seqq.* & alios plures ex Historia sacra notos & plerumque misera morte famosos.

Ibid. Præceptis iniquis :) Hoc vitio se polluerunt seniores Jesrëel in causa Nabothi *1. Reg.* XXI. 11. Israëlitæ secuti Jeroboami idololatriam I. *Reg.* XII. *v.* 25. &c.

Pag. 546. §. III. Mandatum DEI :] Subditorum officia in scripturis satis plane exstant præscripta. Classicus & generalis locus est *Rom.* XIII. 1. 2. *seqq.* Preces & intercessiones præcipiuntur speciatim *I. Tim.* II. 2. Obedientia & subjectio, *ad Tit. III.* 1. *1. Petr. II.* 13. 14. 17. Redituum solutio *Matth. XXII.* 21. &c. Sed & negativa habentur præcepta, scil. ne injuria afficiatur Magistratus, *Proverb. XVII.* 26. Ne quis

ei maledicat *Eccles. X.* 20. *Exod.* XXII. 28. Ne seditio excitetur, *Prov.* XXIV. 21. 22.

Ib. Exempla Christi & Sanctorum ;] Christus censum solvit *Matth.* XVII. 27. Imperatoris jus adseruit *Matth.* XXII. 21. Subjecit se Pilato, *Joh.* XIX. 11. cujus potestatem agnovit, etsi simul moneat, desuper eandem tantummodo esse concessam. Paulus in Actis Apostolicis cæsaris auctoritatem adpellavit *Actor.* XXV. 10. 11. 12. *cap.* XXVI. 32. Davidis pietatem in Saulem iniquissimum persecutorum novimus ex I. *Sam.* XXIV. 7. 8. *cap.* XXVI. 9. *seqq.* Impiis mandatis, sed modeste, se opposuerunt Apostoli *Actor.* IV. 19. V. 29.

Ibid. Recte agentium præmia ;) Grati sunt DEO, qui preces offerunt pro Magistratu *I. Tim.* II. 3. Calumniatoribus os obturant I. *Petr.* II. 15. 16. David tandem emersit, vel hoste judice, & meruit Regis deprecationem I. *Sam.* XXIV. 18. 19. *seqq. cap.* XXVI. 21. 25. &c.

Ibid. Peccantium pœnæ :) Id quod docet exitus funestus *Koræ*, *Dathanis*, *Abirami*, *Sebæ*, *Absolomi &c.* Pertinent huc *versus* 8. & 9. *Epistolæ Judæ.*

Pag. 547. §. IV. Ad ipsius DEI cultum :) Qui enim DEUM colit, non potest contemnere ejus ministros & ordinationem.

Ibid. Honesti potius :) Qui honestati, veritati, justitiæ, æquitati, temperantiæ & aliis

aliis virtutibus Christianis student, hæc temporalia, etsi utilia jucundaque videantur, contemnunt; hinc nullo modo patiuntur ob talia se irritari ad officiorum suorum neglectum, ad calumnias, seditiones &c.

Ibid. Acquisita formæ Reipubl. observatio:) Qui enim hac observatione instructi sunt, nec per imprudentiam, nec ex proæresi facile in statum publicum impingent. Non ex proæresi, quia consuetudo tam accurata in alteram veluti naturam abiit: non ex imprudentia, quia statum publicum rite excoluit, & in ejus intimiora penetravit.

Pag. ead. §. V. Contemtus Numinis:) Qui DEUM non timet, multo minus ob reverentiam Numinis se submittet magistratui, qui nihilo nobis est præstantior, nisi quod est ordinatio & Minister seu officialis DEI. Ipsi etiam Atheiagnoscunt, citra metum Numinis non posse stare Respubl. salvas: unde vel larvam & persuasionem tantum pietatis exigunt in Civitate: Qua de re alibi.

Ibid. Avaritia &c.) Non possum mihi temperare, quin ex Præfatione *Livii* excerpam aureum locum de causis corruptæ Civitatis Romanæ. *Aut me amor, ait, negotii suscepti fallit, aut nulla unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam sere avaritia luxuriaque immigraverint:*

rint; nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit, adeo quando rerum minus, tanto minus cupidatis erat. Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere.

Ibid. Auscultationem hominibus turbulentis & seductoribus præbitam :] Dantur nonnulli Demagogi & polypragmones, qui sua fucata dictione & argumentis moventibus imperitam plebem sæpius concitant. Quod patet ex evidenti exemplo Absolomi, Sebæ & similium capitum turbulentorum.

Ad Cap. II. Sect. VI.

De

Officio Consiliariorum.

Pag. 547. §. I.

COnsiliarii munere :] Consiliarii sunt qui Magistratibus in Regimine Reipublicæ tam *Civelis*, quam *Ecclesiasticæ*, suis consiliis adsunt. *Hi* Consistoriales & Ecclesiastici appellantur: *Illorum* alii sunt Intimi, alii Aulici, alii Camerales &c. De Consistorialibus egimus supra. De reliquo Consiliariorum ordo venerabilis esse debet vel ob sola dicta, *Proverb.* XV 22. *Cap.*

22. *Cap. XXIV.* 6. ubi quantum consiliariis debeatur, graviter adseritur. Peculiaris *de Consiliariis* exstat Tractatus *B. Felwingeri.* Confer. m. si vis CL. *Beemann. Medit. Polit. cap. XVI. §. IX. p. m.* 244. &c.

Ibid. **Bene præparatum:**] Etsi enim usus & experientia in Pragmaticis anima dici mereantur certum tamen est, praxin mirum in modum juvari, si decens præcesserit animi cultura & præparatio. Præparatio autem illa sit bonarum huc pertinentium literarum cultu, pietate & virtutum exercitio.

Ibid. **DEO & cultui ejus sincere debitum:**] Uti pietas anima est Rerumpublicarum Christianarum, ita in hac habitualiter sint exercitati necesse est, qui cupiunt iis bona conscientia præesse,

Ibid. **Reipubl. amantem:**] Quo videlicet pares sint devorandis molestiis & laboribus pro Republ. subeundis.

Ibid. **Acquisitam peritiam rerum civilium cum in genere:**] Peritia hæc *partim* præceptis, *partim* exemplis absolvitur. Illa suggerit *Politica* sobria cum sua progenie, *Jurisprudentia.* Hæc, *Historia Politica*, cujus incomparabile specimen dedit Illustris quondam Vir, *Samuel à Pufendorf in Introductione ad Historiam præcipuorum Regnorum & Sta-*

Statuum Europæ, quæ pluribus idiomatibus redd[i]pridem meruit.

Ibid. Tum in ſpecie:] Specialis peritia ſingulorum ſtatuum addiſcitur ex *Archivis* eorundem, item *Chronicis* accuratioribus, imo & aliis quandoque ſcriptis; præcipue aurem, (cum paucis detur extra officium publicum ſingulare intueri documenta ſecretiora Status) ex Viris in officiis publicis, diuturna praxi florentibus, quorum fidelis introductio omnium præſtantiſſima eſt.

Ibid. Quoad externas Nationes:] Nimirum non ſufficit noviſſe in ſe ſtatum & formam Reipublicæ, cui quis conſulturus eſt; ſed omnino requiritur, ut etiam conſiliarii ſciant, quid commodi, quid incommodi ex aliis Rebuspubl. poſſit noſtræ accedere & accidere. Id quod eleganter obſervavit *Pufendorf. in Introduct.* laudata.

Ibid. Dominus ſuorum affectuum:] Qui ſuæ rationi conſulere neſcit, ne ab affectuum procellis turbetur; quomodo conſulet Reipublicæ? Turbidus animus eſt ineptus ad Respublicas tractandas. Nobilis vox eſt *Cæſaris* apud *Saluſt. in conjurat. Catilin. Omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia, vacuos eſſe decet. Haud facile animus verum provident, ubi illa officiunt: neque hominum quisquam libidini ſimul & uſui*

Pag.

Pag. 548. §. eod. Animo prudenti &c.] Hæc prudentia felicitas quædam quorundam ingeniorum singularis est, quos DEVS creavit ad istiusmodi negotia tractanda. Juvat hoc donum DEI & bonitatem naturæ cultus ingenii per bonas literas; magis adhuc ipse usus & exercitatio, quæ dominatur in hoc negotio quam maxime, ut facile possimus dignoscere speculationes Ideales, à consiliis ad praxin deducibilibus. Certe enim quod *Becherus* in Physicis & Mechanicis sua *Moro-Sophia* ostendere laboravit, idem multo magis obtinet in Politicis. Laudandus denuo hic nobis est *Lutheri Commentarius ad Psalm. CI. Tom. VI. Jenens. Germ.* qui varia huc facientia habet, quæ ingenium sapiunt.

Ibid. Legitime accessit:] Est quippe etiam hic exspectanda vocatio divina & ordinaria, atque cavendum, ne quis malis actibus, fraude, largitionibus &c. se tanto negotio ingerat. Consiliarios probos infinita premunt onera, destituunt aliquando successus, urgent calumniæ. O miserum, qui tunc non potest figere pedem in consilio optimo *Siracidis* X. 31.

Ibid. Præmeditate:) Deliberandum est diu, quod statuendum est semel, maxime in rebus, quæ salutem publicam concernunt. Festinatio improvida est & cœca.

Ibid. Sine inordinatis affectibus:) *Sive* ex re ipsa tractanda orti fuerint; *sive* aliunde per accidens moti, & v. g. ex rebus domesti-

mesticis, vel compotationibus, in curiam allati; *sive* ex partium studio accensi &c.

Ibid. Circumstantiisque omnibus accurate cognitis:) Vna circumstantia haud raro variat totam rem. Itaque nulla prætermittenda est; quo res plene perspecta habeatur, de qua consilium dari debet.

Ibid. Ad salutem publicam:) Salus populi suprema Lex esto in omnibus negotiis publicis; & quidem salus non fucata, sed vera & constans, quæque non impediat, sed promoveat salutem spiritualem atque æternam. Aliàs occinemus ineptulis illud Christi *Matth. XVI.* 26. *Quid prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ vero suæ jacturam fecerit?*

Ibid. DEIque gloriam:) Gloria DEI debet in Consiliis (1) *non prætendi ore*, (quod plures faciunt,) *sed intendi corde*, (quod pauci.) Vide, quæ hanc in rem elegantissimè dicit B. *Lutherus cit. Tom. VI. Jenens. Germ. fol.* 137. ubi graphicè indolem consultationum secularium describit, & notat, quod in istis plerumque oratio & respectus ad DEI gloriam & providentiam plane exsultet. Verba aurea adscribam. Da sitzt der König oder Fürst für sich selbst weise und klug / und hat die Sache gefasset bey allen fünf Zupfeln. Dazu kommt dann ein Jurgist oder Jurist mit seinem Buch / und

und findet das Recht häuffig darinnen geschrieben / gewiß und klar / daß es nicht fehlen kan. Darnach ein grosser Hans / dem das Haupt viel zu klein ist für grosser Vernunfft und Weißheit / der findets im natürlichen Recht so fest gegründet / und tieff gewurtzelt / daß alle Welt nicht könne umreissen. Zuletzt läutenʃie zusammen / und bombt die große Glocke mit zu / das ist / ein Bischoff / Prelat / Theologus, Er sey selbs gewachsen / oder sonst gemacht / der bringt GOttes Wort und die Heil. Schrifft. Hie muß der Teufel selbst weichen / und die Sachen recht / billich / gut / auch Göttlich dazu seyn lassen. Da sitzen dann die vier Seulen des Königreichs / oder Fürstenthums / die wohl den Himmel auch tragen könnten / wo GOtt ihrer Weißheit solches befehlen wolt. Hier ist ihrer keiner / der hinauf gen Himmel seufftzete / und suchte Rath und That bey GOtt. Dann sie sind entweder so gottlose Leuthe / daß sie ihr Gewissen nicht beten noch ruffen lässet; oder sind ihrer Weißheit und Sachen also gewiß und sicher / daß sie es verächtlich vergessen / als die es nicht bedürffen. Plura repete ex ipso loco citato. (2.) DEI gloria debet non a nobis fingi, sed ex voluntate divina disci & æstimari. Aliàs frustra colimus DEVM, docente Christo *Matth. XV.* 9. (3.) Media debent esse probata non modò ex principiis civilibus, sed præcipue ex principiis pietatis & Christianismi. Qui autem consiliis improbis DEI Gloriam promovent,

movent, vel promovere laborant, inepti sunt & justæ condemnationis rei per *Rom.* III. 8.

Ibid. Verax sit :) Mendacia, fraudes, adulationes non possunt stare, sed & ipsa evertuntur; & quicquid ipsis superstructum est. Hinc David adeo celebrat *Psalmo* CI. 2. 5. 6. fidem, veritatem & integritatem ministrorum suorum. Præcipué autem hoc edocemur exemplo ministrorum Regiorum *Jerem.* XXXVI. 16. qui verba Domini, quæ audierant, non oppresserant, sed pertulerant ad Regem, etsi infelici eventu. Sic quoque laudem merentur ex hoc capite *Hilkias* & *Saphan.* II. *Reg.* XXII. 8. 10. II. *Chron.* XXXIV. 15. 16. 18. *&c.* Conf. *B. D. Mengering. cit. loc. p.* 1447.

Ibid. Potius flexu, quam directè :) Ita non modo rem egerant consiliarii, quorum memineramus paulo ante, *Jerem.* XXXVI. 17. 18. 19. *seqq.* Sed etiam constat de notabili exemplo ipsius prophetæ Nathanis II. *Samuel.* XII. 1. *seqq.* Has enim ambages & involucra postulat quandoque rerum status. Conf. exempla alia *Esther*æ *IV. V. seqq. Nehem. l.* II. &c. Huc faciunt Apologi veterum, quorum exemplum exstat *Jud.* IX. 7. 8. *seqq.*

Ibid. Taciturnitatem præstet :) Gravia monet hanc in rem *B. Königius* in *Casib. Catechet. Cas.* IX. *ex Decalog. p.* 92. 93. Præcipue autem B. *Felvvingerus in Tract. de Consiliariis pag.* 57. *& seqq.* De reliquo, *an par sit ingratiam Religionis & commoda innocentium*, elan-

clandestina consilia prodere? vix generaliter decidi potest, nisi simul omnes circumstantiæ ponderatæ demum solutionem subministrarint in partem vel affirmativam vel negativam.

Pag. 548. §. II. Homines imperiti:] Hoc est tales, qui nec causas sacras, nec civiles, nec rationes œconomicas satis intelligunt, nec forte habiles sunt facti à natura, ut felicitate ingenii culturæ defectum compensent. In hos quadrat quippe versus: *Numeri sunt & fruges consumeri nati.* Egregie huc faciunt, quæ B. Lutherus disserit *cit. loc. tom. VI. Jenens. Germ. fol.* 139. 140. Ubi pluribus edocet discrimen inter homines aulicos divinitus concitatos & inter Simias imitatores.

Ibid. Non afferunt animum pium:] Educationem corruptissimam Politicorum belle descripsit *B. D. Mengering. cit. loc. pag.* 1457. *seqq.* sub titulo von Politicis und Welt-Leuten ins gemein. Adde *B. Lutherum cit. loc. fol.* 162. *b.* qui præcipue conqueritur de luxu & intemperantia Aulicorum Germanorum. Hinc non est mirum, quod parum sani in Aulis fiat, quia raro sobrii sunt. Neque mutabitur hic status carnalis amplius, nisi DEUS extra ordinem nostris rebus aliam faciem induxerit. Quod olim poeta scripserat de aulis & aulicorum impietate, *Exeat aula, qui vult esse pius;* id hodienum valet, & eo usque valebit, quo usque educatio aulicorum sanior nulla instituetur.

Ibid. Honoris aut opum augendarum :) Uti Haman *Esthere V.* 11. 12. 13. *cap. VI.* 6. &c.

Ibid. Temerarie & præcipitanter &c.) Ita peccarunt consiliarii juvenes Rehabeami I. *Reg.* XII. Ita consiliarii Regis Ammonitarum. II. *Sam.* X. 3. &c.

Ibid. Salutaria non esse :) Sive quis talia consilia dederit ex proditione, sive quod largitionibus corruptus fuerit, sive quod affectibus aliis indulserit, & ab his se in transversum agi passus fuerit.

Ibid. Temere :) Dantur quædam consilia, de quibus publice constare potest; talia dicit *B. Felvv. cit. loc.* quæ respiciant morum reformationem, religionis studium & ampliationem &c. Sed quicquid hujus sit. Laude digni sunt consiliarii, qui tacere norunt etiam illa, quæ sciri alias potuissent. Noti sunt versiculi ex *Ovidio :*

Eximia est virtus, præstare silentia rebus,
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Ad

Ad Cap. II. Sect. VII.

De

Officio Advocatorum.

Pag. 549. §. I.

ADvocati munere :) Advocatos dicunt, qui partium litigantium causas agunt, unde etiam causarum forensium potroni dicuntur. Discrimen inter Advocatos & procuratores non unum solet adduci. Inter alia hæc non creduntur esse postrema (1) quod Advocatus sub pœna privationis officii compellatur ad patrocinium suscipiendum, è contrario Procurator mandatum invitus accipere non teneatur. (2) Quod de Jure Civili etiam infamis possit esse Procurator, sed non Advocatus. Enim vero hæc differentia posterior, imo & prior in Camera Imperiali, & alibi etiam non subsistit. In Camera enim officium Procuratoris non est vile, sed honorabile, tam ratione personarum, quam loci. Imo pinguior est Procuratorum, quam Advocatorum in Camera conditio: quia omnis Procurator in Camera est quoque Advocatus, non contra. Vid. *Joh. Jac. Speidel. in Speculo var. Jurid. Polit. Histor. Obser. & Notab.* sub titulo, *Advocaten fol.* 34.

Ibid. Honeste & ut Christianum decet:] De præstantia Advocatorum, eorumque muneris, varii egerunt ap. *Speidelium* citato loco, qui tamen non dissimulat, esse hoc vitæ genus, ob quorundam vitium, satis exosum: & quidem Apulejo eos dici *Vulturios*; Lucio Columellæ, *quibus concessum sit intra mœnia & in ipso foro latrocinium.* Addit ex Martiali, Juvenali aliisque acrius in Advocatos dicta. Sed quicquid hujus sit; nobis dubium non est, omne vitium habere abusum tantum, non autem officium ipsum, quod in se adeo honestum est, ut in Scripturis Spiritus Sanctus titulum *Paracleti seu Advocati* [illegible]α]τ' ἐξοχὴν sit nactus, *Johan. XIV.* 26. *XVI.* 7. &c. Conf. *Rom. IIX.* 15. *seqq.* Ubi Advocatia Spiritus Sancti egregie describitur. Christus etiam Advocatus dicitur *I. Joh. II.* 1.

Ibid. Instructum peritia eorum &c.] Processus Juris varie dicitur, ut videre est apud *Speidelium* cit. *Speculo Tit. Proceß/ fol.* 1024. Oportet Advocatum novisse (1) modum procedendi in foro (2) Leges, ex quibus est judicium de causis ferendum (3) Quid in hoc vel illo causarum genere Rabulistica soleat excipere pro causis fucandis; & qua dexteritate deceat bonitatem causæ tueri, vel malitiam & injustitiam solide probare. Placet in hoc foro Theologico meminisse *B.D. Jac. Ayreri, I.V.* quondam *Doctoris & Advocati Noribergensis, qui modum*

Pro-

procedendi in foro, Dramate prolixo tradere aggressus est, in quo *Actorem* finxit Diabolum, quem Luciferum dicit, contra *Jesum Nazarenum*, quod hic infernum destruxerit, captivos in libertatem adseruerit & ipsum diabolum duxerit captivum. Ex quo libro multa, quæ & Rabulisticam & artem præstandi verum Advocatum illustrant, peti possunt.

Ibid. Animum pium &c.) *B. D. Mengering. cit. loc. fol.* 1455. ex *Ferrario* de Rep. bene instituenda, *ante omnia hic notandum esse*, ait, *non sufficere, ut Jurisconsultus sit peritus & doctus, sed requiri etiam honestum animum, qui reputet, se esse ministrum justitiæ ad promovendum bonum publicum.* Hoc quippe animo Advocatus Christianus præcipue à Rabula differt.

Pag. 550. §. eod. Ad circumstantias causæ singulas:] Ut scilicet ipse Advocatus sic plene sciat facti speciem, & judicium ferre possit de causæ defendendæ bonitate vel malitia. Hinc non modo par est, ut audiat cum cura clientem, quando causam suam exponit; sed etiam ut moneat eundem, imo tentet interrogationibus aptis, pro eruenda veritate.

Ibid. Cujus justitiam aut plane certo, aut saltem probabiliter cognitam habet:) Injustæ causæ Patronus sciens & volens Rabulam agit, & iniquitatis atque malitiæ servus est ex proæresi: quod utique peccatum

mortale est. Nunquam ergo advocatus sciens malæ causæ operam suam commodabit, sed minimum debet probabiliter justitiam causæ defendendæ noviſſe. Nota hic, notanter dici, debere Advocatum saltem *probabiliter noviſſe justitiam causæ*; non autem debere eundem habere causam pro tali, quæ *probabiliter posſit defendi*, ut justa, etsi forte talis non fuerit. Prius in honestum virum cadit; posterius Rabulæ est. Scilicet dum causa demum est judicialiter ventilanda, & in judicio, ubi & altera pars auditur, plene denique cognosci potest, verane sit, an falsa? mirum non est, Advocatum, bonum etiam & Christianum, aliquando susceſſe causam, quam ex clientis sui narratione habuerat pro justa, quæ per alterius partis responsiones & exceptiones in ipso processu, injustitiæ convinci poterat. Quo facto, jam tunc demum Rabula fuerit, si causæ aliter jam perspectæ & cognitæ suam operam porro locarit, & causam injustam atque malam, variis Rabulistarum artibus incrustarit. Hoc quippe non Advocati, sed Rabulæ proprium est, quamcunque causam probabiliter defendere in foro, quasi videlicet in foro conscientiæ probabilitates dialecticæ illæ, aut, si malis, Jesuiticæ, possent locum habere. Repete huc, quæ de probabilitate Jesuitarum paucis dixit *B. Auctor in Prolegom.* §. XVII. *not.* (*b*) *pag.* 21. Fusior est *Joh. Hornbeccius in Præfat. tom. II. suæ Theologiæ*

giæ Practicæ. Conf. de eadem materia *Acta Erudit. Lipsiæ publicata Anno* 1690. *p.* 313. 314. 315.

Ibid. Diligentiam, fidem & solicitudinem:] Hæ virtutes decent patronum causarum forensium non tantum propter ipsam naturam officii; cum causæ non sit patronus, sed proditor, qui fidem, diligentiam, solicitudinem nullam adhibet; verum etiam exigit hoc natura contractus, quem cum cliente suo init, à quo pro sua opera, studio, & fide recipit salarium sive mercedem.

Ibid. Laboribus respondente:] Iniquum enim est, æquitati pretio iniquo commodare manus, & justitiæ injusta mercede servire. Porro cum labores possint facile æstimari ex hominum opinionibus potius, quam ex merito & rei veritate; hinc non male noster adjecit charitatem determinandi pretii arbitram, qua nulla æquior, nulla sanctior esse potest. Præcipue autem hæc respicere solet (1) ad facultates clientis (2) ad meritum atque indolem causæ (2) ad DEUM, omnis boni, maxime vero patrocinii hominibus inique pressis præstiti, fautorem & Patronum benignissimum, & plus quam gratum, si modo fas est hanc vocem huc commodari. Ex his principiis qui suis laboribus pretium determinat Advocatus; næ is Advocatum in vita & morte divinissimum experietur Spiritum Sanctum, & viri pii, justi, sanctique famam æternum tuebitur.

Ibid. Processus mox absolvatur:) Non solum honestus Advocatus ipse non quæret ambages non necessarias in clientis sui causa; (quod facere solent Rabulæ, qui ex processibus opes & victum quærunt,) sed quantum valet, etiam sese opponet parti adversæ non necessariis ambagibus processum dilatanti, & ita sumtus præter necessitatem augenti.

Ibid. Charitas tamen Christiana servetur:) Dixeris de partibus litigantibus, quod Christus *Matthæi* XIX. 23. de divitibus: *Difficile intrabunt in regnum cœlorum.* Etsi enim processus Juris alere per se non damnet, modo condonationes fraternæ, officiaque Charitatis Christianæ intemerata maneant; attamen certum est, hæc fieri fere non nisi in theoria, rarissime in praxi. Quid igitur consilii dederit litigantibus partibus optimus noster ad dextram Patris Advocatus, CHRISTUS, constat ex *Matth. V.* 25. 26. Conf. Paulum I. *Corinth.* VI. 7. Horum exempla secuti Advocati Christiani subinde adhortentur partes, ut memores sint Christianismi & præceptorum Charitatis, ut ne jus summum expetant, ut ab exacerbatione mutua abstineant, ut vel transigant amicabiliter, vel, si malint Judicis exspectare sententiam, huic æquo animo omnem causam suam committant, seque ad utrumque eventum præparent. Uti enim victoria non est in manu partium confligentium,

sed

sed in manu DEI; ita in judiciis optima causa sæpius fit mala, quia judices non sunt παιδιογνώσται, sed secundum acta & probata, quæ decipere possunt, tandem sententiam ferre tenentur, si veritatem eruere non sustinent. Dicis: hæc si homines ponderare jubentur, quis lites feret? quis processus suscipiet? Respondeo, Nullas lites, aut pauciſſimas esse ita futuras; multos autem pacis, benevolentiæ & concordiæ fructus, quos omnes jure merito exposcunt. Confer omnino, quæ prolixe hanc in rem ex *Olorino* attulit *Speidelius cit. loc. fol.* 1025. Ubi graphice processuum calamitatem delineat.

Ibid. Si à causæ tractatione ulteriore abstineat &c.] Contra conscientiam enim nemo citra peccati mortalis reatum agere potest, nec sciens & volens causæ injustæ patrocinari. Neque obstat quod (1) advocatus sic sit famæ suæ non consulturus, sed pro viro levi habendus. Nam respondeo: Famæ consulit suæ, qui illam de se integritatem probat, ut nolit vel ad momentum causæ, quæ ut mala est detecta, cum antea aliter fuerit efficta, patrocinari. Exprobata levitas, famam non lædit, nisi tu fueris levis. Veritas pro mendacio habita non patitur immutationem, sed damnum facit, qui semet ipsum falso suo judicio decepit. Conscia mens recti famæ mendacia ridet. Neque obstat (2) quod cliens destitutus sit damnum ingens factu-

rus. Nam & hic respondeo: quod Cliens justas det pœnas sui temerarii litigii, imo suæ malitiæ, quod Advocatum, antequam causam susciperet, interrogantem deceperit, nec ita plene & integre dixerit suam causam, atque illa per partem adversam est in progressu demonstrata. Exprobret ergo (pro ratione circumstantiarum) Christianus Causidicus clienti levitatem, peccatum, temeritatem, injustitiam, & moneat eundem, ut, pœnitentia acta, à flagitio desistat & ei satisfaciat, cui fecerat injuriam. Hoc enim solo pacto poterit consulere causæ & conscientiæ clientis sui.

Pag. ead. §. II. Seu voce seu calamo:) Alterutro enim pacto, si non utroque, consulat Clienti suo necesse est. Qui vero neutro modo quicquam valet, vel ipse Advocato habet opus, nec poterit consulere causæ defendendæ.

Ibid. Non afferunt veram pietatem:) Qui sine pietate & justitiæ amore causam agit, Rabula est, & vel bonam causam male agendo prostituit, imo perdit.

Pag. 551. §. eod. Inepte profert:) Adeoque statum quæstionis pervertit & non ex eo agit capite, ex quo debebat. Quo ipso jam statim in modo procedendi deficiens, infinitas calamitates causæ etiam honestæ & bonæ infligit, adeoque efficit, ut vel in probando deficiat cliens,

ens, vel suis probationibus id non obtineat, quod debebat.

Ibid. Cum rationes firmæ omittuntur:] *Sive* ex defectu judicii & eruditionis; *sive* ex malitia, ut protrahatur processus, *sive* ex arrogantia inepta, quæ minimos quosque apices perspexisse vult videri, atque se magnum probat in parvis, ut inde intelligatur acumen, industria, &c. Hæc autem inepta subtilitas constat magni misero clienti, & enervat pondus causæ tractandæ.

Ibid. Cum damno clientis protrahitur:] *Sive* hoc fiat ex negligentia Advocati, *sive* ex imperitia & ruditate, *sive* ex avaritia & lucri cupiditate, *sive* ex arrogantia &c.

Ibid. Lis ex lite seritur:) Nihil frequentius est, quam ut ex una plures actiones aliæ oriantur, idque non sine Rabularum tripudio & arte, qui adeo habent semper quod agant, quos emungant pecunia, imo deglubant. Conf. B. *Mengering. p.* 971.

Ibid. Quam injustam esse constat:] Injustitiæ famuli illi expendant monita *Siracidis cap. IV.* 23. 32. 33. Maxime autem utile fuerit, meminisse Patroni infelicis causæ Balak adversus Israëlitas, quem vel asinus meliora edocere poterat *Num.* XXII. 21. *seqq. II. Petr. II.* 15. 16.

Ibid. Ad neganda:) Quid? sunt nonnulli adeo desperatæ mentis, ut vel perjuria suadere

dere non dubitent, aut saltem per Reservationes mentales eludere juramenta doceant clientes.

Ibid. Utriusque partis causam simul agit:] Aut enim vere contradicunt partes, aut non contradicunt. Si contradicunt; alterutra peccet, necesse est: & sic utrique parti non poterit illæsa conscientia servire. Si non contradicunt; diabolicum est, homines ad pugnas nauci & nihili vel adhortari, vel saltem non dehortari. Pessime autem ii delinquunt, qui eum in finem utrique parti inserviunt, ut litem exacerbare, & partes magis miscere queant.

Ibid. Justo vel æquo non contentus:] Dixeris hisce militibus, calami acie confligentibus, & atramento profuso decertantibus, quod olim Baptista Johannes militibus proprie talibus apud *Lucam III.* 14. *Contenti estote vestris stipendiis.* Conf. quæ diximus ad §. præcedentem. Monet nonnulla huc pertinentia *B. Mengeringius p.* 971.

Ibid. Clientem - - deserit:] Puta si Clientis causa fuerit justa, vel saltem sic comparata, ut ad Christianam compositionem cordati viri consilio sit opus.

Pag. ead. §. III. Generalia illa:) Quæ partim recta ratio, partim specialiter DEI verbum præscribit aut subministrat, & sunt I. Ipsa Natura & conditio cujusvis officii, quod reparationem & comparationem illarum virium

um & habilitatis, sine quibus rite non potest susci-pi, exigit. II Conditio hominum ipsorum, quibus in omni vitæ genere, opus est, ut se usu, præceptis, cultura animi perficiant & commodiores præstent. III. Præceptum divinum de DEO non tentando: & quæ alia passim in parte tam Generali, quam Speciali ab ipso auctore beato sunt subministrata.

Pag. 552. §. IV. Media esse diximus:] Conf. Auctoris *Part. General. III. cap. IX. sect. I. §. V. pag. 470. & in Part. Special. cap. II. sect. I. §. V. p. 535. &c.* & quæ ad hæc & similia loca diximus in nostris supplementis.

AD

AD PARTIS SPECIALIS

THEOLOGIÆ MORALIS

CAP. III.

De

Statu Oeconomico sive domestico & Officiis hominum ad illum pertinentium.

SECTIO I.

DE

STATU CONJUGIALI

ET SPECIATIM DE LEGITIMO INGRESSU CONJUGII.

SUB-SECT. I.

Pag. 553. §. I.

LEgitime & ut Christianos decet:) Decet Christianos matrimonium ingressuros non modo perpetim meminisse illius *Tobiæ cap. IIX. 5. Filii sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant DEUM*; sed præcipue par est, ut cogitent matrimonium Christiano-

ſtianorum ex Chriſti conſtitutione, debere referre unionem illam myſticam Chriſti & Eccleſiæ, qua de re fuſius nos informat Paulus ad *Epheſ. V. capite.* Qui hiſce meditationibus inſuper habitis junguntur, carnales & profani ſunt, nec merentur Chriſtianorum nomen. Dixeris in eos quadrare illud Angeli apud *Tobiam cap. VI. 17. Super hos, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut DEUM à ſe & ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita pareant, ut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet dæmonium poteſtatem.*

Ibid. Habiles ad fines conjugii:] Fines conjugii ſunt ſobolis procreatio, mutuum vitæ adjutorium, remedium alioquin exorituræ libidinis & incontinentiæ. Vid. B. *Auctor in Theol. Poſit. de Statu domeſtico* §. XXXVIII. XXXIX.

Ibid. Ratione animi:] Animi bona vel ſunt naturalia, vel ſupernaturalia, de quibus vide ſupra *Gen. Part. III. cap. IX. ſect. I. pag.* 469. *ſeqq.* Ratione donorum naturalium requiritur, ut perſonæ matrimonium contracturæ ſint ſanæ mentis, & ea ætate, quæ plenum rationis uſum habeat. Vid. B. *D. Königius caſ. II. de Statu œconomico p.* 849. 850. Ubi (1) diſtinguit furorem, qui vel eſt continuus, vel intermiſſus; vel ſanabilis, vel inſanabilis. (2) Ratione temporis diſcrimen facit, quo cœpit furor. *Vel* enim cœpit ante ſponſalia, *vel* poſt ſponſalia, ſed adhuc

ante

ante nuptias, *vel* denique post nuptias & matrimonium consummatum. Furiosi, qua tales, non possunt contrahere matrimonium, quia non habent consensum illum, qui facit matrimonium. Qui intermisso furore laborant, possunt, quando mentis compotes. *Si cœpit furor ante contractas Nuptias integrum est sanæ personæ, utrum velit consummare matrimonium, nec ne: Si verò constante jam Matrimonio demum supervenit, illud nequaquam dirimendum esse existimamus.* Ita *Königius cit. loc. p.* 850. Quantum ad dona attinet supernaturalia quæritur, *Utrum Matrimonium illæsa conscientia contrahi possit inter homines, qui ratione religionis in fundamento fidei dissentiunt, vel saltem quarum una alteram de fundamentali errore, ratione religionis merito suspectam habet?* De hoc casu fuse disputat noster *Königius cit. loc. cas. III. pag.* 852. *seqq.* Et licet disparitas religionis non reddat matrimonium per se irritum; (Vid. *libr. Norm. nostros in Examine Philippi p.* 908.) violat tamen illam matrimonii sanctitatem & gloriam, quam per *Epistolam ad Ephes. V.* habere inter Christianos debuerat, & sine dubio conscientiam lædit. B. *Königius cit. loc. p.* 858. *omnes rectè sentientes admonitos volumus, ut, cum ὁμοψήφων copia adhuc ubique reperiatur, intempestive & ex vesano amore non provolent ad consortem impium & à religione sua alienum: sed qui illis ut dignitate & ætate, sic religione etiam & pietate, sit*

com-

compar, eundem DEUM venerans, & eadem sacra atque profana, individua communione participans. Hæc Königius. Altius hæc repetit B. D. Menzer. libello de conjugio (edit. Wittenberg. An. 1612.) à pag. 95. ad pag. 107. qui quæstionem distincte (1) de infidelibus & hæreticis infundamento Fidei, (2) de Heterodoxis aliis excutit: quem consule.

Ibid. Ratione corporis:] Hic præcipue attenditur aptitudo ad cohabitationem maritalem. Inepti ergo ad matrimonium sunt *Spadones*, sive Natura tales sint, sive arte castrati. Vide *Libros nostros Normal. in Exam. Philip. pag. 913.* ut & *de Desponsatione Impuberum pag. 916. 917.* Pertinet huc quæstio: *Utrum verum ineant matrimonium Vir juvenis & vetula uxor?* itemque: *utrum vetulis sexaginta vel plures annos satis, matrimonium licite permitti possit ac debeat?* Utramque ventilatam vide in disputatione quadam Theologica *B. D. Balthas. Menzeri, Witteberge An. 1689.* quarta vice recusa. *Priorem*, cæteris paribus, affirmatam videbis; *alteram* ob infinitam circumstantiarum varietatem pro tali habitam, *de qua generalis tradi non possit regula. B. Auct. in Theol. Posit. cit. loc. §. VIII. not.* (c.) interpretatur habilitatem corporis, tam ratione ætatis, quam potentiæ naturalis ad generandum: quanquam mox addat: *Interim senum conjugia, quæ ad mutuum vitæ adjutorium rationabiliter ineuntur, non universum damnantur.*

Ibid. Precibus ad DEUM fusis:] Et quidem in Spiritu & veritate, ac filiali commendatione viarum suarum in manus Domini. Hic enim si defuerit affectus cordis, preces supervacuæ sunt. Unde sine dubio frustra sunt, quotquot cum carne & sanguine, imo aliquando cum ipso diabolo primum deliberant, & horum auspiciis conjugii procœmialia absolvunt; deinde demum velut ex abundanti & propter ceremoniam consuetam, DEO quid factum sit, non sine ludibrio, formula precum ex libello quodā prælecta obtrudunt, & ut consensum præbeat, quasi expetunt, parum interim de DEI verbo, de conscientia, & honestate morum, de salute & sua conrrahentium ipsorum & sobolis suscipiendæ, solitici. Qui ita preces ad DEUM fundunt ex carnali more & amore, bis peccant. Filios sanctorum decet, antequam vel amori locum dent in pectore suo, prius per preces deliberare cum patre cœlesti, & non modo per preces DEUM alloqui, sed etiam ejus audire responsum & voluntatem, declaratam in suo verbo scripto, in consiliis parentum & hominum piorum prudentiumque, in matura deliberatione &c.

Ibid. Sufficiente Deliberatione:] Juxta Majorum nostrorum effatum sapiens: Siehe dich wohl ům und auff: es ist ein langer Kauff.

Ibid. Eligendum conjugem:] In quo respici debet ad pietatem & religionem,

ad

ad mores & virtutem, & ætatem & dignitatem, ad vitæ genus & aptitudinem ad alendum & curandam famulam &c. Ubi suprema lex habetur Proverbium: *Si vis apte nubere, nube pari.*

Ibid. Sed & reliqua, quæ ad conjugium pium & felix requiruntur:] Talia sunt affectus personæ in nos, & vice versa; item consensus parentum; item opes & alia bona fortunæ; & quæ infinitæ aliæ circumstantiæ esse possunt.

Ibid. Libero consensu tàm mutuo ipsarum partium contrahentium:] *Consensus facit matrimonium* juxta vetus verbum. Hic debet esse liberrimus, non blanditiis aut fraudibus elicitus, non vi aut metu extortus, non subreptitie obtrusus. Vide *B. Dürrium cit. loc. sect. III. cap. I. §. II. p. 556. B. Auctor in Comp. Theol. posit. cit. loc. §. VI.* Consensum dicit & docet esse *Causalitatem causæ efficientis conjugii ex parte conjugum.* Manifestatur hic consensus per actus externos mutuæ & liberæ promissionis de cohabitatione conjugiali. Promissio hæc exprimitur verbis significantibus, arrha, similibusque signis, quæ inter eminet ex antiquo more *Annulus*, quem *Pronubum* salutant. Vide doctum Hypomnema Jcti celeberrimi, *B. D. Petri Mülleri* de *Annulo Pronubo*, vom Ja-Worts oder Trau-Ring/ *Thes. V. VI. seqq.* Huc pertinent *Sponsalia*, quorum *alia* quidem de præsenti,

alia de futuro appellantur. Conf. *Auctor. B. in Theol. Posit. cit. loc. not.* (*d*) Quæ tamen distinctio non est generis in suas species, sed quod ex modo contrahendi & conditione adjecta, alia sponsalia statim effectum sortiantur, alia in futurum. *Dn. D. Joh. Fabricius in Amœnitatibus Theologicis* nuper editis *pag. 584. 585. Omnia sponsalia de futuro & de præsenti esse* observat. Scilicet sunt *de futuro* ratione consensus matrimonialis, sed *de præsenti*, ratione consensus sponsalitii.

Ibid. Parentum:] Consensum parentum requiri non modo ad licite & honeste, sed etiam ad valide contrahendum matrimonium, nostratium sententia est contra Concilium Tridentinum & Pontificios. Unde sponsalia rescindi possunt à parentibus, præcipue justas & graves sui dissensus causas adferentibus. Conf. *B. Auctor. in Theol. Posit. cit. loc. §. III. nota* (*e*) *B. Dürr. pag. 357. 358.* quam maxime *B. D. Königium in cas. Catechet. cas. IV. pag. 859. seqq.* qui, uti Pontificios fusius confutat, ita de illa quorundam sententia, quod invitis parentibus, matrimonia fieri queant, etsi non honeste, attamen simpliciter, festive *pag. 862.* ait: *illi qui simpliciter factum matrimonium absque honestate statuunt, ab honestate quodammodo alieni videntur.*

Ibid. Propinquitas Sanguinis:] De Gradibus Consanguinitatis & affinitatis prohibi-

hibitis, quantum satis est, egit *Noster* in *Theol. Positiva cit. loc. §. IX. seqq.* quem consule, ut & infinitos alios *Theologos* tam *Theticos*, quam *Morales*, *Casuistas*, & *Jurisprudentiæ divinæ* sive *Theologiæ Consistorialis scriptores*. Ipse *B. Dürrius*, quem Noster passim sequi amat, fusior est in hac materia excutienda *à pag. 359. ad pag. 366.* Adde *Königium cit. loc. casibus VI. & VII.* quorum *ille* est de Matrimoniis inrer Consanguineos, *hic* inter Affines. Vexatam quæstionem *de Matrimonio cum defunctæ uxoris sorore*, in tanto sententiarũ divortio, hic expendere nolo. Rationes utrinque adducuntur plures, quum ut hic possint pro merito excuti. Mihi videtur, quod qui in possessionem alterutrius partis venit, possit eam ab objectionibus liberare in Theoria. Quod si ratione conscientiæ quis à me peteret consilium, dicerem, *in Praxi tutiorem esse Negativam:* id quod in aliis quæstionibus similibus mihi semper visum est. Ex nuptiis istiusmodi (cæteris paribus & re adhuc integra) intermissis nullus scrupulus injicitur conscientiæ; oriri potest autem ex nuptiis contractis: quod periculum, qui conscienriæ suæ rationem habet, libenter declinat: maxime cum certum sit, salvem per *Constitutiones Christianas Civiles & Canonicas* esse illud nuptiarum genus indubie vetitum, nec posse citra dispensationem obtineri. Unde qui affirmativam defendunt in Theoria; non adeo solent esse securi in consiliis practicis, quin

subinde cautelas addant. Pertinet denique huc casus, quem *B. Königius* contra Pontificios, *pag. 889. seqq.* format, *Utrum inter cognatos spirituales, bona cum conscientia, possit contrahi Matrimonium?* & in honorem Legum Imperialium perquam modeste definit.

Ibid. Benedictio Sacerdotalis:] *B. Auctor, in Theol. Posit. cit. loc. §. VII.* scribit: *Pertinet ad causam conjugii efficientem suo modo benedictio sacerdotalis, sive copulatio, ab Ecclesia Christiana institutæ.* Diximus hanc in rem non nihil superius in nostris supplementis de copulatione Neogamorum. Jungi possunt, quæ Viri summi hanc in rem disputatunt, v. gr. *Commentatio de Benedict. Nupt.* Excellentissimi Viri, *Dn. D. H. C. Hochmanni*, quam ex merito laudat *Dn. D. Fabricius in Amœnit. pag. 585. B. D. Petri Müller* dissertatio *de Hierologia seu benedictione Sacerdotali Jenæ 1680* habita. *Francisci Wörgeri de Benedictione sacerdotali* dissertatio *Helmstadii Anno 1686.*

Ibid. Impura libidine:] Cujuscunque sit generis & cujuscunque modi. Sive ore, sive corde, sive opere fiat. Imo rursus cujuscunque sit gradus. Sanctitas enim Christianismi nonnisi ex omni parte sanctos tolerat mores. Quicquid cum sanctitate pugnat, peccati nomine merito infame est; quanquam quæ infirmitatis & ignorantiæ sunt delicta, non excutiant

tiant fidem, sed quotidiana pœnitentia & emendatione jugiter debilitentur.

Pag. 553. §. II. Personæ inhabiles:] Confer quæ diximus ad §. præcedentem.

Pag. 554. Preces negligant:] Negligunet preces non modo homines illi profani, qui omnem cultum divinum pedibus conculcant, & ita huic nuntium remittunt, quemadmodum ille *Luc. XIV. 20. Uxorem duxi, & ideo non possum venire*; sed etiam negligunt preces, quotquot preces suas non fundunt in spiritu & veritate. Conf. quæ monuimus ad §. 1.

Ib. Temere in eligendis conjugibus:] Temeritatis est, quando plures vel cœco & improvido correpti affectu, vel ex vetulæ, aut lenonis commendatione, vel inter pocula & lusus, personas nunquam alias satis sibi perspectas in matrimonium eligunt. Non minus temerarii sunt, qui de re familiari alenda parum solliciti, veneris stimulos tantum sequuntur, & ob amores lascivos pactum matrimoniale subeunt, quod post unum alterumque mensem mox dissolutum exoptant. Omnium gravissime autem ii delinquunt, qui ut possint actum aliquem fornicationis vel adulterii perficere, fœminæ seducendæ aut seducenti matrimonium verius promittendo prostituunt, quam promittunt.

Ibid. Temporalia tantum &c.] Recte Noster Auctor illos demum peccare ait,

qui *TANTUM temporalia* spectant in contrahendo metrimonio. Intelligimus autem *Temporalium* nomine fere fortunæ bona, ut & fragile bonum, Formam corporis. Qui ad hæc caduca ita oculum reflectunt, ut de reliquo nihil curent Morum honestatem, nihil rei œconomicæ peritiam, nihil pietatē, nihil æqualitatē ætatis, similitudinē indoli &c. miseri sunt per omnem vitam. Das Geld gibt man aus/der Narr bleibt im Hauß. Forma interit, honor evanescit, fata urgent, desperata consilia incidunt & sæpius recipiuntur cum vitæ & famæ, imo æternæ salutis jactura. Quod si autem quis, pro vitæ genere suo, aut pro circumstantiis aliis, in matrimonio contrahendo etiam ad Temporalia, sed non exclusive, respexerit; equidem illud nemini potest vitio verti; cum certum sit etiam bona fortunæ esse dona divina, & in laudabiles usus maxime in re œconomica & familiari converti posse. Est præterea etiam hic acquirendi modus non illicitus, sed in se honestissimus. Unde absit, ut absolute illis insultemus, qui (præcipue si illorum status ita poposcerit) etiam ad temporalia, Opes, honores, amabilitatem personæ &c. respexerint.

Ib. Contra voluntatem parentum: Exempio famoso Esavi, quod legitur *Genes. XXVI 35. cap. XXIIX. 8. 9.* Peccati hujus gravitas intelligi potest ex auctoribus ad §. præced. hac de re citatis. Quæritur *utrum æque graviter peccent, qui contra Matris, quam qui contra*

Patris

Patris voluntatem contrahunt Sponsalia? B. D. Balthas. Menzerus in libello de Conjugio p. m. 151. merito laudat legem ex Codice: *Et si inæqualis est Patris & Matris potestas, tamen parentibus pietas æqualis debetur.* Unde concluditur ex vigore *quarti præcepti*, æque peccare, qui auctoritatem Matris hac in parte violant, quam qui Partis. Conf. *Menz. cit. loc.* item *B. Dürr. Theol. Moral p. 281.* qui tamen simul monet eo in casu, ubi contentio incidat in Patrem & Matrem, magis standum esse sententia patris, quam Matris.

Ibid. Altera alteram decipiat:] Quum omnis contractus debeat fieri bona fide & non dolô malo; multo magis par est, ut hic contractus, qui inter humanos facile princeps est. Peccant ergo qui quocunque modo decipiunt & dolo malo rem gerunt. Porro quemadmodum vulgo errorum quatuor constituunt hoc in negotio species. I. *Errorem personæ*, ut quando putas te ducere Rachalem, cum sit Lea; II. *Errorem conditionis seu status*, quando pro libera ducis servam; III. *Errorem fortunæ*, ut pro divite ducis pauperem; denique IV. *Errorem qualitatis*, quando quam pro virgine duxeras, defloratam, aut forte impræguata est: ita deceptio fieri potest totuplici modo. Hodie nihil frequentius accidit, quam deceptio circa bona fortunæ. Hinc proverbium: *omnis procus dives; omnis mendicus pauper.* Est etiam sæpe quærela de virginibus

defloratis. Oritur quæstio, *anne deceptio solvat vinculum connubiale, & contractum reddat invalidum?* Respondent auctores (1) distinguendum esse inter illam fraudem, quæ substantialia matrimonii intervertit, & eam, quæ tantum est in accidentalibus. Hinc negant errorem status & forunæ solvere sponsalia; concedunt, si deceptio fuerit circa personam vel qualitatem. (2) Distinguunt inter fraudem ipsam, quæ vel nostra culpa, vel sine nostra culpa nos decepit. Si prius; luat homo negligens suæ negligentiæ pœnas. Conf. *Menzer. cit. loc. p. m. 84. seqq.*

Ibid. Vi ac nimis extorqueat:] Ut si quis in loco solitario, consensum extorserit comminatione internecionis; vel, si parentes dispoſuerit, ut filium vel filiam adigant ad sponsalia ineunda; vel forte prorsus egerit Raptorem, & fœminam abduxerit invitam, vel saltem invitis parentibus ex potestate & familia paterna. Pertinent huc qui per compassiones & defforationes vel violentas vel fraudulentas, honestorum parentum filias, vel filios ad talia delicta irritando, imperare audent, &c. Quemadmodum autem etiam hic variant circumstantiæ; ita nunc minæ & vis vinculum solvunt & contractum reddunt irritum, nunc minus. Qua de re h. l. non licet agere: videri autem possunt Casuistæ, & qui matrimonialia jura ex instituto tractant passim.

Ibid.

Ibid. Propinquitas Sanguinis:] Sanguinis propinquitas h.l. dicitur, non modo quæ ex consanguinitate, sed etiam ex affinitate oritur, in gradibus prohibitis, quos alibi recensuimus.

Ibid. Benedictio sacerdotalis vel plane negligatur:) Dantur casus, ubi homines circumforanei, mendici, & similes scorta sua circumducunt, sub titulo & forma uxorum, etsi nunquam eas honeste sibi copulari curarint. De Benedictione sacerdotali alibi plura.

Ibid. Ante eam copula carnalis:] Distingvunt auctores inter matrimonium contractum & consummatum. Contractum efficiunt Sponsalia; consummatum Benedictio Sacerdotalis. Qui igitur ante hanc copulam sanctam, carnali se jungunt, merito scortationis postulantur. Etsi enim non ignoremus, disputare *Menzerum* in peculiari dissertatione, *Num sponsis ante solennem in Ecclesia copulationem & benedictionem concumbentibus, publica pœnitentia juste puniantur*? Idque contra non neminem, qui putaverat, hanc quæstionem negative esse decidendam: Fuse tamen *B. Menzerus* probare nititur, pœnam illam publicam esse justam & sanctam verboque divino & praxi veteris Ecclesiæ conformem, id agens simul, ut objectionibus in contrarium allatis satis faciat.

Ibid. Ante conjugium se polluunt:] Sive

Sive corde, sive ore, sive opere quocunque impuro; maxime vero qui fornicationibus, adulterationibus, sodomiticis congressibus, aut simili modo venerem experiuntur.

Ibid. Pluribus se despondeant:] Hoc nihil frequentius vitio, prout acta matrimonialia passim satis probant. Delinquunt, qui hac levitate utuntur, graviter (1) in sanctum DEI ordinem (2) in suam famam & fidem (3) in ipsas, quibus imponunt, personas. Quodsi accesserit pollutio & commixtio, vel etiam quandoque juramentum, coacervantur crimina, de quorum pœnis ex circumstantiarum concursu, judicium ferendum.

Pag. ead. §. III. Mandato DEI:] Generale est *sextum præceptum*, quod innumera specialia secum trahit tam affirmativa, quam negativa. *Affirmativa* respectu variorum officiorum huc pertinentia existant in V.T. plurima. Inter hæc excellit ipsa institutio matrimonii primæva, *Gen. II. 24.* & ejus repetitio, *Matth. XIX. 5.* vel, ut venerandus noster *Dn. D. Sonntagius* in Dissertatione eleganti ad hæc loca, loqui voluit, *Sanctio connubialis Paradisiaca*, ex qua sola plura officia superius recensita fluunt. Certe velle DEUM habilitatem corporum ad carnis unionem, inde satis liquet. Conf. Definitiones Paulinas, *I. Corinth. VII. 3. 4.* quod totum caput huc pertinet. Adde *I. Thess. IV. 4. Ebr. XIII. 4.* Præcipue

cipue ratione Potestatis Paternæ in matrimoniis filiorum, Nostrates urgent loca *Deut. VII. 3. Exodi XXII. 16. 17. I. Cor. VII. 36. 37.* Præter affirmativa, huc pertinent *Negativa* quædam, & quidem ratione Graduum prohibitorum, sedes est *Levit. XIIX. per totum.* Scortationes, impuritates, adulteria & omnia opera carnis, pugnantia cum sexto præcepto, interdicuntur non modo in Lege Mosis passim, sed etiam ex N.T. Huc pertinent dicta, *Matth. V. 28. I. Corinth. V. v. 1. 11. cap. VI. 9. 10. 18. Galat. V. 19. 21.* &c.

Ibid. A Natura & fine :) Fines conjugii primarii habentur sobolis propagatio & mutuum vitæ adjutorium. Sed propagari non potest genus humanum, multo minus Ecclesia, nisi accedat pia, prudens & solers educatio. Hinc fluunt officia de habilitate animi & corporis probe observanda, de deliberatione suscipienda, &c. Porro DEUS est autor conjugii & causa efficiens principalis; ergo precibus est in præsidium vocandus. Insuper *Consensus facit matrimonium.* Ergo absit, quicquid consensus veri indolem evertit; ut sunt fraudes, violentia, minæ &c.

Ibid. Exemplis Sanctorum:] Ex scriptura & Historia Ecclesiastica, exempla plura suppetunt. Exstantiora quædam ex scripturis nominabimus, Isaaci, cum Rebecca, *Genes. XXIV. per totum.* Jacobi, *Genes XXIIX. v. 1. seqq.* *Esthera* cum Ahasvero; præcipue autem *Tobiæ*

junio.

junioris, de quo totus libellus hunc in finem conscriptus est. Ex Novo Test. laudari possunt exempli loco, nuptiæ in Cana celebratæ, *Joh. II. 1. seqq.*

Ibid. Præmiis recte agentibus:] Præmia sunt *partim* spiritualia, eaque certa, videl. Bona conscientia, & præservatio à peccato, fiducia, solatium, in adversis omnibus; &c. *partim* temporalia, vita pacata & omnia illa commoda de quibus ex instituto David agit *Psalm. CXXVII. & CXXIIX.* Huc pertinet illud *Eccles. IV. 9. 10. 11. 12. cap. IX 9.* Et quid dicam de commodis, quibus Christiani parentes bene merentur de Ecclesia, Republ. & societate humana, quando tales homines procreant, enutriunt, educant, & publico usui sistunt, qui in omni vitæ genere apte succedere possunt decedentibus emeritis, & horum loco opus Domini in tribus statibus Hierarchicis urgere? Nec *denique* æterna præmia desunt, quæ omnibus recte agentibus in omni vitæ genere sunt destinata.

Ibid. Malis his exspectandis:] Mala hæc itidem *alia* sunt spiritualia, *alia* corporalia, *alia* æterna; opposita nempe præmiorum, de quibus paulo ante. Facit huc exemplum funestum hominum circa diluvii tempora *Genes. VI. 2. 3. 4.* Conf. *Matth. XXIV 38. Luc. XVII. v. 27.* Adde Simsonis fata infausta *Jud. XVI. 4. 5. seqq.* ipsius Salomonis *I. Reg. XI. 1. seqq. Esavi Genes. XXVI. 34. 35.* &c.

Pag.

Pag. ead. §. IV. Media:] *D. Caſpar. Meliſander* Superintendens quondam Altenburgicus, *in libello de Matrimonio* (im Ehe-Büchlein) *Part. I. cap. IX.* (edit. 1614.) *pag. 41.* tria media offert, quibus Neogami poſſint inquirere in voluntatem DEI de nuptiis hic & nunc ſuſcipiendis 1. Orationem 2. Parentum conſilia & voluntatem 3. Contrahentium perſonarum mutuam voluntatem & ſtimulum. *Per hæc tria media*, air, *vult DEUS ſuam voluntatem revelare, cujus etiam certitudinem inde colligere potes.* Plura de ſingulis hiſce mediis cit. loc. diſſerit.

Ad Cap. III. Sect. I.

SUB-SECT. II.

De

Officio Conjugum.

Pag. 555. §. I.

COnjunctio animorum:] Hanc conjunctionem ipſe conſenſus ſtatim, qui matrimonium facit, importat. Eſt autem hæc animorum conjunctio Chriſtiana apud Chriſtianos affirmanda (1) ex identitate cultus divini & æquali conjunctione cum capite communi, CHRISTO JESU, per communem fidem, communes preces, communem uſum mediorum ſalutis (2) ex conformita-

mitate indolis & principiorum ratiocinandi atq; operationem mentis. Est quippe Christianorum conjugum etiam in rebus ad religionem non pertinentibus, communia sectari principia, communes hypotheses: ubi quidem unus alterum perficiat, communibus consiliis, & nunc tolerantia, nunc informatione, nunc correctione amabili vincat & in castra sua vel non observantem transferat. (3) Ex Morum & amorum similitudine, non vero ut in carne & in vanitatibus seculi, sed ut in Domino & in ejus spiritu.

Ibid. Corporum:] Hæc communicatio indicatur in ipsa prima institutione conjugii, *Erunt duo in carnem unam:* id quod repetit CHRISTUS *Matth. XIX. 5.* Confer Paulum vim & modum hujus conjunctionis explicantem *I. Corinth. VII. 4. I. Thes. IV. 4.*

Ibid. Facultatum:] Facultatum etiam aliqua conjunctio in matrimonio requiritur, etsi in contrahentium stet arbitrio, num omnium, num vero tantum parris facultatum. Hinc vulgaris est distinctio contractuum connubialium in versammte oder unverdingte/uñ in verdingte Heyrathen. In illis omnium facultatum; in his non nisi partis facultatum fit conjunctio. Qui priori modo facultates conjungunt, dicuntur, sanguinem & facultates junxisse, Gut und Blut zusammen geheyrathtet.

Ibid. Protegere uxorem:] Ab injuria

illatis & periculis; sic tamen ut ne injustus sit modus defensionis, sed sobrius, modestus & juri conveniens, pro casuum & personarum varietate & circumstantiis. Plenius hæc intelliges ex consideratione exemplorum e. gr. Jacobi *Genes.* XXXII. *v.* 13. *seqq.* Davidis, I. *Samuel.* XXX. *v.* 3. *seqq.*

Ib. Prudenter & suaviter regere:) Regimen competit marito, quia est uxoris caput I. *Cor.* XI. 3. *Ephes.* V. 23. Hoc tamen esse docet prudens & suave, hoc est, tale, quod & indoli uxoris & tempori & aliis circumstantiis respondeat, utaturque mediis, quæ conveniant cum merito Apostolico, *I. Petr. III.* 7. *Viri cohabitent secundum scientiam, velut infirmiori vasi muliebri impartientes honorem, & Coloss. III.* 19. *ne sitis amarulenti adversus illas.* Scil. tractandæ sunt uxores non ut servæ, sed ut sociæ. Dicis: Uxor mihi obtigit mala, aspera, ferox. Respondeo, talem habes, qualem duxisti. Vide ergo, ut emendes eam tua dexteritate & prudentia. Violenta consilia hic raro succedunt. Conf. *B. Dürr. cit. loc. p.* 368.

Ibid. Necessaria hujus vitæ:) Puta victum & amictum idoneos, ætatique, ac statui vitæ & corporis convenientes. Præcipue gravidis & lactantibus honeste prospiciat, ne vel partus vel mater detrimentum aut noxam patiantur. Colligere hoc solent ex verbis Pauli *Ephes.* V. *v.* 29.

Ibid. Conversatione blanda :] Blanda conversatio opponitur amarulentiæ & austeritati, non autem gravitati & auctoritati, qua debet gaudere maritus. Ridiculæ ergo sunt mulierculæ, quæ expetunt ludicras actiones, saltationes, compotationes, imo nescio quas ineptas ceremonias & cultum vesanum à maritis, ut non tam maritalem conversationem, quam Ganeonum delitias & mores videantur sitire : Quanquam si modus teneatur, nolimus damnare omnes jocos, vide exemplum Isaaci jocantis cum uxore, *Genes. XXVI.* 8.

Ibid. Honorare maritum :] Non solum ore & gestibus atque ceremoniis externis, quemadmodum Sara Abrahamum dixerat Dominum; sed præcipue opere ipso & affectu cordis. Est enim Maritus reapse superior uxore & ejus caput.

Ibid. Eidemque obedire :] Exemplo Saræ à *Petro* commendato *1. Epist. III.* 6. Paulus *Ephes. V.* 22. 24. exigit, ut fœminæ sive uxores ad eum modum obediant & subsint Maritis, quemadmodum Ecclesia Christo.

Ibid. Rei familiaris curam habere :] Graphice hoc officium exhibent *Proverbia Salomonis cap. XXXI. v.* 10. *seqq.*

Ibid. Immunem reddere à sensu molestiarum :] Hoc præstare poterit, *si* omnia in re familiari prudenter ordinarit, ut non solum nul-

nullum damnum sit metuendum, sed omnia etiam cum fructu in commoda Mariti & rei familiaris converterit. *Si* præterea blanda, suavique conversatione, imo etiam consiliis, quantum potest, & solatio Maritum erexerit. *Si* interceperit sua prudentia, quæ parum in tempore oppressura essent maritum, & in tempus commodius transtulerit. *Si* dexteritate sua sciverit quæ ingrata sunt auditu, ita deferre ad maritum, ut ne nimia oriatur animi perturbatio. Quæ sic morata, sat dodata est, & digna encomiasta *Siracide cap. XXVI.* 2. 3. 4. 16. *seqq.* imo Salomone, *Prov. VI.* 26. *cap. XIIX.* 22.

Pag. 556. §. II. **Fastidium alterius capiat:**) Fastidium sæpius solet oriri apud eos, qui in contrahendo matrimonio, magis ad vana, quam sana respexerant, puta tantum ad formam, honores, opes &c. non ad mores, prudentiam œconomicam, pietatem, ætatis proportionem, indolem &c. Sunt enim *illa* dona fugacia, adeoque miserum amoris fundamentum; *hæc* constantia, quæ magnam partem usu non conteruntur, sed perficiuntur. Alias Fastidium diximus lætitiam acescentem, cujus acrimonia ordinarie tanto major, quanto major erat antea dulcedo fruitionis. Medicina hujus mali, est inventu difficilis; ut adeo vel hoc solum malum possit hominem impellere, ut in eligendo conjuge caute, pie & prudenter agat. Quippe facilius impediri, quam curari solet. Interim hoc malo

correptis commendamus abnegationem seculi; resignationem, quam dicunt, in DEI voluntatem; preces; meditationem suæ temeritatis aliorumque delictorum, quæ hanc attraxerant pœnam &c. Ultimum solatium mors est, non optanda, multo minus procuranda, sed tanquam certa demum liberatio, patienter exspectanda. Nullum magnum malum est, quod consequitur finem: Quod medicinæ loco (ut sæpius hæc fastidia esse solent) potest esse, id ne quidem malum, sed optimi Numinis beneficium est.

Ibid. Verbis ignominiosis :) Neutram partem hæc verba decent, utpote non ex officiis conjugialibus, sed ex opposito malo ortum trahentia. Non tamen negamus gravius deficere uxores, si ita peccarint in maritos, quos honorare & quibus obedire debebant: nisi forte furor mariti sævientis sua effecerit stoliditate, ut uxor indigne exacerbata tandem in hoc delabatur vitium. Præterea cave dicas verba ignominiosa, quæ scapham scapham appellant. Non ignominiose tractatur adultera vel adulter, si hoc (modo res sit certa) verbis totidem objiciatur: idem judicium esto de aliis vitiis. Est tamen gemina hac cautela opus: (1) ut possis evidentibus argumentis eum, qui de hoc vitio reus est, convincere: (2) ut hæc turpia, quorum reus est, exaggeres, animo potius emendandi & dehortandi, quam reum exacerbandi.

Ibid.

Ibid. Factis :) Ut sunt verbera, vulnera, vibices, venena & insidiæ, quæ passim vitæ struuntur, etiam inter medios sic dictos Christianos, conjugi à conjuge.

Ibid. Morosè deneget :) Et ita alterum conjugem in libidinis flammas conjiciat contra expressam Pauli constitutionem I. *Cor.* VII. 3. 4.

Ibid. Importune postulet :] Sicque sua incontinentia conjugis alterius vel sanitati, vel conscientiæ officiat & pias meditationes turbet.

Ibid. Alteri faciat :) Adeoque adulterii crimine se polluat.

Ibid. Fieri permittat :) Sive lucri, sive levitatis animi, sive favoris impetrandi gratia. Conjux enim in adulterium sui conjugis consentiens, non tollit adulterii culpam ab adultero, sed se adulterii facit per consensum participem.

Ibid. Voluptatis tantum gratia :] Hoc vitium castigat merito Angelus *Tobiæ* VI. 17. Cave igitur putes, Paulum I. *Corinth.* VII. 9. habere matrimonium pro libidinis volutabro : nullo modo. Remedium, quod libidines impediat, non quod expleat, matrimonium est, si Paulum ejusque consilium sequeris.

Ib. Usum honestum & necessarium :) Puta quem res œconomica, liberi, fata adversa,

citra nostram culpam postulant. Usus autem dicitur illud commodum, quod facultates, citra sui decrementum pariunt: Vulgo interesse salutant. Quanquam in hoc negotio sit respiciendum ad contractus connubiales & reliquas circumstantias.

Ibid. Cum damno ejus :) Hoc sæpius fieri solet in contractibus connubialibus absolutis, ut una pars alterius simul facultates dilapidet: quanquam etiam in conditionatis contractibus insidientur prodigi haud raro alterius partis opibus, quas hæc liberas sibi reservaverat. Querelæ ejusmodi toto die audiuntur.

Ibid. Cum opus est, non protegat:) Contra injurias verbales & reales invasorum temerariorum æque ac callide rem agentium

Ibid. Consilia & monita salubria non communicet:] Deest enim officio suo maritali, vi cujus uxori, ut eam regat, præpositus est.

Ibid. Errantem non corrigat;) Cum uxor sit subjecta viro, sine dubio Maritus reus sit delictorum conjugis, si negligentia sua patiatur eandem delinquere. Qui enim non prohibet, cum possit & debeat, jubet peccare.

Ibid. Gravitatem decentem:] Gravitas & auctoritas requiritur in Marito; non sævitia, non asperitas insana; non furor. Decens gravitas est, quæ exaggerat simul & demon-

monstrat delictorum gravitatem, displicentiam serio testatur, imo & pœnas, pro modulo dominii maritalis infligit, atque emendationem simul & edocet & injungit. Quod si hanc suam neglexerit auctoritatem, quam ut caput familiæ exercere debuerat, graviter delinquit (1) in DEUM, cujus debuerat gerere vices; (2) in se ipsum, quem pœnæ divinæ reum facit (3) in familiam & uxorem, quam negligit.

Ibid. Nimis asper & durus :) Asperitas nimia est judicanda ex circumstantiis personæ, loci, temporis, erroris & similibus. Sic v. gr. nimis asper est, qui conjugem vel indolis bonæ & tractabilem, vel gravidam, vel puerperam, vel alias laborantem, mavult duriter tractare sive verbis, sive verberibus, quam monere comiter. Item qui ad quodvis sive erratum, sive quod genio suo non respondet, insanire & furere non dubitat, & ira ac furore mavult corripi, quam prudenter corripere deficientes domesticos, *leo* adeo *in domo sua*, contra *Simcidis* monitum *cap. IV.* 35. Est etiam nimia asperitas, si neglexerit gradus admonitionis; si non discrimen servaverit, inter lapsus ex proæresi, & inter peccata infirmitatis, vel ignorantiæ &c. Si tempus admonitionis non observaverit; si locum, si modum insuper habuerit. Hæc nimia asperitas grande est delictum, quia (1) abutitur officio divino ad furorem carnis, quod datum erat ad ædificationem familiæ in Spiritu: (2) quia

scandalicat uxorem & domesticos, quos sua ira, impotentia, furore provocat ad actus similes: (3) quia semetipsum hac sua imprudentia & impotentia vel exosum, vel contemtum reddit apud suos: (4) quia sic familiam destruit & suos conjicit in vitia varia. Nec enim DEUS pacis & benedictionis est, ubi paterfamilias est homo iracundus, sævus, tyrannus, blasphemus, imprecationibus & diris omnia devovens. Non est DEUS ordinis in familia, quæ caput habet hominem impotentem, confusum, furibundum.

Ibid. Ad verbera usque progrediatur:] Verbera sunt vulgaris, sed meo judicio, inepta plerumque & non nisi ad exacerbationem faciens delinquentium uxorum cura. Saltem à scripturis divinis non est suppeditata, nec à recta ratione, sed ab ira, impatientia & vindictæ cupiditate, quæ sic suo dolori, non amori conjugiali, non emendationi uxoris, non rei familiari consulit. Et licet γυναικομάστιγες sexcenta excipiant, nihil tamen unquam vel ab optimis eorum, quod in foro conscientiæ ferri posset, audivi. CHRISTUS, (cujus hac in parte æmulus esse debet, docente Paulo ad *Ephes.* V. 25. *seqq.* maritus) non Ecclesiæ, sed suo sanguine mundavit & emendavit Ecclesiam suam, & semetipsum exposuit pro ea, sicque hanc reddidit sibi ipsi gloriosam, non habentem maculam, vel rugam &c. O si hanc Christi viam, pro ratione & modulo officii sui, plures tentarent mariti: quam plures bonas

bonas haberemus uxores. Sed dicis: Est intractabilis uxor, non me audit. Esto sane! sed num verberibus tu convertes uxorem, quam non poteras DEI verbo, quod unicum est medium conversionis? Ἄτοπον! Quæso te, testor conscientiam tuam, mi γυναικομάστιξ, num putas, verbera saniorem mentem ingenerare uxori, quæ debuerat Mater esse familiæ, quæ auctoritate abs te proxima? At, regeris, abutitur patientia mea, est moribus intolerabilibus, Furor fit patientia sæpius læsa. Respondeo, hanc responsionem forte excusare tuum factum ex capite justi doloris, sed non satis facere quæstioni, quæ poscebat, ut ostenderes, verbera esse medium emendandi & ad meliorem mentem reducendi uxores. Pueri ita possunt ac debent emendari; quia ipsis nondum est plenus rationis usus, sed, uti primo vivunt vitam plantæ, deinde animalis, tertio demum hominis; ita antequam vitam hominis cum majorennitate plene consequantur, subesse debent *virgæ castigationis* sive שבט מוסר, ut est *Proverb. XXII.* 15. quanquam ne hi quidem sint cœca obedientia, instar canum juniorum, meris verberibus emendandi, sed ex vita animali in humanam, imo Christianam adducendi ἐν παιδίᾳ καὶ νουθεσίᾳ Κυρίου, docente Paulo *Ephes. VI.* 4. Uxor autem, quam tori sociam esse voluisti, quam matremfamilias, adeoque vel hoc ipso, quod eam duxisti uxorem, in majorennitatem adseruisti, circa contumeliam & injuriam,

citra offensam familiæ, jam non amplius potes ex illa sua statione deturbare & in sortem redigere puerilem, castigatione puerili isthanc informaturus. Excipis: sed puerili est levitate, imprudentia, ferocia? Respondeo. Vapulet ergo tibi tua temeritas, tua imprudentia, tuus amor stolidus, tua avaritia, quibus inducebaris, ad talem ducendam uxorem. Ipsa non esset tua uxor, nisi tu eam duxisses, & matrem familias constituisses. Si quid peccatum fuit hac ex parte, vapules tu tibi, & ne indignis modis tractes uxorem, quæ, ut non sit tua uxor, non amplius jam efficere potes, repugnante ipsa matrimonii natura & ejus indissolubilitate. Instas: Num ergo suades, ut uxoris indoli cedam, illam non emendem, sed ut quidvis impune agat, patiar? Respondeo, nullam hanc esse consequentiam. Adhibeantur media idonea, & quæ digna sint matre familias ordineque conjugiali. Quæris: quænam illa? Respondeo (1) Preces ad DEUM & pœnitens tuæ præcipitantiæ in eligenda uxore parum commoda retractatio: (2) Admonitiones piæ & amabiles, talisque informatio uxoris, qualem illius character & officium matrisfamilias perfert. (3) Præcipue annitere, ut mala domestica parietibus domesticis coërceas, nec effutias tui thalami incommoda, sed absorbeas prudenti silentio, solerti & modesta emendatione.

Ibid. Uxorem ægre patiatur:) Vel quia est incommodis moribus, vel quia forma

ma perit vel quia maritus audit susurrus malevolorum, & impulsum Asmodæi sequitur.

Ibid. Parare cesset necessaria :) Verbi gratia, victum & amictum decentem, vel quibus alias in alenda familia carere non potest. Dantur plures iueptuli, qui rationes domesticas non intelligunt, & ab uxoribus postulant, ut rem familiarem ex aëre vel vento sustentent, aut paucis nummis illam volunt efficere tantum, quantum non fert natura rei.

Ib. Uxori prodigæ nimis indulgeat:) Sive prodiga sit, quia non intelligit rationes domesticas & nescit dispensare ; vel quia compotationibus & luxui, vel quia superbiæ aliisque vitiis nummos absumentibus est dedita.

Ibid. Neque in futurum consulat ;) De mariti quidem officio est necessaria comparare alendæ familiæ ; uxoris est, comparata prudenter dispensare : Quia tamen Maritus totius familiæ caput est, requiritur, ut rationum domesticarum habeat rationem, & nonnunquam disquirat, quomodo domesticæ rationes ducantur ; deficientia suppleat, superflua resecet ; neque exspectet, donec res familiaris plane concussa, ruinam minetur. Sera parsimonia in fundo est.

Ibid Morosum, austerum atque agrestem :] Sive talem, qui nihil amabilitatis, nihil svavitatis habeat, quo uxoris & amorem & fidem, & fiduciam erga se sustentet, alat, augeat, cam-

eamque honeste recreat. Peccatum in defectu.

Pag. 557. §. cod. Intempestiva urbanitate :) Sunt qui excœcati amore vel mulierum vel seculi, magis Ganeones referunt, quam maritos. Peccatum in excessu : maxime si fuerint vel senes, vel forte Sacerdotes, aut Scholastici doctores, quos gravitas præcipue decuerat.

Ibid. Honorem debitum non exhibet :] Sive ex imprudentia, sive malitia ; Sive ex defectu judicii, sive ex corrupta educatione. Gravius tamen delinquit, quæ malitiose officio deest, quam quæ ex ruditate vel naturæ quodam defectu. Exempli loco esse potest *Michal*, II. *Samuel.* VI. 16. 20.

Ibid. Honore inepto potius ; quam congruo :) Puta tali, qui non conveniat statui aut vitæ generi, aut ætati. Nec enim rusticos Dominos dicere licet. vel inferioris ordinis hominibus illum decernere honorem, qui inter optimates viget.

Ibid. Obedire marito recusat :) In rebus, quæ non adversantur divino honori & conscientiæ rectæ & superiorum auctoritati mandatisve validis.

Ibid. Illi imperate ausit :] Quod graviter interdixit Paulus *I. Tim. II.* 12. *Mulieri docere non permitto, neque auctoritatem usurpare in vivos, sed esse in silentio.*

Ibid.

Ibid. Negligentior sit in curanda re familiari:) Quales sunt, quæ pigræ sunt & socordes, garrulæ, somnulentæ, magis mensæ & lecto, quam culinæ & rei familiari intentæ.

Ibid. Luxu & pompa:) Familiare fœminarum vitium. Uti enim formam omnes appetunt; ita malunt pleræque superbire exterius, quam illo indui ornatu spirituali, de quo loquitur Petrus *I. Epist. III.* 3. 4. cui junge Paulum *I. Tim. II.* 9. 10.

Ibid. Inertia sua:) Seu quia rem familiarem curare non didicerunt, adeoque nescio dispensare.

Ibid. Inutiliter affligat:) Pertinet huc quod legimus apud *Jobum cap. II.* 9. *XIX.* 17. Devolvunt autem in maritum molestias non tantum quæ non parcunt viris, sed etiam quæ non sunt, quantum poterant, adjutorio v. gr. solatio, amabili conversatione, cura corporis &c.

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:) Varia scripturæ loca huc pertinent, quæ magnam partem jam singulis officiis in §. I. recensitis adjecimus. Generale mandatum est *Præceptum sextum*, cujus uberiorem interpretem egit Paulus *Ephes. V. Coloss. III.* 18. 19. *Petrus*, *I. Epist. III.* 1. 2. *seqq.*

Ib. Exempla conjugum Sanctorum:] Saræ exemplum commendat ipse *Petrus* I. *Epist.* III. 6. Abigail I. *Sam.* XXV. perquam illustris est ob

ob prudentiam domesticam & eloquentiam admirabilem. Hannæ & Elkanæ I. *Samuel.* 5. 8. 22. 23. Tobiæ & Saræ, in libello Tobiæ, Zachariæ Sacerdotis & Elisabethæ uxoris, *Luc.* I. 6. Aquilæ & Priscillæ *Actor.* XIIX. 2. 3. &c. Sed etiam huc referri possunt ex Historia Ecclesiastica & profana plurium insignia exempla. Ex Ecclesiastica collegit varia *Gothofredus Arnoldus* in der wahren Abbildung der ersten Christen im Glauben und Leben/ *libr. VI. cap. I. II. & III.* Historia Profana possim celebrat fidem mulierum & facta insignia, v. gr. apud *Livium*, laudem meritam sunt consecutæ Fœminæ Sabinæ *libr.* I. *cap.* XIII. quæ sua oratione aciem nefandam dirimere & Maritorum Parrumque litem sanguinolentam componere valuerunt &c. Sed ut alia taceam, placet meminisse Patricii & olim Polyhistoris Noribergensis celebratissimi *Bilibaldi Pirckheimeri*, in cujus *Vita pag.* 67. hoc Epitaphium uxoris exstat: *Mulieri incomparabili conjugique carissimæ Crescentiæ Mest. Bilibaldus Pirckheimer, Maritus, quem nunquam, nisi morte sua turbavit, monum. posuit. Migravit ex ærumnis in Domino* XVI. KL. *Junii. Anno Salutis nostræ M. D. IIII.*

Ib. Conjugii relatio ad finem suum:) Hoc est Sobolis procreationem & educationem, mutuum vitæ adjutorium, libidinum exstinctionem. Hi enim fines illa officia §. 1. proposita postulant.

Ibid.

Ibid. Præmia:) Bona conſcientia, vita quieta, mutuum ſolatium, de cruce & adverſitatibus faciliores triumphi, ac tandem pax æterna in ædibus cœleſtibus pacis. Huc pertinent loca *Eccleſ. IV.* 9. 10. *ſeqq. cap. IX.* 9. *Proverb. XIIX.* 22. *cap. VI.* 26. &c.

Ibid. Pœnæ:] Temporales & æternæ, domeſticæ & publicæ.

Pag. ead. §. IV. Uterque alterutrius indolem:) Sapientium conjugum eſt, addiſcere mutuo alterius mores, quibus deinde vel medicina idonea ſobrie poteſt parari, vel condeſcendendum eſt, ut tela prævisa minus noceant.

Pag. ead. §. V. Peccata circa ingreſſum:) Hoc addiſces exemplo Davidis adulterio ſibi jungentis Bathſebam II. *Samuel.* XII. 11. 14. Item monent verba Angeli *Tob.* VI. 16. 17.

Ibid. Obſtinatio animi:] Qui neſciunt cedere & condeſcendere, ſunt & matrimonium inepti. Unde, præcipue in fœminis, nobilis dos eſt, ſi cedere, tacere, & ſeſe indoli parentum commodare didicerint. Hoc voluit *Sirac. cap.* XXVI. 17. Conf. *Mengeringium in Scrut. Conſcient. Catech.* pag. 815. ubi edocet, quantum malum fœmina ſit, qui ſui capitis eſt vel ob ſapientiam affectatam, vel ob dotis magnitudinem. His ergo præjudiciis obicem ponant, qui liberos educant; vel ſi conjuges jam labo-

laborant hoc vitio, dispiciendum est, quomodo hoc malum possit dextere eradicari per cohabitationem prudentem.

Ad Cap. III. Sect. I.

SUB-SECT. III.

De

Solutione Conjugii & transitu ad nuptias alias.

Pag. 558. §. I.

AD mortem usque firmo & indissolubile :] Hoc docet institutio primæva *Genes.* II. 24. & authentica ejus interpretatio *Matth.* XIX. 5. 6. Conf. Pauli verba *ad Roman.* VII. 2. 3. Est ergo hoc sensu conjugium indissolubile viuculum; etsi etiam dici possit non indissolubile scil. absolute. Conf. *Dn. D. Fabr. Amœn. Theol. p.* 586.

Ibid. Nisi quod in casa adulterii :) Hanc limitationem expresse adjecit Christus *Matth. V. v.* 32. *Quisquis repudiarit uxorum suam παρεκτος λόγου πορνείας, nisi in causa*, vel, ut alii reddere malunt, *in ratione Adulterii*, h. e. in crimine, quod vel ipsum sit adulterium, vel rationem adulterii habuerit. Conf. *Matth.* XIX. 9.

Qui-

Quicunque repudiarit uxorem suam, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *nisi ob stuprum*. Porro priore loco non sine ratione dictum fuisse *extra rationem adulteri*, auctores nonnulli probant ex *I. Corinth.* VII. 15. ubi casum malitiosæ desertionis, etiam ut justam divortii causam Apostolus agnoverit. Sic ergo conciliant Paulum & Christum, quod CHRISTUS *solum* dixerit *adulterium*, non absolute, sed in ordine ad frivolas causas, ob quas Judæi divortia permiserant: Ipsum autem optimum sui interpretem voluisse docere, causam divortii levem non posse admitti, sed illam debere esse vel ipsum divortium, vel crimen, quod sit divortio compar, seu habeat λόγον πορνείας quale quid esse malitiosam desertionem, facile constet. Hinc alii adhuc ulterius progrediuntur in causis divortiorum enumerandis, addentes v. gr. *insidias vitæ structas*, *sævitiam tyrannicam* & similia scelera, quæ adeo non sine inferiora adulterio, ut potius aliqua eorum *rationem adulterii*, vel λόγον πορνείας excedant. Hinc sunt aliqui Nostratium, (quos inter in nostris *libris Normalibus* est ipse *Philippus Melanchthon Exam. p.* 914. qui non improbant absolute divortia propter sævitiam, veneficia & insidias structas vitæ, modo ne in æstimatione illorum delictorum & expendendis circumstantiis fuerit erratum, aut levitas quædam judicum intervenerit. Et profecto qui alia ratione CHRISTI exceptivam εἰ μὴ *Matth.* XIX. 9. cum Paulo *I. Corinth. VII.* 15. conciliant,

paulo durius procedere videntur. Distinguunt inter Divortium jam factum, & demum faciendum; atque jam conciliationem ita moliuntur, ut dicant CHRISTUM loqui de divortio faciendo adhuc, sed nondum facto; Paulum de divortio, quod præter jus & fas actu jam fecerit malitiosus desertor: unde constet Christum & Paulum non loqui de re eadem, adeoque Pauli indultum nec repugnare exceptivæ Christi, nec etiam inferre laxiorem illam exceptivæ interpretationem. Sed, (quod magnorum virorum pace dixerim,) non videntur ita pertingere ad metam, quam intendunt. Utrobique (h. e. in casu adulterii & malitiosæ desertionis) est par ratio. Quo enim sensu dicis, malitiosum desertorem feciſſe, etsi præter jus & fas, actu ipso jam divortium, dum conjugem malitiose deseruit; eodem prorsus modo etiam & quidem itidem, præter jus & fas actu ipso, divortium fecit adulter, qui fidem conjugialem solvit, sui corporis copiam eripit conjugi, & potestatem in aliam personam transfert: Id quod recte observat *Philippus in Examine pag.* (libr. Normal.) 909. scribens: *in quo* (adulterii) *casu persona suo scelere dissolvit conjugium & è medio tollenda erat.* Est ergo in utroque casu ex æquo, si factum æstimes, ruptura vinculi & fidei matrimonialis; nec magis in casu adulterii fieri demum debet divortium, quam in casu malitiosæ desertionis. Quid igitur facit Magistratus quando parti innocenti per adulterium læsæ & so-

& ſolatæ facultatem nubendi concedit? Num ita facit divortium ut ipſe demum vinculum conjugiale hactenus integrum ſolvat? Abſit! Magiſtratus nihil aliud facit, quam cognoſcit & declarat, quod pars nocens revera vinculum & fidem conjugialem fregerit, quodque adeo reapſe in hoc vel illo caſu judicialiter cognito ſit vinculum rnptum; unde ex vitio & malitia adulteri fædifragi, perſonæ innocenti jam ſua conſtet libertas. Par plane ratio eſt, idem modus ſolvendi, aut potius declarandi rupturam vinculi malitioſe factam, in caſu deſertionis. Ex dictis infero, tutius eſſe & textibus Sacris convenientius, ſi particulam εἰμὴ ita fueris interpretatus, quemadmodum illi ſolent, quorum ſub initium hujus notæ fecimus mentionem. Sed hæc ſalvis diſſentium judiciis prolata ſunto. Plura dicentur in nota ſequente.

Ib. Divortium recte petere poteſt:) Divortium deſcribunt, quod ſit *Conjugii legitimi & validi diſſolutio, quoad ipſum vinculum conjugiale.* Nota circa hanc deſcriptionem quod ad divortium verum & proprie ſic dictum requiratur (1) ut conjugium fuerit legitimum & validum. Hinc quando perſonæ ad matrimonium inhabiles ſeparantur, vel quando tales, qui nuptias inceſtuoſas habuerant, divelluntur, non eſt proprie divortium, quia non ſolvitur conjugium legitimum, validum, ſed ipſo jure nullum. Appellant etiam Declarationem potius Nullitatis,

quam divortium. Conf. *Bajer. in Theol. Positiv. de Statu Domest.* §. XXXIV. (2) Requiritur, ut solutio fiat non modo quoad torum & mensam, sed quoad ipsum vinculum, ita ut parti innocenti pateat via ad nuptias novas. Hæc vinculi solutio nisi fiat, non habetur verum & proprie dictum divortium. Unde alius plane sensus est Pontificiorum, alius Nostratium, quando de divortiis agimus. Videlicet divortia sensu pontificio fiunt tantum quoad torum & mensam, non quoad vinculum ipsum, si nimirum de conjugio fidelium seu Christianorum agatur: nam in conjugiis cum infidelibus separationem totalem etiam quoad vinculum agnoscunt ipsi pontificii. Nostrates contradicunt, & statuunt etiam inter fideles fieri posse divortia quoad ipsum vinculum, & hanc solutionem solam proprie dici debere *divortium*, cum pontificiorum divortia sint tantum separatio quoad torum & mensam Scheidung von Tisch und Bett. Vide pluribus contra pontificios disputantem *Menzer. Tract. cit. pag.* 192. 193. *seqq.* Quando ergo Noster dicit, *divortium recte peti posse*, intellgit solutionem conjugialis vinculi totalem, & potestatem transeundi ad nuptias alias. Hic merito movetur quæstio, *An Magistratus solvat vinculum matrimoniale in casu adulterii? An vero tantum judicium ferat & declarationem legitimam edat de vinculo per adulterium revera rupto: ita ut causa efficiens solutionis non sit judex, sed adulter?* Nobis,

bis, ut ex nota præcedente patet, posterius placet. Certe enim nisi adulter solvisset vinculum, & ita in causa adulterii, offerretur judici vinculum actu jam solutum; judex suo arbitrio sero veniret atque frustra solutionem moliretur. Invenit ergo judex non facit solutionem. Dicis: Si solutio jam adest, ergo poterit persona innocens, tanquam soluta vinculo, etiam sine cognitione causæ suæ, novum contrahere matrimonium? Respondeo: Nullam hanc esse consequentiam. Res tanti momenti non est concedenda arbitrio & cognitioni privatæ partium. Sed cum lege ecclesiastica sit constitutum, ut ne quidem possint cohabitare qui matrimonium ineunt, nisi per publicam cognitionem & benedictionem sint in Ecclesia introducti, &, ut conjuges, renunciati; multo minus licebit privatis, sine sufficiente cognitione suæ causæ, sine convictione judiciali partis nocentis, ex capite adulterii, à parte nocente recedere, & ad nova vota transire. Atque hoc sensu potest dici Judex facere divortium, quatenus videlicet ex ejus cognitione & dijudicatione pars innocens demum formaliter licentiam jure suo utendi consequitur, quod ante dijudicationem publicam non potuisset facere. Uti ergo matrimonium contrahitur per sponsalia, & consummatur per benedictionem & comprobationem publicam Ecclesiæ; ita solutio vinculi fit per adulterium & violationem fidei matrimonialis; sed consummatur per cognitionem

judicis legitimi. Eadem ratio est in casu malitiosæ desertionis. Nam ne quidem hæc ruptura & actualis solutio vinculi sufficit ad licentiam novum ineundi matrimonium, nisi accesserit cognitio causæ ordinaria & legitima. Plura hanc in rem pete ex *Philippi Examine* cit. pag. 909. 910.

Ibid. **Impetrata licentia:**] Scilicet non ex arbitrio, sed ex cognitione ordinaria & legitima judicis.

Ibid. **Satius est condonare delictum:**) Si nimirum circumstantiæ & vita ante acta aut pœnitentiæ vigor condonationem suaserint. Nam & hic dixeris, quem pœnitet peccasse, pene innocens est. Certe ad condonandum, motivum non leve est exemplum Sponsi cœlestis, qui nobis fœdifragis toties condonat, & hoc ipso utitur schemate. *Jerem. III.* 1. 8. 9. 12. 13. & alibi passim.

Ibid. **Pars nncens per divortium separata:**] Hoc est illa, quæ adulterium commisit, vel fidem conjugialem alias fregit, sicque causa est soluti vinculi. Notanter autem additur *per divortium separata*, hoc est, cognita causa & lata sententia judiciali legitima, ita ut solutio sit à judice cognita & judicata, secundum ea, quæ paulo ante dixeramus.

Ibid. **Neque capitali supplicio affecta:**] De jure divino adulterium ultimo supplicio vindicandum erat, *Levit. XX.* 10. *Si macha-*

machatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetravit cum conjugo proximi sui, morte moriatur & mœchus & adultera. Hæc lex vero non amplius observari solet. Imo, alicubi tam levis res habetur adulterium, ut non nisi actionem aliquam civilem, in foro pariat. Quippe hæc sanctitas est matrimonii inter Christianos si Christo placet. Philippus in *Examine pag.* (Libb. Norm.) 910. contendit, personam condemnatam, si non puniatur durius, saltem pellendam esse ex locis, ubi vivit persona innocens.

Ibid. Si continere non possit:] Adeoque non ducere vitam homine Christiano & pœnitente dignam. Nefas enim est donare aliquem sic vita, ut simul laqueis Satanæ innectas.

Ibid. Separentur quoad thorum & mensam:] Hæc separatio fit quoad cohabitationem conjugialem tantum, non autem secundum ipsum vinculum. Et quidem non in perpetuum, sed tantum ad certum tempus, quo habeant conjuges dissidentes spatium tractandi de pace & reconciliatione, utpote quæ finis est hujus separationis. Non enim separantur conjuges à toro & mensa, ne redeant in gratiam, sed ne offensio cohabitationis ulterior nimium animos exasperet, mentesque prorsus ad reconciliationem ineptas reddat. Hinc confessariis competit, hinc ipsi magistratui, hinc amicis Christianis,

ut reconciliationem, quantum possunt, suadeant, forment, firment. Huc referunt illud Pauli *I. Corinth. VII.* 11. *Quod si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur.*

Ibid. Divortium proprie non est:) Quia non est solutio vinculi connubialis.

Ibid. Inimicitia incorrigibili:] Incorrigibilis inimicitia dicitur non absolute, sed in ordine ad illum statum, in quo sunt, dum separantur. De reliquo correctio est semper tentanda, & sunt partes omnibus mediis adigendæ ad redintegrationem officiorum, quæ mutuo sibi ob vinculum conjugiale decent.

Ibid. Danda est opera:) Confessariis, Magistratui Politico, amicis partium dissidentium, imo ipsis etiam partibus dissidentibus.

Ib. Ne plane exstinguatur Charitas:) Charitas Christiana quidem & conjugialis differunt, ut latius & angustius. Omnis quippe Charitas conjugialis esto Christiana; sed non omnis Charitas Christiana, conjugialis esse potest vel debet. Quod si ergo cesset vis Charitatis Conjugialis; cavendum est, ne simul etiam Christiana Charitas exstinguatur, & inimicitiæ capitales oriantur ex conjugialis amoris defectu.

Ibid. Potest conjux superstes:) Vidua vel viduus. Qui autem vinculum matrimoniale ne per mortem quidem solvi dixerant, ineptiarum accusantur *Menzero cit. loc. pag.* 193. Nostræ thesi patrocinatur, imo ipsam no-

nobis ſuggerit Paulus *Rom.* VII. 3. I. *Corinth.* VII. 39.

Ibid. Prioris conjugis non nimis cito dememineſſe :) Annus luctus in uſu olim erat. Hodie moribus bonis undique concidentibus, non eſt dedecori, vix tres menſes exſpectare. *Vid. Mengering. cit. loc. p.* 860. *ſeqq.*

Pag. 550. §. eod. Liberorum ex priori conjuge ſuſceptorum:] Vulgo ajunt, novercam ductam efficere patrem vitricum, & vitricum efficere matrem novercam. Hinc præſumuntur illi mutare animum adverſus liberos ſuos, qui citra urgentem neceſſitatem ad vota nova tranſeunt. Cum autem hoc perpetuum non ſit, de officio illorum, quibus nuptiæ novæ ſunt neceſſariæ, utique eſt, ut reapſe demonſtrent, nuptias non mutaſſe animum paternum vel maternum erga liberos ex matrimonio priore.

Ibid. Curam honeſtam & ſufficientem :] Tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, præcipue ſi fuerint minorennes. Procurent ergo, ut nihil illorum informationi, educationi, victui, amictui deſit. Habeant etiam illorum rationem, ſi quando ſunt matrimonium inituri, & ſic omnia faciant, quæ decent honeſtos & pios parentes.

Ibid. Nimis properetur :) Scil. levitas eſt, ſi quis immerſus tanto malo ſtatim properet ad nuptias alias, & præcipiti velut pede

ruat, nihil curans infelicitatem connubii prioris Conf. *Examen Philippi cit. loc. p.* 912. 913.

Pag. ead. §. II. More judaico :] Adeoque etiam extra crimen, vel causam, quæ *rationem adulterii* habuerit. Dimiserant autem Judæi uxores ob res leviculas, & quidem juxta Scholam *Hillelianam ; Schammæana* autem non permiserat nisi in causa adulterii, prout *Lightfootus* testatur in *Horis ad Matth. XIX.* 3. *p. m.* 399.

Ibid. Adulterium :] Puta consummatum adeoque tale, quod judicari possit in foro humano. Etsi enim peccet in foro conscientiæ, & adulter sit, qui vel aspicit, ut concupiscat, uxorem alterius ; non tamen hoc est adulterium causa divortii in foro humano & Ecclesiastico. De occultis & recessibus cordis non judicat Ecclesia. Horum competens forum divinum est.

Ibid. Polygamiam :) Intellige *simultaneam*, non successivam, & quidem tam unius mulieris cum pluribus viris, quam unius viri cum pluribus mulieribus. Plura hanc in quæstionem vexatam vide apud scriptores passim, v. gr. *B. Dürrium in Theol. Moral. p.* 359. *B. nostrum Auctorem in Theol. Posit. cit. loc. §. VIII. nota (b) D. Zeidlerum in Disquisit. de Polygamia. Dn. D. Sonntagium cit. disput. Memorial. II. p.* 10. *seqq.* & alios pene in numeros.

Ibid.

Ibid. Durior est pars læsa:) Jus summum expetens & omnem veniam denegans, contra regulas charitatis & mansuetudinis Christianæ. Utique enim his ob oculos poni debet illa parabola *Matth. XIIX.* de servo implacabili, & in memoriam revocanda major & frequentior violatio matrimonii nostri mystici cum Christo: quo adulterio spirituali sæpius proh dolor nos polluimus, maxime autem quando à Spiritu Christi per implacabilitatem deficimus.

Ibid. Malitiose deserit:) Non omnis quippe discessio est malitiosa. Alii discedunt animo redeundi, alii ob commercia, alii captivi abducuntur &c. Nemo ergo haberi potest pro desertore malitioso, nisi de animo ipsius deserendi alteram partem, judicialiter & satis liquide constet. De malitiosa desertione vide *Examen Philippi in Libb. Norm. p.* 911. 912. *B. Mengeringium cit. loc. p.* 811. & alios.

Ibid. Molestus & intolerabili:) Hoc scelus priori B. Auctor aptissime jungit. Meruit *B. D. Balduini* observatio *in Cas. Consc. p.* 1214. passim ab auctoribus laudari, quæ sic se habet: *Malitiosi desertores sunt, qui nimis crudeliter in uxores sæviunt, & nullis mediis se emendari patiuntur. Perinde enim est, sive à conjuge discedas, sive eam ita tractes, ut te quam longissime discessisse optet: Utrobique enim maritalis affectus exstinguitur.*

Ibid.

Ibid. Antequam - - processus finitus est, aliud matrimonium contrahitur:] Non infrequens hoc scelus est, ut pars deserta deserentis malitiam hoc pacto compenset. Sed quomodo tu poteris, salva conscientia & honestate, novum contrahere matrimonium, si te facultate contrahendi nondum tibi constat?

Ibid. Moribus suis improbis :] Sive utraque pars fuerit, sive altera tantum, quæ sua improbitate efficiat, ut separatio quoad torum & mensam sit concedenda, vel etiam dictanda.

Ib. Post mortem conjugis justo otius:) Ita nempe, ut *vel* tempus luctus in brevissimos terminos contrahant, de quo more perverso superius nonnihil diximus; *vel* saltem citra causas urgentes ad nuptias novas festinent, suamque adeo libidinem & incontinentiam prostituant. Conf. tamen Pauli monitum *I. Tim. V.* 14. Adde *Mengering. cit. loc. pag.* 863.

Ibid. Vivente adhuc conjuge :) Hoc delictum est frequentissimum, maxime si alteruter conjux, vel senectute, vel morbo diuturniore prematur. Est species adulterii, quod non raro etiam ipso opere erumpit. Quid? homicidia aliquando inde enata sunt.

Pag. 560. §. III. Mandatum DEI:] Discessum à Conjugio inordinatum omnem vetuit DEUS in ipsa institutione *Genes. II.* 24. & ejus inter-

interpretatione *Matth.* XIX. 5. Conf. *Rom.* VII. 2. 3. I. *Cor.* VII. 10. 39.

Ibid. Exempla ſanctorum :) Non enim reperies in vitis ſanctorum etiam V. T. frequentata divortia, etſi vixerint in Polygamia ſimultanea. Retinuerunt uxores ſuas ad mortem usque *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob*. Quid? *David* adeo noluit carere ſua uxore *Michal*, quam Saul violenter abſtulerat, & junxerat cuidam filio Lais, dicto *Phalti* I. *Sam.* XXV. 44. ut etiam quamprimum poterat, eam repeteret & ſibi jungeret II. *Sam.* III. 14. Caſtitatem ſuam celebrat *Hiob cap.* XXXI. *v.* 1. Adulterium oblatum declinavit *Joſeph*, *Geneſ.* XXXIX. *v.* 8. 9. *ſeqq. &c.*

Ibid. Ipſius conjugii ratio :) Educatio ſobolis enim & mutuum vitæ in œconomicis adjutorium non niſi incommodiſſime ferre illas turbas, ex quibus divortia oriuntur, multo minus ipſa divortia.

Ibid. Dignitatis :) Quæ non modo patet ex auctoritate auctoris, cujus in honorem hic ordo ſancte ſervandus, ſed etiam ex myſtica ad Chriſtum & Eccleſiam relatione. Parum autem conſulunt tanto honori, qui leviter à conjugio recedunt.

Ibid. De conjugio novo non niſi pie ineundo mandatum DEI :] I. *Tim.* V. 14. I. *Cor.* VII. 8. 9. 39.

Ibid.

Ibid. Exempla sanctorum:) Abrahami nuptiæ secundæ narrantur *Genes.* XXV. 1. Abigailis post mortem mariti I. *Sam.* XXV. 42. *Ruth. cap.* IV. v. 10. De *Fabiola*, quæ post divortium nupserat alii viro, ex *S. Hyeronnimo* constat apud *Philipp. in Libb. Normal. p.* 910. qui morem judiciorum in nostris Ecclesiis etiam ex *Origine Eusebioque confirmandum sibi sumsit.*

Ibid. Circa conjugii ingressum observari debent:) De his egimus paulo ante ad *sectionis hujus I. Sub. Sect. I. §. I.*

Ad Cap. III. Sect. I.

SUB-SECT. IV.

De

Officio Viduarum.

Pag. ead. §. I.

Post mortem conjugis observanda diximus:) Paulo anre in *Sub Sect. præced. §. I. II. III.*

Ibid. Vivere desolatam:) Est autem *desolatam vivere*, idem, ac esse orbatam, sive vitam agere ab omnibus commodis, delitiis ac jucunditatibus seculi destitutam. Idque volunt voces tam Latina quam Græca, quibus Viduæ

duæ appellantur, ceu probe observant Interpretes passim ad *I. Tim. V. v.* 5.

Ibid. Sperare in DEO:) Hoc officium Speciale Viduarum esse dicitur, non ac si non esset omnium Christianorum commune officium, *sperare in DEO*; sed quia Apostolus volebat indicare, veræ viduæ nihil solatii, nihil spei esse debere ex ullis rebus, quibus alias homines in hac vita erigi solent, sed ipsam, tanquam aliena & ordinaria aliorum ope destitutam, unicum habere præsidium, DEUM, ad quem solum omnia perferat, cui soli omnia sua commendet & commendare possit, à quo solo etiam, tanquam ex machina, consilia omnia & solatia repetat. Utut autem hæc ita sint, velim tamen ut viduæ sint quoque memores alterius cujusdam moniti Apostolici de curandis simul domesticis suis, si quos habent. vid. *I. Tim. V.* 8. Ita enim voculas εἴ τις accipiendas esse, ostendit *Erasmus ad hunc locum.* Alia quoque pietatis officia idem urget Apostolus I. *Tim. V. v.* 4. & 10. Conf. *Dürr. cit. loc. p.* 404.

Ibid. Precibus publicis privatisque:] *Publicæ* preces sunt, quæ in templis & publicis locis precum fiunt. His enim non debent se subducere viduæ, nisi velint recedere ab exemplo incomparabili Hannæ, cujus *Lucas* meminit *cap. II.* 36. 37. Preces *privatæ* sunt, quas domi fundunt ad DEUM ex conclavi occluso.

Pag.

Pag. 561. §. II. Apertis lasciviæ indiciis:) Dum circumcursitant in loca libidinibus & spectaculis destinata; lasciviam oculis, verbis, gestibus produnt; consortia morum ambiunt, & his blandiuntur, & quæ id genus alia sunt. Has vivas mortuas dixit Paulus *I. Tim.* V. 6.

Ibid. Conversatione tali, quæ suspicionem &c.) Indirecte rem aliquando agunt, & illa frequentant gynæcea, quæ à masculis non abhorrent. Licet autem habeant, quod hic excusent; erat tamen viduæ veræ etiam hanc suspicionem declinare.

Ibid. Luxu vestium:) Vestium luxus dedecet omnes matronas Christianas per expressas constitutiones Apostolicas *I. Tim. II.* 9. 10. *I. Petr. III.* 3. *Earum ornatus sit non externus, qui situs sit in plicatura capillorum, & additione auri, aut in palliorum amictu* &c. In viduis autem hic luxus plane piaculum & grande scelus est.

Ibid. Otio, garrulitate aut πολυπραγμοσύνη:] Damnat hæc in viduis maxime junioribus vitia Paulus *I. Tim. V. v.* 13.

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:] *I. Tim. V.* 5. 6. *seqq.*

Ibid. Exempla viduarum sanctarum:] *Viduæ Sarepthensis* exemplum legimus *I. Reg. XVII.* 12. Exemplum *Hannæ* exstat *Lucæ II. v.* 37.

Nai-

Viduæ alius cujusdam, *cap. XXI.* 2. 3. Viduæ Nainiticæ, *cap. VII.* 12. 13.

Ibid. Præmia recte agentibus:] Verarum viduarum Patronus, imo Pater & vindex est DEUS, cui singulariter curæ cordique semper fuerunt. Vid. *Deuter.* X. 18. *Esaiæ* I. 17. *Jac.* I. 27. &c. Honor ipsis est divinitus decretus *I. Tim. V.* 3. *De bono viduitatis* exstat *liber Augustini Tom. IV. operum.* Huc pertinent loca plura, v. gr. *Deut.* XIV. 29. XXIV. 19. XXVI. 12. 13. &c. unde constat, DEUM viduis juxta Levitas, qui erant portio DEI, prospexisse. Conf. *Sirac.* XXXV. 18. 19. &c.

Ibid. Pœnæ peccantibus destinatæ:] Paulus appellat viduas in deliciis versantes, *viventes mortuas.* Sunt autem mortuæ *civiliter* ob infamiam; *spiritualiter*, ob servitutem peccati; imo etiam *æterne*, nisi resipuerint. Conf. *I. Tim. V. v. 6. 12. Esaiæ IX.* 17. &c.

Pag. ead. §. IV. Consideratio status viduitatis:] Vel ipsum nomen de re testatur. Priscis viduare erat *Spoliare, orbare:* Unde & *viduertatem* calamitatem appellant. Sic χήρα Græce est vidua à χηρῶ, quod est *desolo ac destituo.* Viduarum statum egregie expressit *Hieronymus in Epist. ad Gerontiam, quæ* videlicet *omni suorum auxilio sunt destitutæ, quæ manibus suis laborare non possunt, quæ paupertas debilitat,*

tat, ætasque conficit, quibus DEUS spes est & omne opus oratio.

Ad Cap. III. Sect. I.

SUB-SECT. I.

De

Officio Parentum Christianorum.

Pag. 562. §. I.

PRocurare :] Precibus, consiliis, educatione, sumtibus impensis. Hoc officium exigit ipse finis matrimonii, qui est sobolis procreatio & educatio, sicque generis humani & Ecclesiæ non per progeniem vitiosam deformatio & destructio, sed propagatio per posteros in Domino educatos.

Ibid. Salutem liberorum temporalem & æternam:) Temporalis salus nulla est, quæ non est via ad æternam salutem. Unde qui æternam salutem filiorum negligunt, ipsis frustra consulunt opibus, honoribus & aliis rebus caducis. Quid enim juvant hæcce cum jactura animæ æterna parata? *Matth.* XVI. v. 26.

Ibid. Fœtuum conceptorum :] Horum ratio habenda est tam in spiritualibus, quam

quam corporalibus. In corporalibus debent curare parentes, ut sani serventur fœtus & in lucem edantur. Hinc de *patrum* officio speciali est, ut conjugum gravidarum habeant decentem curam, ne noceant fœtui, dum matres verbis vel operibus indigne provocant ad iram, vel terrorem ipsis incutiunt, aut forte verb ribus tractant, ad labores graviores, vel gravidis periculosos sive instigant, sive cogunt, & quæ id genus alia sunt. Ipse DEUS gravidarum fœminarum curam habuit in sua lege *Exod. XXI.* 22. 23. Plura urget *B. Mengeringius in Casibus ex quinto præcepto p.* 731. 732. Ubi mox subjungit quædam uxoribus sive matribus etiam hac in parte tenenda, ne hoc suo jure abutantur. Huc pertinet monitum, ne conjuges congressibus conjugialibus fœtui noxam inferant. Fusus est hoc in casu ventilando *B. Königius cit. loc. p.* 899. *seqq.* brevior *Mengeringius p.* 803. 804. Speciatim de officio *Matrum utero gerentium* est, ut ne ipsæ temere irritent maritos, vel sponte, imo invitis maritis, ad labores gravidis non convenientes provolent, aut talia loca frequentent, unde partus monstrosi oriri possint. De reliquo Medici & obstetrices consulendi sunt. Vide *D. Georgium Pistorium* in libello Germanico, cui titulum fecit Frauen-Zimmer / *cap. VI. seqq.* ubi consilia medica exhibet. Sed transeant ista, quæ fori nostri non sunt.

Ibid. DEO per preces ardentes :] Curam DEUM gerere singularem fœtuum in utero materno, docemur *Psal.* CXXXIX. 13. *seqq.* *Job.* X. 10. 11. & DEUM esse, qui donet fructum ventris, constat *ex Genes.* XXX. 2. *Psal* CXXVII. 3. CXXIIX. v. 3. 4. &c. Est igitur parentum Christianorum, infantem, quem DEI donum noverunt, DEO pie commendare, & precibus ipsi interim offerre, donec etiam possint, (si voluerit vitam eo usque largiri fœtui & parentibus) suo tempore in baptismo eidem consecrare. Pietati parentum formulas precum suggerunt *Melisander* im Ehe-Büchlein *part. II. Num. XXIII. XXIV. seqq.* & plenius M. Bonifacius Stöltzlein im Geistl. Adler-Stein / *Part. III. IV. V. p.* 30. *seqq.* Hoc officium rite præstitum magno solatio esse potest parentibus, quorum fœtus ante baptismum moriuntur: qua de re alibi.

Ibid. Tenellis corporibus necessaria :) Ratione victus, amictus, vel potius in volucrorum & fasciarum si opus fuerit, addi possunt medicamenta convenientia & probata.

Ibid. Sine mora non necessaria ad Baptismum afferantur :) De hoc officio parentum facile judicium fieri potest ex eo, quod de necessitate Pædobaptismi Theologi orthodoxi passim attulerunt, quos, cum hinc inde de baptismo ageremus, laudavimus, & eorum sive loca sive argumenta etiam indicavimus.

Ibid.

Ibid. Lacte ſano, ac ſi fieri poſſit, materno:] Hanc in rem vide fuſe agentem *Königium*, qui caſum conſcientiæ peculiarem ita formavit. *Utrum Matres bona cum conſcientia, liberis, ex ſe prognatis proprium lactatum denegare & aliis lactandos tradere poſſint? pag.* 894. atque, poſtquam excepiſſet caſus varios, v. gr. *ſi* lac defuerit matri; vel *ſi* lac non fuerit ſatis ſanum; vel denique *ſi* vitium fuerit papillarum &c. ita *pag.* 896. definivit & pluribus rationibus firmavit, *Matres, bona cum conſcientia, liberis à ſe prognatis ubera denegare, aliisque hoc munus nutricandi demandare non poſſe.* Conf. *Mengering. p.* 611. Imo etiam *B. Cellarii Polit. ſuccinct. lib. I. cap. IV.* §. 18. *ſeqq. pag.* 61. 62. &c.

Ibid. Cibisque & potu &c.) Videlicet qui vitam largiuntur fœtui, illi etiam de alimentis proſpicere eidem debent, donec ſibi ipſe victum parere queat. Hoc vel ipſa natura docet, quæ facultatem & pronitatem nutriendi fœtus ſuos omnibus generantibus indidit: id quod ex *Ariſtotele* eleganti loco illuſtrat *Dürrius in Theol. Moral. pag.* 372. & probationis loco allegat dicta divina *I. Tim. V.* 8. *Matth. VII.* 9.

Ib. Simul ac uſus rationis ſe exerit:) Hoc eſt à prima ætate, quæ alicujus informationis eſt capax. Non enim exſpectari debet, donec uſus rationis aliquantum fuerit notabilior & confirmatior, ſed debet formari, cum eſſe incipit.

Ibid. Ad exercitia pietatis:) Ita ut possit dici ἀπὸ βρέφους seu *à puero*, & quasi cum lacte materno *Scripturas* seu religionem sinceram & veram pietatem, quam Scripturæ tradunt, *novisse*, & in succum & sanguinem convertisse, quemadmodum hoc in Timotheo commendat felicitatis genus Paulus *II. Timoth. III.* 15.

Ibid. Privatim:] In ædibus parentum.

Ibid. Publice:] In scholis publicis & Sacris Ecclesiasticis, maxime Catechisationibus.

Pag. 563. §. eod. Devote & intelligenter:] *Devotio* pueris inculcari ita debet, ut discant sacra, tanquam in conspectu DEI religiose & cum attentione, agere. *Intelligenter* reddunt preces, cantiones, capita catechetica, scripturæ dicta, si (1) verbis & syllabis integris articulateque omnia exprimant, nec verba deformata, corrupta & mutilata facere permittantur: (2) si adjecta explicatione vocum, phrasium & rerum, additis etiam interrogationibus & responsis extempore formandis exerceantur illorum ingenia, ne verbis non intellectis memoriam potius onerent, quam intellectum ornent, & mentem illuminent.

Ibid. Magis magisque ad profectum fidei:] Habitus fidei non immediate concipitur, sed est ex auditu, *Rom. X.* 17. ex eodem etiam principio, h. e. ex eodem verbo Dei audito vel lecto, capit fides incrementa sua, ut distincti-

stinctior, confirmatior, perfectior fiat, dum elementis catecheticis aut lacti catechetico succedit solidus cibus in concionibus verbi & jugi scrutinio ac meditatione scripturarum.

Ib. Cultum honestæ scientiæ vel artis:) Et quidem primo excoli debent artes generales, sive quæ ad omne vitæ genus proficuæ sunt, ut Lectio, Scriptio &c. ex *Grammaticis*; quinque Species, quas dicunt, & Regulæ vulgatiores ex *Arithmeticis*. Non fuerit inutile, si accesserint elementa *Musices*. Confer. *B. Lutheri primam præfat.* in *Hymnos & Psalmos*, *Tom. IIX. Jenens. Germ. fol. m.* 356. ubi testatur, se nolle artes liberales, minime omnium autem Musicam, è Scholis Evangelicis ejectam. Deinde jactis hisce fundamentis, accedentibus annis, admoveantur pro ingenii capacitate & reliquis circumstantiis ad vitæ genus certum, in quo posthac DEO & Ecclesiæ Christi salutique communi societatis humanæ ex professo inserviant; sive deinde illud vitæ genus pertinuerit ad *statum Ecclesiasticum* stricte talem, sive ad *statum Civilem*, sive denique ad *œconomicum*, quo referimus omnes artes & opificia. Primus gradus inserviendi proximo est, si eousque profeceris, ut nemini sis molestus, sed possis vitam & olim familiam sustentare ex Tuo labore, secundum illud *Psal.* CXXIIX. v. 2. *Labores manuum tuarum manducabis: beatus es & bene tibi erit.* Non solum autem annitendum est, ut ne simus molesti cuiquam, sed etiam

ut fructus aliquis & commodum ex noſtro labore redunder in Eccleſiam & Rempubl. ſive mediate, ſive immediate &c. Hic ſecundus & illuſtrior gradus eſt inſerviendi proximo. Porro cum DEUS non dederit omnia omnibus, ſed ſingulis aliquid, nec nullum vitæ genus probatum reperiri queat, quo poſſit humana ſocietas commode carere; hinc judicio in vitæ generibus ſeligendis opus eſt, ad quæ ſint pueri admovendi & inſtruendi. Eſt videlicet (1) reſpiciendum ad indolem & dona naturalia liberorum, in quibus vocatio divina, quam Naturalem vocant, latitat: (2) ad Statum familiæ, ejusque conditionem; (3) ad media & ſubſidia probabiliter ſaltem procuranda, quæ ad hoc vel illud vitæ genus legitime olim exornandum requiruntur. Quanquam Chriſtianos deceat, ut etiam Providentiæ divinæ confidant, nec ſtatim deſperent, ſi omnes ſumtus ſucceſſive neceſſarii non ſtatim in primo momento prævideantur à nobis. Sit pia intentio, ſit felix ingenium cum reliquis naturæ donis, ſit vocatio naturalis ſive ſtimulus aliquis ſingularis in puero; accedat conſilium cordatorum præceptorum, virorum, Patronorum; ſubminiſtrent parentes pias preces & benedictionem, quantam poſſunt: reliqua commendent Domino. Verbum verum eſt: *Dominus providebit, qui fidem habet, videbit.*

Ibid. Pro capacitate ingeniorum;) Ingeniorum capacitas duplici ratione conſide-

rari

rari potest. (1) Ratione ætatis. *Alia* enim capacitas est infantum, *alia* puerorum, *alia* juvenum, *alia* virorum &c. (2) Ratione donorum & indolis sive qualitatis. *Alia* ingenia sunt libera, excitata, ignea; *alia* tarda, lenta, servilia, &c. Utroque modo debet capacitas ingeniorum æstimari in informatione & applicatione liberorum ad certa vitæ genera, magis tamen modo posteriore. Alia huc facientia lege ap. *B. Dürrium Theol. Moral. p.* 373.

Ibid. Quod familiam decet;] Sunt familiæ Illustres, Nobiles, præclaræ: sunt obscuræ, ignobiles, plebejæ. His emergere per merita & virtutes ad illustria & præclara licet: illis turpe, si progeniem relinquant tanto ortu indignam, quam adeo dixeris *Rubos Rosetorum veterascentium*, prout alicubi Schuppius eleganter loquitur.

Ibid. Filiæ ad curam rei familiaris:) Ad rem familiarem referunt, nere, suere, linum & lanam tractare, culinarem artem exercere, omnia fragmenta victus amictusque usibus domesticis apte commodare, uno verbo *dispensare*, & in usus rei familiaris convertere, quod pro suo statu & vitæ genere acquirit probus maritus. Accedat pro ratione temporis, peritia curandi infantes, ægrotos &c. & similia, quæ olim futuram honestam matronam decent. Conf. *Prov.* XXXI. 13. *seqq.* I. *Tim.* II. 9. *seqq. Cap.* V. 14. ubi officia matronarum (ad quæ filiæ sunt instituendæ, quia

ad hoc vitæ genus illarum sexus creatus est:) egregie recensentur. Plura paulo inferius dicenda venient de cura filiarum.

Ibid. Sumtus, quantum necesse est:) Educatio non minus est pars officii paterni maternique, quam generatio. Imo patria potestas in hoc præcipue fundatur, quod DEUS voluerit sic propagari genus humanum, ut per generationem corporalem formarentur corpora; per educationem demum mentes liberorum. Corporibus formandis vel novem sufficerant menses; formandis animis seu mentibus vix anni bis aut ternovem. Qui igitur sunt à parentibus generati, nutriti, & magnis sumtibus laboribusque formati, educati, merito potestati patriæ plene subjecti sunt, præcipue quam diu in matrice familiæ geruntur & quasi succum inde trahunt: quanquam ne tunc quidem, quando novam familiam condunt, ista vis & obligatio exspirare possit, quia eum in finem generantur liberi ut olim loco parentum sint, & in horum opes, bona & jura succedant. Sicuti ergo hæc vis est patriæ potestatis, ita illud est hujus potestatis patriæ officium, ut liberis informandis sumtus sufficientes suggerat.

Ibid. Mores liberorum ad quasvis virtutes &c.) Antiquum & verum verbum est: *Qui proficit in literis, & deficit in moribus, plus deficit, quam proficit.* Per mores autem non

non intelligimus h. l. gestus & habitum corporis externum duntaxat, sed potius ita accipimus terminum, quemadmodum illum explicavit *B. Auctor* sub initium suæ *Theol. Moral.* Pessime ergo consulent suis liberis, qui eorum intellectum ita excolunt, ut voluntatem & affectus negligant. Imo doctus nebulo & literatus impius, nebulone indocto vel impio non literato longe pejor est & pernicioſior. Pertinent huc analogice quæ habet ingenioſissimus *Pufendorf. de Officio Hominis & Civis libr. II. cap. V.* §. 6.

Ibid. Omni hominum generi communes:) Hæ virtutes sunt Ethicæ & in Scholis Philoſophorum traduntur; in Theologia vero Morali ex verbo divino revelato perficiuntur.

Ibid. Christianis proprias:] Seu quas citra Revelationis divinæ subsidium ratio sibi relicta ignorat, adeoque Theologus tantum tradere potest, saltem formaliter & explicite. Alias certum est, omnes virtutes Christianas quoad suam moralitatem pendere ex decalogo. Qua de re alibi.

Ibid. Ex se indifferentia forte sint:) Ut exercitia varia, saltationum, pugilum &c. Quanquam hic sedulo cavendum, ne quid nimis, aut cum præjudicio pietatis fiat. Præceps ex talibus est in vanitatem seculi lapsus.

Ibid.

Ibid. Inclinationes inordinatæ obſerventur &c.] In pueris nulla inclinatio vehementior, quam *excandeſcentia* & vindictæ cupiditas; hæc enim ſæpius rationis uſum antevertere adhuc videtur. Hinc ancillæ, matres, nutrices ſæpius juvant carnalem hanc inclinationem, condeſcendunt, lapides & ſcamna verberibus excipiunt, ut vindictæ cupiditati infantili ſatisfiat. Quo ipſo miſere infantes corrumpunt, & in inclinatione hac peſtifera ita obfirmant, ut vix decem anni emendationi impenſi illum habitum vel intra decem dies contractum amplius eradicare valeant. Longe rectius illi faciunt, qui quam diu rationis uſus deeſt, ita reſiſtunt huic malo funeſto, prout alias ſolemus rationis uſu carentes canes & alia bruta à certis actionibus avocare & ad alias adſuefacere, donec tandem, cum rationis uſu, accedere poſſit inſtitutio ex verbo divino & fœderis baptiſmalis tenore. Idem judicium eſto de aliis inclinationibus inordinatis, quæ paſſim ſeſe produnt, juxta proverbium, *Urit mature, quod vult urtica manere.*

Ibid. Conſortia prava &c.] Elegans Juvenalis admonitio eſt:

Nil dictu fœdum viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt: procul hinc, procul inde puellæ,

Leno-

Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contemseris annos:
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Fomiti comparantur infantes, quæ nihil velocius excipiat & concipiat, quam malorum exemplorum scintillas.

Ibid. Ne corrumpantur illis, præmuniatur:] Est aliquando vix in potestate parentum, ut omnia mala exempla possint ab infantili conspectu removeri. Sic in diversoriis, sic in Academiis, flagitia fere confluunt: Furores, obscœnitates, compotationes, effusiones sanguinis innocentis, furta, adulteria, fornicationes, fraudes, inobedientia, magistratuum contemtus, blasphemiæ, perjuria &c. (si consvetudinem, quæ derogat legi, publicam, & usu saltem confirmatam spectes) laudi & magnarum mentium indicia creduntur. Quis à tot publicorum scelerum conspectu, ab hac colluvie, ab hac peste prohibuerit miseros infantes, pueros, puellas? Non occulta, sed solennia sunt, sed cuivis obvia hæc scandala. Dixeris, væ hominibus, qui liberos suos educare coguntur in Academiis; nisi forte ita instruas animos tenellos, ut furias illas cum lege

lege DEI comparando, sic intueantur, quemadmodum olim servi ebrii & ex ebritate stulte se gerentes ostentabantur liberis ad magna & honesta natis educandisque, quo turpi spectaculo commoti, ebrietatem fugere discerent.

Ibid. Peccata admissa pro ratione gravitatis &c.) Ut DEUS magistratui non frustra dedit gladium, sic non frustra est parentibus commendatum *Sceptrum Castigationis* שבט מוסר, quemadmodum ex *Proverb. XXII.* 15. novimus. Qui diligit filium, castigat eundem. Vide *Proverb.* XXIII. 13. 14. *Sirac.* XXX. *v.* 1. &c. Imo pœnas dant DEO, nisi fuerint usi hoc suo jure, sed intermiserint pœnas filiorum, quod vel solum Eli Sacerdotis funestum exemplum satis loquitur *I. Samuel. III. v.* 13. 14. Conf. *Meugering. ex IV. præcepto, quæst.* 59. *p.* 591. Recte autem additur à nostro Auctore, pœnas hasce sumi debere, (1) *pro ratione gravitatis delictorum.* Æstimatur autem gravitas ex circumstantiis, præcipue ex proæresi, ex iteratione delicti, ex contumacia, item ex loco, ex tempore, ex objectis actionum, &c. (2) Monet Noster, debere haberi *rationem indolis peccantium. Alii* peccantium sunt protervi, leves &c. *Alii* tractabiles, timidi &c. *Alii* sunt candidi; *Alii* callidi &c. Dispiciendum ergo, quæ medicina cui malo sit commoda; ne inepta tractatione ingeniorum, plus eadem corrumpamus, quam emendemus, & sic

& sic fine educationis & castigationis paternæ excidamus. Audi Salomonem *Proverb.* XIX. 18. 19. Audi Paulum *Ephes.* VI. 4. *Coloss.* III. 21. de qua re post paulo plura. Ubi ergo sufficiunt verba, ad verbera non temere provolandum. Tunc autem verba sufficiunt, (1) quando verbis liberi ad seriam pœnitentiam & emendationem perduci se patiuntur; (2 si delictum non fuerit tantum, ut ejus gravitas & enormitas postulet zelum & graviorem animadversionem. Præcipue autem cavere debent parentes, ne pœnarum mensuram constituant suos affectus: Quo vitio nihil frequentius in educatione puerorum. Plerique parentum non æstimant delicta & indolem filiorum; sed tunc exaggerant pœnas, quando aliunde jam conceperant iram atque aliquando ob leviſſima delicta, nescio quas exsecutiones desperatas instituunt. E contrario si minus fuerint commoti, vel ingentia flagitia risu excipiunt, vel saltem dissimulant & facillime condonant. Hæc educatio, hæc perversa castigandi ratio non potest non perdere mentes liberorum, qui vel palpant, se puniri non propter delicta, sed pro parentum suorum furore & impotentia animi; unde non tam vitia ex illis pœnis vitare discunt, quam parentum indolem fugere væsanam: Unde porro oritur contemtus parentum, vel apertus, vel clandestinus, & infinita incommodorum farrago.

Ibid.

Ibid. Castigatione reali:] Realis castigatio multiplex est & esse debet pro ratione delictorum & indolis, imo etiam ætatis liberorum. Verbera habent varios gradus tam ratione quantitatis, quam ratione qualitatis. Aliquando plus proficimus ignominia aliqua, quam reputant liberi, ut si removeantur aliquando à mensa, vel includantur loco cuidam, quem refugiunt, vel certo interdicantur vestitu &c. Nonnunquam privari possunt ad tempus cibo, vel plane, vel saltem ratione quantitatis aut qualitatis &c.

Ib. Non tamen sine mansuetudine:) Secundum loca *Proverb.* XIX. 18.19. *Ephes.* VI. 4. *Coloss.* III. 21. Hæc mansuetudo importat varia (1) moderationem animi in sumendis pœnis, (2) instructionem seu informationem liberorum, quæ semper pœnis est addenda, & decenter exaggeranda *partim* ex decalogo, gravitas delicti; *partim* ex verbo DEI ostendenda ratio futuræ emendationis; *partim* mitigatam esse pœnam ex spe emendationis; secuturam autem graviorem, si spem fefellerint. (3) Directionem emendationis per admonitiones & consilia, constantem atque circumspectam, pro ratione indolis, ætatisque liberorum, itemque pro conditione vitii emendandi. Hoc quippe demum est *educare liberos per eruditionem* (παιδειαν) *& correptionem Domini* (νουθεσιαν Κυριου,) *Ephes. VI.* 4.

Ibid.

Ibid. In maturiore ætate :] Quæ scilicet apta est subeundis functionibus honestis, & eo donorum apparatu instructa, ut bona cum conscientia possint huic aut illi officio liberi vel præfici, vel ut præficiantur commendari. Non solum autem hoc valet in officiis publicis, sed etiam in aliis vitæ generibus privatis, v. g. Mercatura, artificiis, opificiis &c. Hæc enim ut honeste etiam exerceri possint, si didicerint liberi, curandum est parentibus. Prospicient ergo, quantum possunt, de officinis, instrumentis, ædibus forte etiam, & si que sunt similia, quæ principium rei œconomicæ postulat.

Ibid. Honesta ipsis imperanda :) Non solum autem debent *honestas* functiones impetrare si possuut, parentes suis liberis, sed etiam *honeste* impetrent necesse est. Hoc fiet, si (1) habiles reddiderint filios ad illas, quas olim ipsis sunt impetraturi functiones : (2) si usi fuerint mediis honestis, legitimis & ordinariis, non autem malis artibus, largitionibu corrumpentibus animos Magnatum aut ministrorum eorundem &c. Peccatur enim in publicum bonum, quando tantum commodo filiorum privato, non autem simul bono publico consulere annitimur in functionibus ipsis impetrandis.

Ib. Conjugioque pio & salutari :) Uti Abraham prospexit Isaaco, *Genes.* XXIV. & Iacobo Isaac atque Rebecca *cap.* XXIIX. Ma-

xime autem ratione filiarum curandum est, ut ipsis de honesto matrimonio honeste prospiciatur, si habuerint procos honestos. *Sirac*idis dictum notabile est, *cap. VII.* 27. *Eloca filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* Conf. *1. Corinth. VII.* 36. Plura hanc in rem, nec inutiliter monet *B. Dürrius p.* 375. Caveant tamen parentes, ne filiabus indulgeant, sub spe impetrandarum nuptiarum, sodalitia prava, loca suspecta, saltationes vel immodicas, vel frequentes, vel non satis honestas, & plane verecundas &c. Conf. *Dürrium* de *Officiis Virginum in Theol. Moral. pag.* 402. *Mengering. ex præcepto IV. quæst.* 76. *pag.* 607. qui levitatem in elocandis filiabus vitare docet.

Ibid. Consilium & auxilium ad res bene gerendas:) Sicuti nuptiæ non solvunt quartum præceptum, nec absolvunt liberos ab obsequio & honore debito; ita nec parentum amor & juvandi studium, (cæteris paribus) cessare debet, etiam quando liberos elocarunt, si suæ conscientiæ velint consulere: nisi forte impietate sua filii meruerint ejectionem & exhæredationem, prout Ismaël, *Genes. XXI. v.* 9. 10. 12. ejectus est, quia illusor erat.

Ib. Hæreditas honesta relinquatur:] Referunt auctores huc, nec incongrue illud Pauli dictum *II. Corinth. XII.* 14. *Non debent filii parentibus thesauros recondere, sed parentes filiis.*

Conf

Conf. *B. Dürr. cit. loc. p.* 373. qui hac occasione invehitur in eos, qui inæqualiter liberos suos tractant, uni omnia, alteri nihil concedentes. Add. *Mengering. cit. loc. p.* 604. Quod si opes relinquere non possunt, relinquant modo integram famam, benedictionem paternam, bonam conscientiam, honestum vitæ genus, propitium DEUM. Hæc optima hæreditas.

Pag. 564. §. II. Peccare ex adverso possunt:) Uti rectum est index obliqui, ita hæc peccata parentum officiis modo expositis opposita ex §. præcedente facile intelliguntur. Commentarii perpetui instar fere fuerit *B. D. Mengering. in quæstion. Conscient. ex quarto præcepto quæst.* 70. *& pluribus sequentibus.* Præcipue *quæst.* 71. digna est, quæ expendatur ab iis, qui filios suos propter artes addiscendas tradunt *Jesuvvitis*, apud quos plures ita proficiunt, quemadmodum *Julianus* Apostata inter Magistros paganos: quam in rem vide *Centur. Magdeb.* loco apud Mengeringium citato. Pro illustrando hoc Aphorismo legi quoque meretur *B. D. Osiander in Parte Speciali Theol. Moral. cap. I. ex IV. Præcepto* §. XII. ubi exemplis ex Scripta petitis vitia parentum illustrat.

Pag. 566. §. III. Mandatum DEI:] Virtutes parentum præcipiuntur & opposita vitia vetantur vi quarti præcepti: id quod pluribus evincere studuit *B. D. Osiander in Theol. Moral.*

Cap. I. §. X. Vox Cabed (כבד) *quæ notat grave esse & levi opponitur, gravitatem requirit in Parentibus, tanquam basin honoris exhibendi.* Prolixe postmodum potiora officia parentum perlustrat & ex sacris literis probat, partim præceptis, partim exemplis. Præcepta divina specialiora leguntur *Proverb.* XXIX. 17. *cap.* XXIII. 13. XIX. 18. *Deut.* VI. 6. 7. *Matth.* VII. 9. 10. I. *Tim.* V. 8. *Ephes.* VI. 4. *Coloss.* III. 21. I. *Corinth.* VII. 36. *Sirac.* VII. 27. &c.

Ibid. Exempla Sanctorum:] Huc pertinent Patriarchæ pii, de quibus nihil nobis scitu necessarium judicavit DEUS, quam quod procrearint & educarint liberos, filios & filias, adeoque generi humano propagando & instituendo vitam impenderint *Gen.* V. 4. 7. 10. 13. 16. &c. Specialiora sunt *Ababami*, *Isaaci*, *Jacobi*, quorum DEUS voluit dici DEUS, quia hi erant posteris suis instillaturi veram religionem, & sic Ecclesiam propagaturi. Conf. *Genes.* XIIX. 19. &c. Ex novo Testamento illustre exemplum deprædicat Paulus de Eunica & Loide *II. Tim. I.* 5. Virtutum specialium paternarum exempla ex Historia Sacra utriusque Testamenti satis obvia sunt, & hinc inde ab Osiandro B. annotata, quem consule.

Ibid. Rationalis στοργὴ:] Στοργὴ est amor ille naturalis, quo parentes imo generantia omnia in suam prolem feruntur: quam inclinationem

nem adeo non damnat DEUS, ut potius urgeat *Jesaiæ* XLIX. 15. *Luc.* XI. *seqq.* &c. atque ἀστόργους graviter damnet *Rom.* I. 31. Qui tamen omne nimium vertitur in vitium, nonnunquam parentes, liberos suos ita diligunt, ut cœco affectu amplectantur non modo liberos, qua tales, verum etiam omnia liberorum vitia, flagitia, defectus, nævos &c; hinc Noster adjecit notanter vocem, *Rationalis*: qua ipsa indicat, se loqui de amore parentum non cœco, sed discrimen Rationis inter liberos & vitia eorundem observante. Non illius, sed hujus impulsu Christiani parentes debent regi & ad officia sua moveri.

Ibid. Officii paterni dignitas :) *Pater quippe in familia respectu liberorum suorum repræsentat DEUM in his terris. Vicarius est Numinis, & ejus Majestatem refert.* Verba sunt B. D. *Osiandri cit. loc.* §. X. Nimirum honorari debent parentes, non qua homines (ita enim sunt liberis pares) sed qua divinum officium gerunt & ex Numinis ordinatione his sunt præpositi. Hinc DEUS, ut quid vox *Pater* denotet, & quanta sit ejus majestas, plenius indicaret, *ex se* docuit, *omnem πατριὰν in cœlis & in terris nominari, Ephes. III* 15. imo per filium suum unigenitum, *Matth. XXIII. v. 9. unum se patrem nostrum esse* graviter asseruit: ut adeo dignitas muneris Paterni satis liqueat.

Ibid. Recte agentium præmia :)

Secundum illud *Proverb. XXIX.* 17. *Erudi filium tuum & refrigerabit te & dabit delicias animæ tuæ.* Conf. *Cap. XXIII. v.* 24. item *Sirac. XXX.* 1. 2. 3. 4. *seqq.* Exempla plura in Scripturis exstant eorum, qui ex filiis bene educatis insignia præmia reportarunt & gaudiis repleti fuerunt v. gr. Jacob Patriarcha ex Josepho, David ex Salomone &c.

Ibid. Peccantium pœnæ:) Exemplo funesto esse potest Eli ille I. *Sam.* II. III. IV. Jacob, qui multum mali ex Dinæ suæ non interdicta excursione & defloratione perpessus est, *Genes.* XXXIV. Plura hanc in rem observavit *Siracides cap.* XXX. 7. *& seq.* Idem scribit *cap.* XXII. 4. 5. *filia mala educata repudiatur.* Pertinet huc quoque illud *Proverb. XXIX.* 15. *Filius delicate educatus infamiam aspergit matri.*

Pag. ead. §. IV. De recto ingressu in matrimonium:) Qualis in matrimonium ingressus, talis plerumque successus est, nisi seria intercesserit pœnitentia. Præcipue autem magnum pondus habent piæ preces & benedictiones, si quibus Neogami pii & casti se dignos præstant, & in torum geniale adferunt. Conf. *Tob.* VII. 7. *seqq.*

Ibid. Solicitudo Parentum quotidiana, qua exactius cognoscant &c.) Pii & cordati parentes nunquam debent credere, se satis novisse suos liberos, si illos judicare didicerint

cerint ex actionibus suis, quas coram parentibus suscipiunt. Plerumque illæ fucum habent. Quod si ergo velis exactius perdiscere indolem gnatorum; effice, ut illorum gesta, dicta, conatus, & vim mentis intelligas, quando ipsi te nesciunt præsentem, imo ne quidem suspicantur; absentibus etiam talibus, quos vereri tenentur, aut quos credunt tibi relaturos esse quæ gesserint ipsi. Exora etiam amicos fideles, vicinos, cognatos, ut tentent animos tenellos, ut observent bona fide illorum vitam, & tecum fideliter communicent quicquid habuerint comperti. Imo ipse tenta eosdem, quibus poteris actibus & modis, surge aliquando, si quæ suspicio fuerit, noctu; Januas, dormitoria observa, & nihil prætermitte, quo penetrare possis in veram filiorum indolem. *Principiis obsta. Sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.* Pessime autem agunt, qui amicis monentibus insultant, in quos graviter invehitur *Mengering. cit. loc. quæst.* 61. *p.* 593.

Ibid. Media explendi illam:) Uti nunquam possunt satis soliciti esse parentes in pervestigando liberorum suorum statu; ita requiritur, ut in mediis conquirendis, quibus consulant liberorum statui cogito, jugiter desudent, & proficere annitantur, precibus, consiliis, meditatione, & experimentis.

Ib. Actionum propriarum honestas:) Nihil æque afficit juventutem, quam exempla pa-

rentum, qui ipsi sibi parent. Nam non solum lubentius obtemperant & sequuntur, si ipsis non solum ore, sed reapse præiveris; verum etiam ex tuo exemplo discunt modum agendi, & habent quod imitentur.

Ibid. Ludicris actionibus non prostituant:] Auctoritas parentum violatur atque prostituitur, si viderit juventus ipsos jocari, ludere, puerilia tractare, insanire: quæ omnia tanto pejora sunt, si in consortium lusuum, jocorum & nugarum ipsos liberos receperint. Nihil ergo magis necessarium est, quam ut parentes gravia semper tractent & vitæ studeant, quæ sit à levitate, lusibus, jocis puerilibus & id genus nugis quam alieniſſima.

Pag ead. §. V. Cum legitimo & prudente ingressu:] Parentes, quorum liberi intelligunt, se esse illegitimo congressu & cum infamia ab ipsis satos, & maculam nativitatis contraxisse, non possunt non sordere liberis: Adde, quod te talibus germinibus nescio quid sinistri ominetur *Sapientiæ* liber *cap.* IV. v. 3. 4. 5. 6. *Filii adulterorum in consummatione erunt & ab iniquo toro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur & sine honore erit novissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationis enim iniquæ sunt diræ consummationis.* Conf. II. *Samuel.* XII. 14.

Ib id.

Ibid. Præposteram in augendis opibus curam:] Qui avaritiæ inhiant, negligunt partim filios, partim necessaria denegant, partim vitio simili à puero eosdem implicant &c.

Ad Cap. III. Sect. I.

SUB-SECT. II.

De

Officiis Liberorum.

Pag. 567. §. I.

Liberorum officia:) Veniunt hæc *pietatis* nomine, quia liberorum est ita amare parentes, ita eos æstimare, ut simul ipsos majoris faciant, quam se, & sui ab ipsis dependentiam aliquam agnoscant. Hoc autem affectus genus pietatis & devotionis nomine venit. Vide *Henr. Mori Ethicum Enchiridium libr. I. cap. VII.* & ex hoc celebratissimum *Dn. D. Joh. Andr. Schmidium in Ethica Positiva Part. II.* §. IX. *nota (f) p.* 38. Eleganter *B. Dürrius in Theol. Moml. cit. loc. cap. V. p.* 377. ait: *Quoniam DEUS parentum opem in liberorum procreatione, sustentatione, gubernatione, utpote beneficiis maxime divinis, utitur; fas & æquum est, ut liberi in parentibus suis DEI imaginem venerentur, & honore ac amore proxime ad divinum accedente (unde etiam eo-*

dem cum hoc Pietatis nomine appellari meruit) *afficiant.* Partes hujus pietatis sunt (1) Amor, (2) Honor & Reverentia, (3) Obedientia, (4) si ita tulerit occasio, Alimentatio, (5) Tolerantia nævorum & infirmitatum. De quibus in notis sequentibus.

Ibid. Amare parentes :) Et quidem ita, ut simul parentes amplectantur tanquam beneficium divinum, sive bonum, in quo sit aliquid nobilius & præstantius, quam natura humana, nempe officium divinum, quod DEUS patris titulo, quem cum parentibus communem gerit, dignatus fuerit. Hic amor debet esse non fucatus, sed ratione principii, simplex; ratione gradus, intensissimus; ratione durationis, constans, perpetuus, etiam post fata durans, æternus.

Ibid. Honorare eos :) Honor parentibus debitus in hoc consistit, ut eos agnoscamus nobis majores, utpote medium divinum nostræ vitæ & felicitatis per generationem & educationem nostri; idque fieri debet non ore tantum aut gestibus externis, sed integra mente, sincero pectore, omni opere & conatu. Auctores ideo dicunt Honorem hunc complecti (1) internum animi cultum & existimationem de dignitate parentum, à quibus Spiritum vitalem hausérimus (2) Actus & signa corporis & gestuum, quibus cultum internum externe testemur (3) Opus ipsum, quando vitam nostram in parentum honorem

norem & gaudium ducimus. Vid. *B. Dürr. cit. loc. §. IV. pag.* 378. 379. B. D. *Osiandr. Theol. Moral. præcept. IV. cap. I. §. VII. VIII. IX. à. pag.* 19. *ad* 23. & alios passim, tam in Scriptis Theticis, quam Moralibus.

Ibid. Obedire:] Obedientia parentibus debita est posita in præstatione eorum, quæ jubent parentes, aut quæ saltem ipsis placere liberi intelligunt. Extenditur ad omnia præcepta, quæ non contrariantur juri naturæ vel legi divinæ, adeo ut etiam Christus Principibus Judeæorum, Scribis & Pharisæis, *Matth* XV. 3. & *Marc.* VII. 9. graviter exprobret, quod ausi fuerint per suas constitutiones derogare auctoritati parentum. Contra DEUM autem, sive in Natura, sive scripto verbo suam voluntatem patefecerit, nihil valent parentes, utpote quorum tota auctoritas pendet â virtute ordinationis seu constitutionis divinæ. In ordine enim ad DEUM & CHRISTUM JESUM tota parentum auctoritas evanescit, quemadmodum Magistratus inferior adversus Majestatem supremam, à qua dependet, nihil valet: & ex hoc capite intellige quæ legimus *Matth.* IIX. 21. *Luc.* IX. 60. *cap.* XIV. 26. & similibus in locis, quæ vindicat *B. Conradus Hornejus libr. III. Compendii sui, cap.* 4. *pap.* 681. *seqq.* Casuistæ nonnulli huc referunt quæstionem: *Quid faciendum sit per conscientiam filiis, si inter Patrem & Matrem sententiæ contrariæ contraria mandata ipsis præscripserint, ita, ut quod v. gr. Pater*

Pater præcipit, Mater interdicat? Respondet B. *Dürrius cit. loc.* §. XI. *p.* 281. in tali casu standum potius esse sententia patris, quam matris, nisi matris sententia fuerit in jure naturæ vel divino fundata, ita ut magis obliget per jus naturæ vel legem divinam. In reliquis indifferentibus rebus prævalet auctoritas patris, tanquam totius familiæ capitis, cui etiam ipsa uxor obedientiam debet, prout suo loco ostendimus.

Ibid. Ferre nævos :) Homines sunt quoque parentes, adeoque labi solent sæpius, & præcipue senes quandoque repueraſcunt. Stultum hic foret, respicere ad hos nævos, & ideo contemnere velle parentes. Quid enim infirmitates illæ humanæ ad jus, quod in nos habent parentes, ad officia, quæ illis debemus? Non qua labiles, non qua infirmi & fragiles, sed qua divinitus ad conjugium ordinati & creati, nos progenerunt & educarunt, ipsi nostri parentes sunt, & nos tenemur illos honorare. Non ergo filii in nævos, sed in beneficia paterna, imo divina, oculum conjicere debent, & nævos illos pro absorptis habere per auctoritatem, qua, ut diximus, ex ordine divino, pollent parentes. Hoc docuit sana ratio ethnicos. Terentius in Hecyra *a.* 3. *sc.* 1. *Matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet.* Cicero pro Cluentio : *Non modo reticere homines parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre oportet.* Egregie Chrysostomus Hom. M. in II. ad Timoth. *Patrem qui habet, etsi mille patiatur*

tiatur incommoda, omnia patris reverentia conteget. Quid ipse sacræ paginæ hoc edocent expresse *Proverb.* XXIII. 22. Conf. *Sirac.* III. 15.

Ibid. Suppeditare & his alimenta :) Quid æquitas naturalis edocuerit gentiles saniores de hac re, monet *B. D. Cellarius in Polit. Succinct. libr. I. cap. IV.* §. 17. *p. m.* 64. 65. ubi ex *Drusio* antiquorum Ebræorum, & ex *Aristotele* Gentium decretum hanc in rem adfert. Quid ? ad ipsas Ciconias, quas ideo Thessaliæ incolæ coluerint, provocat. Paulus *I. Tim. V.* 4. hoc officii genus præscripsit phrasi ἀμοιβὰς ἀποδίδοναι τοῖς προγόνοις. Quanquam certum sit, *mutuam vicem reddi* non posse Christianis majoribus, nisi secundum quid, & sub illo, quem Apostolus, & nos hic loci intendimus, respectu scil. quoad alimentationem, quæ inter beneficia, quæ in nos Christiani parentes conferunt, unum ex vilioribus est. De reliquo non ineleganter *Sirucides ait, cap. VII.* 29. 30. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento te ex illis natum fuisse, & quid illis retribues, ut illi tibi.* Conf. *Tobiæ* IX. 4.

Pag. ead. §. II. Vel odio prosequuntur:] Amor dicitur descendere non adscendere in linea Genealogica, eo quod experientia doceat, vix illam esse liberorum in parentes, quæ parentum in liberos fidem & dilectionem. *B. Hornejus cit. loc.* §. XI. p. 685. *Contra*

tra quartum præceptum hoc graviter peccat, qui parentes suos odit, iisque damnum animo deliberato inferre cupit: nam si peccatum mortale est omne injustum odium erga quemvis proximum, & cupiditas deliberata ei nocendi, quanto majus peccatum est odium in naturales parentes, eisque nocendi cupiditas? Nec tantum peccat filius cum odit parentes, eisque nocere, ita ut diximus, cupit; sed etiam cum eos non odit quidem, at vel nunquam vel raro signa amoris illis ostendit, utpote cum torvum eos subinde aspicit, vel aspere alloquitur, ac si odio haberet: nam non tantum non odisse, sed amare eos tenemur. Patricidium ultimum contra hoc præceptum scelus est, de quo post paulo.

Ibid. Amorem eorum amori aliarum rerum - - postponunt:] Parentibus amor debetur proximus (1) post DEUM & Christum, *Luc.* XIV. 26. *Matth.* X. 37. (2) post uxorem *Genes.* II. 24. *Matth.* XIX. 5. Ad *filios* & *parentes* homo parem necessitudinis gradum habet, *unum* deorsum, *alterum* sursum. Reliqua merito amori parentum postponimus. Quod si ergo res alias anteferimus amori patrum, delinquimus in quartum præceptum, & quidem tanto gravius, quanto indignior & iniquior est amor noster in res alias collocatus. Damnatur hæc ἀστοργία *Rom.* I. 31.

Ibid.

Ibid. Vel non constanter amant:] Mores sæpius mutantur per honores, & sunt, qui ex origine vili emergunt, quibus parentes humiles sordent, & quos vix volunt noviſſe, nedum amare & honorare. O quam sanior mens erat Josepho, Satrapæ Ægyptiaco, *Geneſ.* XLVI. 29. *cap.* XLVII. *à v.* 1. *ad* 12. *cap.* XLVIII. *cap.* L. *v.* 1. *ſeqq.*

Ibid. Aperta ignominia:] Actu videlicet externo, ſive ore, ſive opere. Scelera hæc sunt carnificis manu expianda. Qua de re infra *ad* §. *III.* Patricidio nullum gravius ſcelus in rebus humanis moratiores gentes agnoſcunt. Antomaſtice ergo fere utimur hoc vocabulo, ſi quod ſcelus volumus exaggerare. Conf. *B. D. Cellarium cit. loc.* §. 14. *p.* 59. *Recte*, ait, *legibus conſtitutum eſt, ut patricida neque gladio, neque igni, neque ulli alii ſolenni pœnæ ſubjiciatur, ſed culeo inſutus cum cane & gallo gallinaceo & vipera & ſimia vel in mare, vel in vicinum amnem projiciatur, ut ita vivus omnium elementorum uſu carere incipiat, cœlumque ei ſuperſtiti, & terra vivo eripiatur.*

Pag. 568. §. eod. Præſtare paeentibus aut æquales illis eſſe:) Qui hoc peccato ſe polluunt, miſere ſophiſticantur & committunt Elenchum comparatorum. Fieri poteſt, ut filii ultra ſortem parentum longiſſime emergant & variis modis parentibus ſublimiores fiant. Sed inepta illatio, quæ inde inſtituitur:

Ergo

Ergo filius præstat patre vel matre. Evolve, ineptule, sapientem Stoicum, *Epictetum in Enchiridio cap. LXVI.* & discès collectionem sic fieri debere: *Ego sum doctior patre; Ergo mea doctrina est præstantior, quam Patris. Ego sum patre honoratior; ergo meus honor paterno præstat &c.* Non vero: *ergo ego sum præstantior patre*: Nam tu nec honor, nec eruditio es, secundum quos respectus patre præstas.

Ibid. Honesta mandata non exsequuntur:) Uti ille filius, cujus Christus meminit *Matth.* XXI. v. 30.

Ibid. Minus promte:) Prout alter ille in eadem parabola, v. 29: Qui primum dixetat, *Nolo; postea tamen pœnitentia motus abiit.*

Ibid. Obediunt præceptis parentum cum Lege divina aut naturali pugnantibus:) Sceleris hujus rei fiunt, qui ad jussa parentum mentiuntur, perjurant, furantur, scortantur, veritatem Evangelicam abnegant, Sabbathum profanant &c.

Ibid. Sumtus justo majoras parentibus faciunt:] Hoc multorum studiosorum crimen est, quos vivis coloribus depinxit Horatius:

Imberbis juvenis tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi,

Cere-

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper, Utilium tardus provisor, prodigus æris.

Schuppius in Eusebia prodeambulante p.m.85.86. graviter in idem invehitur vitium. *Proh pudor & dolor*, inquit, *Si lex illa de lapidandis prodigis filiis (Deut. XXI.20.21.) hodie observaretur, multis in locis non remaneret lapis super lapidem, & in multis Germaniæ urbibus aut Academiis vix unica platea lapidibus strata remaneret. Non in Gallia tantum, sed & in Germania multæ essent Lutetiæ, si Lutetia recte dicitur à luti frequentia. Nam Lutetias aut lutosas urbes redderent eruti lapides gulosis juvenibus lapidandis necessarii.*

Ibid. Nævos parentum vel exaggerent:] Exemplo Chami verenda patris fratribus monstrantis, *Genes. IX. 22. seqq.* Hornejus cit. loc. §. *XIV. p. 686.* ait, eos quoq; peccare contra quartum præceptum, *qui Parentes criminis alicujus in foro accusant, nisi forte proditionis crimen in Regem aut Remp. sit: nam tum non tantum accusare licere, sed etiam, si aliter proditionem prohibere nequeant, ad accusandum obstringi.* Ad hoc peccatum referunt, quando liberi post mortem diffamant parentes, si vel debita contracta fuerint solvenda, vel patrimonium saltem non satis visum fuerit pingue. Conf. *B. D. Mengering. pag. 552.* qui ait, etiam filios per conscientiam teneri, & si forte non de stricto jure, ut solvendo

famæ parentum consulant, si ab aliis accusentur post fata debitorum nondum solutorum.

Ibid. Qui parentibus egenis alimenta denegant:] *Aristoteli* pagano *adeo verum est parentibus liberos victum decere, ut annonæ in caritate, juxta illum, potius illis, quam sibi de victu prospicere debeant*; ceu videre est 9. Ethic. 2. verba sunt *B. D. Cellarii cit. loc. §. 27. pag. 65.* Adde *B. D. Mengering. cit. loc. quæst. IX. pag. 550.* qui recte observat pertinere huc *Sirucidis* doctrinam elegentem, *cap. III. v. 14. 15. seqq.* Omnium gravissime autem delinquunt, qui vel cum furibus & latronibus, vel cum militum manipulo conspirantes, parentum reconditas opes futuris usibus paratas curant auferri, quem casum exaggerat *Mengering. quæst. X. p. 551.*

Pag. ead. §. III. Mandatum DEI:] Illustre est *præceptum IV.* decalogi, ut vel ipse Apostolus singularem ejus indolem observet *Ephes. VI. 2.* scribens: *primum est præceptum in promissione.* De hac promissione, quæ huic præcepto adjecta est, monet *B. Dürrius cit. loc. cap. V. §. II. p. 377.* pertinere eam proprie & in specie ad Judæos spe possidendæ terræ benedictæ lactatos. Quid si dixeris pertinere non tantum ad Judæos, sed ad omnes populos? Cum enim dubio careat, per parentes intelligi omnes superiores & divinitus præpositos in tribus statibus Hierarchicis; certum est, non licere ulli gentium vitam age-

agere tranquillam, nisi quartum præceptum observarit, hoc est, Parentes, sive omnium ordinum superiores & majores, honorarit, eisque obedientiam præstiterit. Conf. quæ diximus *ad cap. II. sect. I. §. I.* de barbarie ante diluviaua ex Pufendorfio. Huc reducimus illud Ebræorum scitum, cujus meminit Buxtorf. in Florilegio, ex *Pirke Avoth. cap. 3.* תוי מתפלל בשלימה של מלכות שאילמלא מוראה איש את רצהו חיים בעלו: *Ora pro pace regni: nisi enim metus Magistratus esset, alter alterum vivum devoraret.* Hinc ad hoc bonum respexit ipse Apostolus *I. Timoth. II. 1. 2.* qui voluit ideo preces fundi pro omnibus in eminentia constitutis, ut placidam & quietam vitam degamus in omni pietate & honestate. Præter hoc generale mandatum decalogi, quod Christus *Matth. XV. 3. Marc. VII. 9.* repetiit & confirmavit, vindicavitque, huc pertinent loca scripturæ innumera: v. gr. de *Obedientia* exstant loca *Proverb. I. 8. cap. VI. 20.* & *cap. XXIII. 22.* De *honore & Reverentia, Malach. I. 6. Levit. XIX. 3.* Porro de *Patientia* constat locus *Proverb.* XXIII. 22. Conf. *Sirac. III. 15.* Sed & ἀντιπελαργίαν præscriptam ostendimus *I. Tim. V. 4. Sirac. III. 8. 14.*

Ibid. Exempla Sanctorum:] Inter hæc excellit Christus θεάνθρωπος, *Luc. II. 51.* de quo elegantem locum ex *Bernhardo* adducit

B. D. Osiander cit. loc. §. VII. p. 20. qui ita habet: DEUS hominibus, DEUS inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & dominationes obediunt, subditus erat Mariæ, & propter Mariam Josepho: si hominis, ô homo, dedignaris imitari exemplum, certe erit non indignum, te sequi auctorem tuum. Josephi in patrem pietas & munificentia plane illustris erat *Genes. XLV. seqq.* Sic Jacobi obsequium in ducenda uxore, *Genes. XXVIII. 6. 7.* Sic pietas Semi & Japheti *Genes. IX. 23.* Rechabitarum exemplum urget Propheta *Jerem. XXXV.* Salomonis in matrem Reverentia describitur *I. Reg. II. 19.* Plura suggerit *B. D. Osiander cit. loc. p. 19 20. 21.*

Ibid. Decor & Præmia:] Repete quæ modo diximus de promissione mandato huic addita. Præcipue notabilis est Benedictio data Rachabitis *Jerem. XXXV. v. 18. 19.* Idem confirmant dicta plura morigeris filiis optima quæque pollicentia v. gr. *Proverb. XV. 5 cap. XIII. 1. I. Reg. III. 14. Sirac.* lll. *4. 5.* &c. Exempla huc pertinentia collegit *B. D. Osiander cit. loc. p. 21.* sub finem, v. gr. Josephi *Genes. XLI. 40.* Davidis. *I. Sam. XVI. 13.* Semi & Japheti *Genes. IX. 26. 27.* Esthеræ *cap. II.* Hi enim & similes plures ex obedientiæ & felicitatis gloria sunt in historia Sacra celebres.

Ibid. Dedecus & Pœnæ aliæ:] Notatu dignum est, quod violatio quarti præcepti

cepti introduxerit servitutem in orbem, ceu legimus *Genes. IX. 25.* de Chamo, quem Noach diris devovebat,& ut *Servus Servorum* esset, imprecatione contenderat. Vid. *B.D. Osiandrum, cit. loc. §. XVI. p. 29.* Exempla alia funesta non modo ex scripturis & historia civili nota sunt, sed quotidiana experientia vix ullum præceptum palpabilioribus exemplis vindicat, atque quartum. Vide interim, quæ hanc in rem dicuntur *Proverb. XIX. 26. XX. 20. XXIIX. 24.* & præcipue locus notabilis est *cap. XXX. v. 17. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodient corvi de torrentibus, & comedent eum filiæ aquilæ.* Est hæc periphrasis eorum, qui per carnificis manum pereunt in patibulis, rota &c. vel saltem qui post sepes moriuntur & sine sepultura carnivoris bestiis & volucribus expositi jacent. Pertinent huc leges divinæ, quibus immorigeris & præcepti quarti violatoribus, mortis pœna denunciatur *Exod. XXI 17. Levit. XX. 9. Deut. XXVII. 16.* Conf. filii prodigi fata *Luc. XV.*

Pag. ead. §. IV. Abstinentia à conversatione prava:] Sæpius pereunt per prava consortia liberi non malæ indolis. *Augustinus libr. I. Confess. cap. 19.* prolixe deplorat sua studia puerilia, quibus, seductus ab aliis partim, partim puerili libidine motus, inhiaverat. Contemnere didicerat bonos mores, modo pure loque-

retur. Furta faciebat de cellario & mensa parentum, ut haberet quod sodalibus distribueret. Et quid durius dictu? quam quod eadem hodienum ludatur fabula; sic ut satius pene sit, non mittere liberos in scholas & Academias, ne seducantur à pravo sodalitio, quam propter literas discendas eos exponere periculo seductionis. *B. Dn. Erhardus Weigelius*, Mathematicus ille, amigeratissimus, edidit Anno 1689. opus Germanicum, cui titulus, *Extractio Radicis* oder Wurtzel-Zug/ cum adjuncto indice Vitiorum 45. ad quæ vulgo adducantur in Scholis Pueri. Sed quis tandem condiderit catalogum scelerum, quæ in Academiis usu recepta sunt, & plerumque vel plane non puniuntur, vel pœnis levioribus, quam quæ tantis malis curandis respondeat. Libertas in Licentiam, Licentia in malitiam incurabilem pridem abiit. Nutritores Academiarum condunt scriptas leges honestas: his cives pro lubitu opponunt leges non scriptas sceleratissimas de non obediendo, de duellorum necessitate inevitabili, de potando, comessando, ludendo &c. Et hæ leges non scriptæ civium valent in praxi; scriptæ Magistratus risui ipsis sunt; quia nemo cupit serio adserere vigorem legum, sed potius, quando ipsi aliquando plus satis succum ex illo vitæ genere Academico traximus, vel nolumus, vel non possumus illud emendare, quo olim delectati fuimus, & forte nonnunquam hodienum delectamur. Hæc faci-

facies Academiarum plerarumque, ex quibus omne exitium tandem nobis nascetur, ni didicerimus parcere animabus miseris, & liberis parentum non raro gementium, quod sæpissime loco filiorum Academiis concreditorum ab his recipiant scelera, ventres, ganeones, helluones, mutilatos, claudos, spurios, cadavera, vel saltem vivos mortuos. Sed transeant ista; ne dicantur dicta non in loco: quamvis dolendum sit, hæc usque adeo invaluisse, ut dicenda & castiganda sint ἐυκαίρως, ἀκαίρως ex constitutione Pauli *II. Timoth. IV. 2.*

Pag. ead. §. V. Vana præsumtio &c.] Hujus præsumtionis sophisticationes notavimus suo loco ad §. præced. II.

Ad Cap. III. Sect. III.

SUB-SECT. I.

De

De officio Dominorum & Dominarum.

Pag. 569. §. I.

SErvitio aliorum utuntur:] *Servi* dicuntur à *Servando*, quia olim servi erant, quos servaverant Domini, cum potuissent eos occidere. Nam

natura nemo servus est, sed lege demum fit talis; etsi certum sit, dari ingenia servilia quædam, quæ aptiora sint ad parendum, quam ad imperandum. Conf. *Eccleſiaſten cap. X. v. 5. 6. 7.* Sunt autem varii modi, quibus Servi acquirebantur, scilic. captivitate in bello, emtione &c. Plura de *Origine Servitutis* qui noviſſe cupit, conſulat *B. D. Oſiander cit loc. §. XVI. pag. 29.* Hodie inter Chriſtianos antiquum illud ſervorum genus non adeo uſitatum eſt. Qui Heri ſunt, ex Chriſtianorum praxi receptiore jus ſibi vendicant in ſervorum non corpora & vitam, ſed in operas eorundem & obſequia, per liberum contractum ad certum temporis ſpatium. Alii contrahunt in dies, quos *Mercenarios* vocant; alii in Sparta trimeſtria, annua, ita ut ſimul fiant pars familiæ ad idem tempus, & hos vulgo appellamus *Servos*, *Ancillas* &c. Hinc noſter hoc jus ad operas tantum reſtricturus notanter dixit, *qui Servitio aliorum utuntur, meminerint* &c.

Ibid. Æquos ſeſe præſtent in impoſitione laborum: ¶ Æquitas hæc poſtulat, ut ne plus imponatur famulo vel ancillæ, aut mercenario; quam concedit eorum contractus, merces, ſanitas corporis, imo aliquando etiam merita in rem noſtram familiarem. Præcipue curandum eſt, ut labor imponatur tempeſtive, hoc eſt, ita ut animabus conſtet Sabbathica devotio & corporibus nocturna quies. Vid. *Mengering. quæſt. 98. p. 622.*

Ibid.

Ibid. Prudentes quoad directionem:] Prudentia hæc elucet, si Domini (1) respexerint ad vires, genium, ætatem, sexum &c. famulantium: (2) ad indolem geniumque cujusque laboris. Alius enim labor exposcit judicium magis, alius experientiam & exercitium, alius corporis vires, alius patientiam operantium &c. Rursus alius differri potest, & ex arbitrio Patris familias magis dependet; alius ex temporis, loci, & similibus circumstantiis suscipi debet. Porro alius labor alium præcedit & ex ordine compendium capit &c. (3) Prudentis Patris familias est, singulos labores noviſſe referre ad summam rei familiaris, & singulos ita distribuere, ut ne aliquando labore opprimantur servi & ancillæ, alia vice diffluent otio, sed ut semper habeant, quod justa proportione & æquabilitate, ordine & ad indigentiam rei familiaris agant.

Ibid. Promtos ad suppeditanda necessaria &c.] Dominorum est, famulis submini-strare, pro ratione contractus, quem inierant, ALIMENTA, & quidem (1) talia, quæ cujusque conditioni, labori & meritis congrua sint: Dari etiam debent (2) tempore justo, *Luc. XII. 42.* Aliquando vi conductionis debentur etiam famulis VESTIMENTA sive Amictus. Quod si debeantur, dentur itidem (1) justo tempore (2) illa, qua promittebantur, bonitate. Est quandoque ubi debentur operariis INSTRUMEN-

TA, suppellex & similia ad labores rite peragendos necessaria. Hæc quoque procurari debent alia, ne ex instrumentorum ineptitudine, vel labor durior justo, vel periculosior efficiatur.

Ibid. Solvendam promissam mercedem:] Merces mercenarii non morabitur in domo justi, sed solvetur (1) *facile*, nec detinebitur, ita ut cogantur resarcire damna à se non data servi & ancillæ; prout de hac iniquitate Labanis conqueritur Jacob *Genes.* XXXI. *39.* (2) Solutio fieri debet *integra*, secundum tenorem conventionis (3) *cito* & *promte*. Pauperes enim non possunt carere istiusmodi subsidiis vitæ & recularum suarum. Conf. *B.D. Osiander cit. loc. pag. 32.*

Ibid. Ad pietatis exercitia:] Tam publica, quam domestica; nam theoretica seu catechetica; quam practica in precibus virtutumque Christianarum exercitio quotidiano. Semper enim famuli orare discant, semper colere DEUM, & omnia ad DEVM referre doceantur & tanquam in conspectu DEI omnia agere. Hoc docere, de officio Patrum familias sacerdotali est. *Diligenter* (ait *B. Dürrius cit. loc. §. V. p. 388.*) *debent servi instrui in Christianæ doctrinæ capitibus, adver-*

verbi divini auscultationem & sacramentorum usurpationem ac venerationem commonefieri, à morum petulantia & improbitate abstrahi. Hoc non melius fiet, quam Dominorum bono exemplo. Vid. *Dürr. cit. loc. §. III. p. 387.*

Ibid. Mansvetos in castigandis:] *Verbis quandoque levioribus, quandoque asperioribus, pro ratione personarum, delicti, temporis ac loci, ita tamen ut leniora semper præponderent:* Verba sunt *B. D. Osiandri cit. loc. pag. 31.* Non enim debet paterfamilias esse *sicut in domo sua, evertens domesticos & opprimens subjectos sibi,* ut *Sinacides* loquitur *cap. IV. 35.* Certe homines adultos, qui nostri sunt non ratione personæ, sed ratione operæ, quam aliquandiu conducimus, non tractamus commode verberibus. Incommodos dimittere licet. Alia ratio est puerorum & puellarum minorennium: hi quandoque sine verberibus & virgæ virtute, curari non possunt. Conf. *Proverb. XXVI. v. 3.*

Ibid. Benignos ad succurrendum:] Si forte ægrotant, aut alias nostram opem requirunt atque implorant. Canem defendit Dominus: quidni servum? maxime si fuerit frater, & fidei domesticus, & gratiæ ejusdem consors. *B. Dürrius cit. loc. §. IIX. p. 389.* ex merito commendat exemplum centurionis illius *Matth. IIX. 6.* & non vult mercedem detrahi pro ea temporis parte, qua decubuit servus, vel ancilla.

Ibid.

Ibid. Meliorem reddendam eorum fortunam:] Nemo vitio verterit servis, si sua velint curare & rem familiarem ipsi condere, honestumque inire matrimonium. Ne igitur impediant, sed juvent famulos suos Domini in tali casu, nisi honestas suaserit potius contrarium, & evidenter conatus servorum nupturientium in exitium eorum collineaverint. Vide *B. Dürrius cit. loc. § VII. p. 389.*

Pag. 569. §. 11 Labores justo majores imponunt:] Exemplo Tyranni illius Ægyptiaci, qui famosus est ex *Exodi capite I. v. 11. 13. 14. cap. V. 7. seqq.*

Ibid. Otio & inertia corrumpi patiuntur:] Hoc delictum castigat *B. D. Mengering cit. loc. quæst 100. p. 623.* Pertinet huc illud *Sirac. XXXIII. 28. 29. Mitte servum in operationem, ne vacet: multum enim malitiam docuit otiositas.* Hoc modo illi præcipue peccant, qui pro splendore ociosos conducunt famulos ancillasque, vel qui non satis norunt opera servorum dispensare.

Ibid. Necessaria hujus vitæ denegant:] Quemadmodum ille apud *Erasmum* in colloquiis familiaribus dixerat famulo: *Si non est quod edas, est quod esurias.*

Ibid. Promissam mercedem vel pla-

plane non ſolvunt :] Sed quovis prætextu conquiſito, mercede defraudant ſervos, nunc ut fures, nunc ut alio modo inhoneſtos, eosdem abigendo, nudos, miſeros, ac tantum non etiam excuriatos.

Pag. 570. §. eod. Vel non integram :] In quos quadrat illud *Jacobi cap. V. 4. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraude non reddita eſt à vobis, clamat.* Niſi malueris hoſce ad proximam præcedentem claſſem referre. Ex hac tamen claſſe certo fuerit Laban, referente Jacobo, *Geneſ. XXXI. 7. Circumvenit me*, ait hic de illo, *& mutavit mercedem meum decem vicibus, quanquam non permiſerit DEUS ut mihi noceret.*

Ibid. Non eo, quo decet tempore :] Expreſſa eſt DEI contra hoc peccatum conſtitutio. *Levit. XIX 13. Non pernoctabit opus mercenarii tecum usque mane.* פְּעֻלַּת שָׂכִיר *Opus*, & metonymice *operis merces mercenarii* eſt. Hinc *Michlal Jophi* ad h.l. dictas voces Fontis ſacri recte interpretatur : שְׂכַר פְּעֻלָּתוֹ *Merces operis ejus.*

Ibid. Exercitia pietatis negliguntur :] Preces puta quotidianæ, maxime matutinæ, veſpertinæ, ante & poſt cibum aſſumtum, ita ut ſervi pro lubitu more pecorum, ſurgant, cubitum eant, edant, bibant, ſine cultu DEI, ſine ſanctificatione. Item ſi monita pia intermit-

mittantur; si negligatur cultus publicus divinus, capita catechetica & pietatis insuper habeantur, & uno verbo, famuli non ad pietatem, sed ad seculum, ad voluptates, ad Mammonis servitutem formentur.

Ibid. Castigatio tempestive adhibenda omittitur:] Tempestiva castigatio est æstimanda ex loco, tempore, delicto, &c. Si ergo, quando locus, tempus, gravitas delicti requirunt castigationem quocunque gradu, & illa omittatur, delinquitur tam in servum, qui non emendatur, cum debuisset, quam in alios, qui scandalum ex delicto non castigato patiuntur.

Ibid. Intempestive adhibetur:] Sic, ut servum confundas, non emendes; & alios demum provoces ad lapsus meditationem & scandalum capiendum, qui alias non observassent, nisi tu castigatione tua præcipiti monuisses. Intempestive, imo inepte adhibetur castigatio, quando quæ bona, sunt, castigantur. Sic insaniam exprobrabant ancillæ veritatem dicenti, qui in ædibus Mariæ erant, *Actor. XII. 15.* Sic impie castigarant suos servos Principes Judæorum, cum Christum non adduxissent captivum, *Joh. VII. 45. seqq.* Pertinet huc illud delictum, quando Domini contemnunt sana servorum monita & modesta consilia, ne à servis didicisse videantur: in quod invehitur *Mengering. pag. 621.*

Ibid.

Ibid. Ex immiſericordia non confertur auxilium:] Servos non ut homines, nedum ut fratres & dilectos, ſed ut pecudes, imo infra pecudes nonnulli habent tyranni. Ægrotos deſtituunt; oppreſſos negligunt; conſilii inopes ſuæ miſeriæ relinquunt. Sed hi metuant ſibi à dicto *Jacobi II. 13. judicium absque miſericordia eſt ei, qui non præſtiterit miſericordiam.* Nec enim apud DEUM eſt perſonarum reſpectus, quod ipſos vult meditari Paulus *Epheſ. VI. 9.*

Ibid. Nec bene meritis ſervitia liberaliter compenſantur:] Hoc ſcelere excelluit Saul, qui Davidem fideliſſimum miſere eſt perſecutus, nec filium ferre poterat Davidis merita agnoſcentem *I. Samuel. XX. 30 ſeqq.* imo eo adegit Davidem, ut judicium DEI, contra Dominum iniquum appellaret *cap. XXIV. 13. 16.*

Pag. ead §. III. Mandatum DEI:] Æquitatem in laborum impoſitione urget DEUS *Exod. XX. 10. Deut. V. 14. 15. Coloſſ. IV. 1.* Alimentationem & mercedis ſolutionem præſcripſit DEUS *Levit. XIX. 13. Deut. XXV. 4. 1. Cor. IX. 9. I. Tim. V. 18. Matth. X. 10. Luc. X. 7.* Manſuetudinem urget Paulus *Epheſ. VI. 9.* Conf. *Exod. XXI. 20. 26. 27.* Ubi videbis, DEUM leges tuliſſe etiam de mancipiis non inhumaniter tractandis. Add. *Sirac. VII. 22.* Caſtigatio ſervorum

rum præscripta habetur *Sirac. XXXIV. 25. 26. 27. seqq.* Idem *Sirac. cap. VII. 22.* egregie scribit: *Servus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua, neque defraudes illum libertate neque inopem derelinquas illum.*

Ibid. Exempla Sanctorum:] DEI poterat laudari indoles, qui servis fidelibus misericordiam promisit vel in mille Generationes, *Exod. XX. 6.* Quid fecerit propter David, discimus ex *I. Reg. XI. 34.* Quantam compensationem legimus *Matth. XXV. 21. 23.* Sed hæc obiter tantum. Inter Sanctos laudem hoc nomine meruit *Abrahamus* affectu insigni in Eleasarum, *Genes. XV. 2. 3. cap. XXIV. 2.* Idem exempli loco commendatur quoad institutionem catecheticam. Certe *B. Auctor in Aphorismis de Informatione catechetica posthumis, §. 7. pag. 11.* observat, referri vocem חניכיו *Genes. XIV. 14.* ad informatos, non tantum in disciplina militari, sed & cognitione Religionis, atque jubet conferre locum *Proverb. XXII. 6.* itemque meminisse, quod Rabbinis *liber Catechismi* dicatur ספר חנוך. Hoc saltem indubium est ex *Genes. XVII. 10. 11.* quod omnes masculos domus suæ Sacramento circumcisionis initiarit: quo respectu eum inter exempla Dominorum fidelium refert *B. Osiander pag. 31.* Pertinent huc *Cornelius* qui DEUM timuit cum tota sua domo *Actor. X. 2.* item ex historia Evangelica *Centurio* ille *Matth. VIII.* & Regulus, quem

vocant, *Job. IV. 54.* Inter exempla servis prospicientium referunt *Salomonem II. Paral. II. 10. Jobus* etiam provocat ipse ad suum servis administratæ justitiæ exemplum *cap.* XXXI, 13.

Ibid. Expectanda à DEO compensatio :) Quales nos gerimus ergo nobis subjectos, tales sumus olim experturi DEUM erga nos. Comminatio divina generalis etiam huc pertinet ex *Jacob. II. 13.* Specialiora paulo sunt, quæ legimus *Ephes. VI. 8. Unusquisque quod fecerit boni, hoc reportabit à* DEO, *sive servus fuerit, sive liber.*

Pag. ead. §. IV. Indole, quæ hominem humanæ conditionis memorem facit :) Irus subito fieri potest, qui modo Crœsus erat. Nihil firmi sub sole. Quilibet in eum statum incidere potest, in quem videt quemquam incidisse. Laudat *Seneca* Lucilium *epist. XLVII.* quod benignius cum servis suis viveret, & mox addit: *Servi sunt? immo homines. Servi sunt? immo contubernales. Servi sunt? Immo humiles amici. Servi sunt? Immo conservi, si cogitaveris tantundem, in utrosque licere fortunæ.*

Pag. ead. §. V. Immoderata cupiditas opum :) Qui enim grassantur ad opes, abuti solent servis, non uti, ut diteſcant. Nulla religio, nulla quies, nulla misericordia, nulla justitia, nulla humanitas insanorum Plutonis

famulorum pectora tangit. Omnibus eripiunt & subtrahunt, quod ne sibi quidem concedunt, sed futuris usibus, imo ne quidem futuris asservant.

Ibid. Factus seu ambitio:] Exemplo esse potest insolentissimus Pharao, *Exod. V. 2.* Quem enim ille affectus corrmpit, is omnia premit, aut saltem contemnit, ne quem parem aut superiorem cognoscere teneatur: Cum inferioribus autem vix comparari se patitur, multo minus ad amicitiam vel fraternam affectum commoveri.

Ad Cap. III. Sect. III.

SUB-SECT. II.

De

Officio Servorum & Ancillarum.

Pag. 571. §. 1.

SErvorum & Ancillarum:] Vide quæ notavimus ad præcedentem Sub-Sectionem §. 1. *nota 1.* de servorum diversitate & servitutis origine.

Ibid. Honorare Dominos & Dominas:] Hoc est, non modo exterius, sed etiam toto

toto pectore ipsos habere superiores, & tanquam divinitus sibi propositos, quibus teneantur, omnem exhibere reverentiam, quemadmodum ancillam Hagar horratus est angelus, *ut humiliaret se sub manu heræ suæ, Genes. XVI. 9.* & Paulus Apostolos servos, *ut proprios dominos omni honore dignos arbitrentur I. Timoth. VI. 1.* Cæterum quæ de partibus honoris diximus, cum officia liberorum exponeremus, illa analogice etiam huc spectant.

Ibid. Obsequi mandatis eorum:] Hoc officium servorum & ancillarum fusius exposuit ipse Apostolus ad *Ephes. VI. 5. 6. 7. Servi obedite iis, qui Domini sunt juxta carnem, cum timore & tremore, cum simplicitate cordis vestri tanquam Christo, non ad oculum servientes, vel, ut hominibus placere studentes, sed tanquam servi Christi, facientes, quæ vult* DEUS *ex animo, cum benevolentia servientes Domino, & non hominibus.*

Ibid. Quoties non apparet pugna cum Lege DEI:] Dixerat Paulus *ad Coloss. III. 22.* Obediendum esse Dominis, κατὰ πάντα, *secundum omnia* vel *in omnibus*, sive grata fuerint, sive ingrata, sive facilia sive difficilia; modo ne fuerint pugnantia cum Lege DEI. Vbi tamen observa (1) respexisse Apostolum ad illorum temporum servos, qui mancipia erant. (2) Probe notat *B. D. Althoferus*

in hanc Epistolam *pag. 100.* ad verba κατὰ πάντα, *esse illa limitate accipienda de omnibus, ad quæ jus herilis potestatis extenditur, nimirum ad ea, qua non sunt contra* DEVM, *cui plus obediendum, quam hominibus, Act. V. 29.* Excluditur hac præceptione Apostolica illa curiositas infelix quorundam servorum in rimandis, dijudicandis, censendis Dominorum mandatis. Servorum est, obedire, non virgulam censoriam in Dominos suos stringere, horumque consilia sub incudem vocare.

Ibid. Promte:) Nihil procrastinando, nihil differendo. Cum enim servi non sint conscii consiliorum domesticorum, sed tantum instrumenta quædam animata, quibus Domini in regenda familia utuntur; par est, ut quæ sibi demandata sunt, eo loco, tempore & modo, quibus jussi fuerunt, statim exsequantur, ne sua tarditate consilia Dominorum turbent & impediant. Laudem merentur illi servi Centurionis *Matth. VIII. 9.* quorum obedientiam promtam ipse centurio ita describit: *Habeo*, inquit, *sub me milites, & dico huic, vade & vadit; & alteri, veni & venit; & servo meo, fac hoc & facit.* Conf. Phrasin *Psalmi CXXIII. 2.*

Ibid. Et alacriter:) Hoc est integra & concitata mente torisque viribus, non autem obganniendo vel murmurando. Paulus hoc dixerat *Ephes. V. 5.* μετ' εὐνοίας δουλεύειν, &

ad

ad *Coloss. III. 23.* ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθαι. Ad *Tit. cap. II. 9.* ἐν πᾶσιν ἀγαθὰς εἶναι, μὴ ἀντιλέγοντας.

Ibid. Ac diligenter præstare:] Sive ita, ut omnes industriæ nervos intendant, nec ulli labori, ulli sudori parcant, quo intelligunt opus demandatum perfici posse ac debere.

Ibid. Fidem etiam præstare:] Fidem præstare tenentur, & quidem, ut Apostolus præcepit ad *Tit. II. 10.* πίστιν πᾶσαν, *omnem fidem*. Opponit ibi Apostolus fidem præcipue *furto*, & quidem clandestino ejusmodi, quòd in decerpendo, detrahendo, minuendo, cum totum tollere non possis, consistat. Hoc quippe est νοσφίζειν ut observat Erasmus ad h. l. Perinde autem fuerit, sive decerpas, detrahasque rei familiari Domini tui ita, ut quod detraxisti, tibi serves, sive ita negligenter rem tractes, ita infideliter, ut ea non augeatur, sed attenuetur, multo commodo inde ad te redeunte. Utrumque enim furti clandestini genus est. Ad fidem retuleris etiam *Taciturnitatem*, quam famuli Dominis debent, ne illorum consilia propalando temere enervent, vel alia incommoda attrahant. Egregia vox est illius apud Comicum, *Plus oportet scire servum, quam loqui.* Item: *Plus scire satius est quam loqui servum hominem, ea sapientia est.* Hac laude celebratur famula Judithæ, *Abra Judith. X.*

Ibid. Verum etiam augere :] Non solum fidelis est, qui damnum non infert, vel inferri patitur, sed etiam ad fidelem servum requiritur, ut videat, quomodo ex servitio suo res sibi demandatæ decens & honestum capiant incrementum. Vide bonorum servorum exemplum *Matth. XXV. v. 16 17.*

Ibid. Orare etiam pro ipsis :] Ut DEUS ipsis sua gratia adsit, ipsos regat, conservet, salubribus consiliis ornet, successus largiatur, quo feliciter regant rem familiarem.

Ibid. Patienter ferre nævos eorum :] Expresse enim dicitur *I. Petri II. 18.* obedientiam deberi & subjectionem Dominis, non solum bonis ac humanis, æquis & benignis, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς, *duris*, morosis, difficilibus, pravis, qui suis officiis desunt, non cum mansuetudine, non cum prudentia & æquitate rem familiarem dirigunt, sed indolem referunt Labanis iniqui, Pharaonis duri, Saulis importuni, Nabalis stulti. Horum iniquitates, quibus servos urgent, tristitiæ, quibus affligunt, ferendæ sunt pio, æquo & miti animo, si non propter dominum pravum, tamen propter DEUM, cujus sine voluntate illa nobis non obtingunt.

Pag. ead. § II. Honorem Dominis debitum non exhibent:] Peccatum hoc omissionis est, quod vel corde, vel ore, vel opere con-

contrahitur. Servorum enim est Dominos suscipere, non negligere, neque mentis cultu, neque gestu, ore, opere. Ita peccavit Hagar *Genes. XVI. 4.*

Ibid. Inferunt contumelias:] Peccatum commissionis est, quod itidem nunc *externe* fit, nunc *interne*, nunc utroque modo. *Internæ* contumeliæ sunt adjecta de Dominis & illorum mandatis, judicia, tacitæ obmurmurationes, diræ & imprecationes intra præcordia conceptæ. De *externis* vide notas sequentes.

Ibid. Præsentes dictis aut gestibus ignominiosis lacessant:] Eos appellando stultos, improbos, varia exprobrando in faciem, torvum eos aspiciendo, objectando brachia, comminando defensionem violentam &c.

Ibid. Alias calumniando detrahant:) Ita dominos absentes sæpius traducunt famuli, vana mentiendo, male narrando, propalando &c. quo ipso & in quartum simul & octavum præceptum delinquunt. Conf. *Mengering. cit. loc. quæst. 126. cap. XII pag. 1092.* Exemplum reliquis Ziba calumniator *II. Sam. XVI. 2.*

Ibid. Obsequia debita denegant:) Sive aperte contradicendo & renuendo, sive clam se subducendo, nunc hoc, nunc alio prætextu, prout ille servus nequam *Matth. XXV. v. 24. 25.*

Ibid. Tardius ac perfunctorie jussa Dominorum expediant:) Sive ex malitia destinata, ut ægre faciant Dominis, illisque inferant damnum, sive ex negligentia, & fuga laboris debiti, quem opus requisiverat.

Pag. 572. §. eod. Abrumpant operas:) Tunc præcipue, quando intelligunt, omnium minime posse dominos carere subsidio servorum. Ut si tempore Messis vel sementorum faciendorum abierint famuli; vel ex officinis recedant opificum, artificum, mercatorum ministri, cum imminentes nundinæ operas assiduas postulant &c.

Ibid. Mandata injusta ad captandam Dominorum benevolentiam &c.) Ita deliquit sceleratus ille Edomita Doëg Sacerdotes ad mandatum Saulis obtruncando *I. Sam. XXII. 18.* Joab in causa Uriæ *II. Samuel. XI. v. 15. 16. seqq.* &c. Vicini sunt huic sceleri, qui fingunt mandata injusta, seu ex affectata quadam prudentia, seu ex privati commodi studio &c. quemadmodum ita deliquerat Gahasi ille famosus *II. Reg. V. v. 22.*

Ibid. Lingua garrula:) Arcana effutiendo, consilia prodendo, incerta divulgando, unde incommoda in rem familiarem redundare possint. Item qui sua garrulitate talia ad Dominos deferunt, quæ vel odiosa sunt, vel ficta, vel

vel calumniæ, prout Doëg proditor *I. Samuel. XXII. 9. 10.* cui hoc scelus exprobrat David acerbissime loc. cit. *v. 22.* & *Psal. LII.* quem totum huic servo maligno opposuerat.

Ibid. Negligentia sua perdant vel perdi patiantur:) v. gr. Vestes, cibos, potus, & similia, quæ sæpius, quia male curantur, pereunt, & suo excidunt usu.

Ib. Si preces -- facere dedignentur:) Preces uti magistratui, ita etiam Dominis familiæ debentur per *I. Timoth. II.* Immo si Samuel *I. Sam. XII. 23.* preces pro populo intermittere, pro peccato duxisset sibi; quidni ducent servi, intermissionem precum sibi pro delicto?

Ibid. Impatientes sint ad ferendas Dominorum correptiones:) Abundamus hoc genere hominum, quod nec vitia sua ferre potest, nec remedia. Sibi relicti scelera operantur; correpti insaniunt, fræna mordent, & similes sunt *Ischarioth æ*, qui offensus Christi correptione, ad hostes Domini sui se receperat de proditione deliberaturus. Simile peccatum commiserat Hagar, quod ei exprobrat Angelus *Genes. XVI. 9.* Referri huc poterit delictum Onesimi, quod deprecatur Paulus *ad Philem. v. 15. 16. 17. 18.*

Pag. 572. §. III. Mandatum DEI:) Huc pertinet non modo quartum præceptum in genere; sed etiam specialia mandata divina de

officiis servorum suppetunt v. gr. de honore exhibendo. *Malach. I. 6. I. Tim. VI 1.* De obedientia seu obsequio constitutio Divina legitur, *Ephes. VI. 5. Coloss. III. 22. Tit. II. 9. I. Petr. II. 18.* Fidem præcipit Paulus *Tit. II. 10.* Conf. *Proverb. XXV. v. 13.* Patientiam Petrus inculcat *I. Epist. II. 18.*

Ibid. Exempla laudata:) Talia sunt Eleazaris, servi Abrahami *Genes.* XXIV. qui fidem præstitit Domino & pro felici successu negotii sibi demandati oravit. Fidem etiam & integritatem probavit ille famulus Nabalis, qui Abigaili aperuit, quodnam periculum sit metuendum *I. Sam.* XXV. *à v. 14. ad 17.* Josephi servitium, castum & fidele describit Moses *Genes.* XXXIX. *v. 4 seqq.* Jacobus suum ministerium durum, sed fidum apud Laban, refert ipse *Gnes.* XXXI. *v. 5. seqq.* item *38 39. 40. seqq.* &c. E Novo Testamento laudem & imitationem merentur servi illius Centurionis, quos ipse Centurio ab obsequio commendat, *Matth. IIX. 9.* Servi illius Reguli *Joh. IV. 51.* Hi quippe Domino suo lætum ferebant nuntium de filii restitutione ex morbo lethali. Cornelii illius, *Actor. X. v. 7.*

Ibid. Recte agentium præmia:) Hæc sunt promissa *Ephes. VI. 8. Coloss. III. 24.* Exempla sunt Jacob, *Genes.* XXXII. *10.* Joseph *Genes. XLI. 41.* David, *II. Samuel. V. 3.* Esther, *cap. II. 17.* Conf. dicta huc pertinentia ex Proverbiis *cap.* XIV. *35.* XVII. 2. XXVII. *18.*

Ibid.

Ibid. Peccantium pœnæ:) Terrori esse possunt Gehasi, *II. Reg. V. 27.* Ille servus negligens & perfidus *Matth.* XXV. *v. 26. seqq.* Joab *I. Reg. II. 31.* &c. Unde patet esse servis peccantibus exspectanda varia pœnarum corporalium & æternarum genera. Confer comminationem *Coloss. III. 25.*

Pag. ead. §. IV. Præsentis status memoria:) Egregie *Epictetus cap.* XXIII. *Enchir.* docuit, sic animum esse ad quodvis vitæ genus præparandum, ut cogitemus, vitam hanc esse fabulam, ubi laudem merentur, non qui magnam gerit personam sibi demandatam quamcunque decore ac belle effingit. Christiani norunt, DEUM etiam hoc vitæ genus in Ecclesiam recepisse & vigere in ea velle, quâ de re fusius *B. Dürrius cit. loc. cap. VII. §. I. p. 390.* Ergo non tam in id incumbant, quomodo variis technis personam hanc exuant, sed potius studeant, si velint laudari, illam rite exprimere.

Pag. ead. §. V. Quod ignominiosus sit status servilis:) Præjudicium hoc est carnis. Nobis qui in Christo sumus, omnis status honestus est, in quo nos constituit DEUS, vide *Ephes. VI. 5. Galat. III. 28.*

Ib. Inordinata cupiditas ditescendi:) Avatitia est radix omnis mali *I. Tim. VI. 10.* Ex illa oriuntur furta, technæ, fraudes, prout exempla quotidiana plus satis docent.

EPI-

EPILOGUS.

HActenus, Benevole Lector, Supplementa nostra, quibus insigne compendium Theologiæ Moralis Venerandi nostri Præceptoris, B. D BAIERI, annitebamur usibus Studiosæ juventutis efficere commodatius ex illa parte, qua Notis ab Auctore beato addendis, carebat. Institutum nostrum intelliges ex nostra præfatione. Nihil supereſt, nisi ut tribus (quod ajunt) verbis moneam, potuisse B. Auctori objici, quod quædam officia Specialia omiserit, quæ meruerint, si non integra capita, saltem aliquot adhuc sectiones & sub-sectiones. Certe *B. Dürrius*, quem B. noster Bajerus habuit præceptorum, & quem in hoc compendio passim secutus est, in sua Theologia Morali exhibet integrum caput *De Officiis Fratrum, Sororum, aliorumque Consanguineorum & Cognatorum, item Vicinorum:* item caput aliud *De Officiis & Virtutibus Puerorum, Adolescentum, Juvenum, Virorum, Mulierum, Virginum, Viduarum, Senum:* nec non caput quoddam peculiare *De Officiis & Virtutibus Nobilium, Divitum, Pauperum, Mercatorum, Opificum, Agricolarum.* Quid? *B. D. Mengeringius in Scrutinio conscientiæ catechetico*, ad specialiora istiusmodi officia & peccata non modo passim descendit, sed etiam integrum caput vigesimum primum de statu œconomico, speciatim ita dicto

inse-

inſeruit, ubi varia Artificum, Opificum, ſimilium-que hominum genera ordine Alphabetico ſub examen conſcientiæ vocat. His ergo & ſimilibus præjudiciis poſſet quis eo induci, ut crederet, B. BAIERUM nondum ſatis ſuppletum eſſe, utpote cum tot & tantorum officia ſpecialiora ſint prætermiſſa.

Enim vero nos reſpondemus, quod nec B. Auctori, nec nobis animus fuerit, omnibus numeris abſolutum dare Syſtema, quod omnes Theologiæ practicæ partes plane exhiberet; ſed ſcopus erat, Studioſæ juventuti in principiis practicis & partibus potioribus Theologiæ Moralis ex verbo DEI conſulere. Præterea certum eſt B. Auctorem dicta officia ſpecialiora *partim* ſub aliis exhibuiſſe titulis, *partim* eſſe illa officia & vitia ſic comparata, ut nemo non poſſit ex parte Generali, vel etiam quandoque ex parte Speciali, ſive per nudam ſubſumtionem, ſive ex analogia judicium ferre. Adde quod plura *Opificum* & *Artificum* genera ſint, de quorum officiis ſpecialibus nihil in Scripturis vel exſtat, vel exſtare debebat, cum vel ſolum *ſeptimum*, *nonum*, *decimum*, aliaque præcepta plus ſatis ipſos ad vitam honeſtam inſtruant. Vnde nec nos voluimus eſſe prolixiores in ſupplementis. Interim de *Officiis Fratrum & Sororum* poteſt judicium ferri ex *dilectione proximi Chriſtiana*, quæ fraterna eſſe debet. Nec enim majoris neceſſitudinis eſt vinculum carnis inter conſanguineos, quam ſpiri-

ſpiritus vinculum inter Chriſtianos. Hoc tamen dixeris diſcriminis eſſe inter officia fratrum Chriſtianorum, & inter officia chriſtianorum communium, quod illi bis ad eandem Charitatem exercentem ſint obligari, nempe ex neceſſitudine generationis carnalis & ſpiritualis, cum alii Chriſtiani non niſi vinculo regenerationis ſuæ, ſint ad officia charitatis fraternæ obſtricti. *Senes* officia ſua intelligunt analogice ex officiis *Parentum & Præceptorum*, quorum loco habendi ſunt. *Pueri, Adoleſcentes, juvenes*, ſua officia repetant ex claſſe *Servorum, Auditorum*, *Liberorum* &c. *Virgines*, *Mulieres*, *Viri* &c. officia ſua partim ex ſexto præcepto, partim ex officiis Societatis Maritalis, paternæ, herilis agnoſcere poſſunt. *Nobilium* officia partim ex officiis *Patronorum & Magiſtratuum*, partim *Conſiliariorum* patent &c. Claudimus proinde rivos, venerati D E V M Optimum Maximum, ut his noſtris laboribus qualibuscunque clementer benedicat & ad noſtrum evehat finem ultimum, qui eſt

SOLIUS DEI GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0774
DFG

L. B. S.

PLacuit, indicibus geminis in nostra SVPPLEMENTA *Theologiæ Moralis Bajerianæ*, quos hic damus, subjicere indicem duplicem, priorem itidem Locorum Scripturæ, & posteriorem Rerum & verborum, etiam in ipsum COMPENDIUM *Theologiæ Moralis Bajerianum*, utpote quod talibus indicibus in utraque editione caret. Progressi autem fuimus in hoc indice gemino tantùm usque ad paginam 455. utpote cum qua Notæ ipsius Beati auctoris exspirarunt, succedentibus deinde nostris supplementis, quæ indicibus suis peculiaribus jam sunt instructa, & ipsa Lectorem perpetuo in singulis notis ad Textum Compendii singulasque ejus paginas remittunt. Vale, Lector Colende, & hunc nostrum qualemcunque laborem æqui bonique consule.

SUP-

INDEX PRIOR.

IN LOCA S. SCRIPTURÆ ILLUSTRATA.

GENESEOS.

Cap.	Vers.	Pag.
II	22	428
IV	7	270
IX	25	737
XIV	14	748

EXODI.

XX	7	58
	11	101
	12	734
	13	211. seq.
	14	147
	15	228
	16	222
	17.	218

LEVIT.

XIX	13	745

DEVTER.

V	11	58
VI	13	55

JUDIC.

XI	10. seq.	84

I. SAMUEL.

IIX	9. seq.	608

II. PARAL.

XIX	8. seq.	570

PSALM.

LI	6	617
XXCIV	7	207
CI	1	577
CXIX	2. seqq.	

PROVERB.

XXII	15.	522. 714
XXX	17	737

ESAIÆ.

LIII	9	452

SIRAC.

XXXVII.	30.	31. 150.

MATTH.

V	32	684
	34	92
XI	18	91
XIX	9	684
XXIII	3	12
XXV	16	754

MARC.

VII	36	49

JOH.

I	20	32
V	44	159
VI	15	49
IIX	51	405

XIV 16 483

ACT.

XXIII. 14 84

ROMAN.

X 17 32
XII 7. seq. 519
XIII 1 423

I. CORINTH.

IV 19 187
V 2 ibid.
VII 9 673
15 685
IX 27 92
XI 29. seq. 26
XIII 5 179
XVI 2 102

EPHES.

V 4 248
VI 2 734
4 716

COLOSS.

III 22 751

I. TIMOTH.

III 13 501
V 4 729
5 698. seq.
8 699
VI 6 263

II. TIMOTH.

II 22 266

TIT.

II 10 753
12 117

I. PETR.

II 13 575
18 754
III 21 18

I. JOH.

III 16 623
IV 18 184
V 16 56

JACOB.

V 12 72
14 488

APOCAL.

I 10 102

INDEX POSTERIOR.

Rerum & Verborum Notabiliorum.

A.

Abnegatio duplex p. 34. sui pag. 189. 638. Præpotentium abnegantiũ exẽpla. p. 41.

Abortuum procuratio. p. 213.

Absolutionis Form. p. 407. vide *Peccatum. Ministerium verbi.*

Abstemiis an cœnandanda p. 390.

Academiarum floridus status p. 555. Perfectio Academiarum unde æstimanda p. 560. Academicæ disciplinæ defectus. p. 529. 531. Studia Academica vide suo loco. Academica vita Basilii & Nazianzeni p. 267. 307. vitia & scandala Academica 140. 264. 565. 713.

Acolythus quomodo creatur p. 350.

Acta ministeriales p. 411. 412. vide *Ministerium.*

Adiaphora quid p. 409. finis p. 410. Mensura p. 411. catalogus p. 412. quando necessaria fiant p. 86. 414. 416. mutatio adiaphororũ tempestiva p. 414. scandalum ex mutatione p. 416.

Adminicula Studii Theologici. 289. seqq. vide *Studium Theologic.*

Admonitionum gradus cur adhibendi p. 461.

Adulatio p. 247.

Adulterium capitale facinus p. 690. quando divortium pariat p. 684. seq. 694.

Advocati quinam ? p. 639. eorum dignitas p. 640. officia p. 646. seqq. Peccata p. 641. seq. Motiva ad officii numeros explendos, ut & Media agendi p. 648. 649.

Ædificatio suprema Lex Christianorum p. 207. maximè actuum ministe-

nisterialem, de quibus suo loco. Ædificationem quæ impediant p. 5. seq.
Ægrotorum cura p. 211. cur speciatim pastoribus incumbat p. 456. varia earum ratio p. 468. quando ægrotis cœna sacra porrigenda p. 391. de cura Ægrotorum quinam scripserint. p. 490. vide *Ministeriu*.
Æquitas dicitur correctio Legis p. 604.
Affinitas quid? p. 432. ejus genera *ibid.* quas nuptias impediat? p. 433. 439. 657.
Agapæ veterum p. 26.
Agon Morientium p. 457. 481. Agonisantes non sunt clamoribus turbandi p. 476.
Altingii (Henr.) Theologia Historica p. 304.
Ambitio Ecclesiasticorum pestis p. 264.
Amicitiæ pravæ p. 181. sunt vitandæ p. 182.
Amor Dei in nos, p. 185. est fons amoris proximi *ibid.* Juventutis p. 531. Filialis p. 726. 730. opum 230. vide *Dilectio*.
Amuleta p. 52.
Andreæ (Jacob.) primum examen p. 280.
Animæ dona naturalia duplicia p. 118. seq. Defectus p. 119. cultura p. 121. exploratio donorum cur necessaria *ibid.* pœnæ negligentium p. 124. supernaturalia dona duplicia p. 131. cultura animæ in supernaturalibus p. 132. Motiva p. 135. Media p. 136. Impedimenta p. 137.
Animo mollis quid p. 281.
Annulus pronubus 655.
Ansa intolerabilis rerum p. 188.
Anshelmi dialogus, quo moribundum erigit p. 474. 475.
Antediluviana Barbaries p. 574.

Aptitudo ad docendum p.281. quomodo comparetur *ibid.*
Arndii (Johann) judicium de Theologia Polemica p.322.
Artes liberales p.707.
Assentatores p.288.
Avaritia p.227. 265. cui comparanda p.229.
Auditores Ecclesiastici quid. p.510. eorum officia p.510. Peccata p.512. Motiva 514. Media p.515. Impedimenta *ibid.* Auditorum in Scholis & Academiis officia p.532. seq. Peccata p.536. Motiva p.537.
Augustini confessio de peccatis pueritiæ p.737. Vocatio ad Episcopatum p.341.
Aulicorum sapientia secularis p.128. vide *Politici.*
Αὐτάρκεια p.263.
Αὐτοδίδακτοι quinam? p.298. eorum vitia *ibid.*
Αὐτοχειρία p.146. honestam sepulturam impedit p.444.
Atheismi variæ acceptiones p.579.
Ayreri (Jacobi) processus p.640.

B.

Bajeri (Joh. Wilhel.) Compendium Theol. Positivæ p.308. Compendii Theologiæ Moralis prærogativæ p.271. Compendia reliquarum Partium Theologiæ Catecheticæ, Homileticæ, Exegeticæ, quibus nuper accessit Historicæ cōpendiū p.302. 303.
Baptismus p.18. 22. quonam liquore p.374. Actus ablutionis qualis *ibid.* Quænam formula baptismalis 375. 382. Institutio p.383. præcipue pædobaptismi p.376. religiose administrandus p.19. 376. 383. Memoria ejus non intermittenda p.21. Vis baptismi non nisi una p.29. 30. Quibus

bus conferendus p.21 22.371.379. Superstitiones Pontificiæ p.22. Conditionatus baptismus p.378. Laicorum baptismus p. 379. Baptismus Johannis 382. Motiva, Media, impedimenta officiorū huc pertinentium p. 24. seqq.
Basilii M. vita Academica p.267.
Bella gerere licet p. 611. Sed quibus legibus p.611.612. temeraria quænam 616.
Benedictio sacerdotalis Neogamorum p.658. ante hanc concūbentes rectè puniuntur p. 663. vid. *Neogami*.
Beneficentia p. 239.
Bernhardꝰ notatꝰ p.498
Bibliorum lectio p.270. 310. duplex, cursoria & accurata p. 311. seq. cursoria quomodo instituenda p. 312. Accurata quomodo, p.314.
Biblia quare maximam partem historica sint? p.325.
Blasphemia quid? p.50. quotuplex p.51.
Bonum summum Deus p.165. cui reliqua bona ne quidē comparanda *ibid.* Bona sanctis propria p.165. Bona vera p. 175. Bona externa p.168.
Brevitas justa docentium p.519.

C.

Candidati Ministerii, vide *Ministerium. Studiosus Theologiæ.*
Capitale, Latinius sors. p. 240.
Castigatio verbalis p.715 realis p.716.
Castitas conjugialis & cœlebs p. 143. Vitia opposita p.144. Motiva p.147. Media p. 150. Impedimēta p.152.
Casus conscientiæ quid? p.328. ratio solvendi casus *ibid.* Casuistica Theol. v. Theologia.

Catechisatio de Officio Pastoris p. 357. Catechetica informatio vetustissima p. 748. V. *Theologia Catechetica*
Causæ civiles quomodo tractandæ p. 605. decidendæ p. 606. vide *Advocatus*.
Censura p. 547.
Ceremoniæ vide *Ritus*.
Charismata vide *Dona*.
Charitas Christiana differta conjugiali p. 692 vide *Amor. Dilectio*.
Chemnitii (Martini) Loc. Theol. pag. 315.
Christiani cur ovibus comparati p. 131. Primorum sanctitas p. 306. veterum praxis in precibus pro Magistratibus p. 622.
Christus Doctorum congressu probavit p. 530.
In Christo datur unio Hypostatica Naturarum p. 318. quomodo probetur ex scripturis *ibid.* Communicatio Idiomatum quomodo ex Scripturis constet. *ibid.*
Civilium rerum peritia unde petenda p. 631.
Civilis Societatis causa p. 573. Civilis Ius æternæ saluti subordinanda p. 597.
Classica dicta quid? p. 317. quomodo evolvenda *ibid.*
Clerici abnegantis pœna p. 38. non sunt e numero subditorum eximendi p. 624. 625. in quibus tamen a jurisdictione Civili exemti p. 546.
Cœna Sacra viaticum morituorum p. 466. vide *Eucharistia*.
Collegia in Academiis quomodo frequentanda p. 296. 299. 533. eorum selectus 301.
Colloquia examinatoria p. 342.
Commodatum p. 241.
Communio peregrina veterum p. 503.
Compendiorum Theologiæ

logiæ usus p.309.seq. Virtutes 308.
Conciones Studiosorum nũ ptobandæ? p.335. Pastorum p.358. non sine præmeditatione habendæ p. 359. 365. Earum materia p.360 mensura 364. nævi 365. Applicatio 456. Funebres, vide suo loco.
Concordia 247. 522.
Condonatio fraterna p. 468. 470.
Conductio Locationis correlatum p. 235.
Confessio quotuplex p. 31. Fidei vide suo loco Peccatorum privata p. 400.
Cõfessores quinam p.33.
Confitentium varius status p. 401.
Conjugii institutio.664. dignitas p. 439. 650. Materia p. 431. 651. Finis 651.665. Furiosorum 650. Spadonũ, senũ, impuberum, p. 653. Heterodoxorum 586. 652. *Vinculum* p. 684. non solvitur, sed solutum declaratur a Magistratu 688.
Conjugium ingressu rorum officia p. 654. peccata p. 659. motiva p. 664. Media p. 667.
Conjugum Officia 667. peccata 671. Motiva 681. Media 683. impedimenta *ibid.* Vide *Maritꝙ. Uxor. Nuptiæ consensus. Sponsalia.*
Conjugi etiam fidem violanti conjugialem ignoscendũ p.690.695
Consangvinitas quid? p. 431. nuptiæ ob hanc prohibitæ 431. 432. 439. 656.
Conscientiarum status multiplex p.401.459. præcipuè tamen triplex p.482. principia illorum statuum 459.
Consecratio Eucharistica p. 388. quomodo peragenda p. 389.
Consensus contrahentium 655. Parentum

necessarij ad nuptias validas 431. quare, p. 436. 438. 439. 656. etiam Matris p. 661.
DEI consensus quomodo indagandus & obtinendus. 654. 667.
Consequentiarum necessitas quomodo probanda p. 320.
Consiliarii p. 630. Præparatio & officia. p. 631. seq. Peccata. 637.
Consistoriales p. 570. Officia p. 570. seqq. Peccata p. 572. Motiva, Media, Impedimenta *ibid.*
Consistoriũ quid p. 550. eorum Origo *ibid.*
Consolationum scriptores p. 490. seq.
Constantinus M. p. 11.
Constitutiones Ecclesiasticæ p. 58. non sunt simpliciter contemnendæ. p. 64.
Contractus p. 231. Emtionis p. 232. Locationis p. 235. Mutui p. 239 Commodati p. 241. Depositi *ib.* Pignoris p. 242. Fidejussionis p. 242. Motiva in contractibus servandis p. 244. Media p. 245.
Contritio quid. p. 396. ejus signa *ibid.*
Contumelia p. 220.
Conversatio cum Deo p. 1. 16. cum piis p. 272. Conversationis vis p. 584. 586. blanda cõversatio p. 246.
Copulatio vagorum hominum p. 433. seq. 437. vide *Neogami.*
Corpo humanum dignè habendũ p. 214. 458. Concurrit ad actiones duplices p. 142. cultus corporis in victu p. 143. in amictu pag. 144. Peccata in cultu Corporis p. 144 Motiva p. 147. Media p. 150. Impedimenta p. 152. Sepulchra honesta corporum defunctorum. vide *Sepulchra.*
Correctio Legis & æquitas

tas differunt. p. 604.
Correptio fraterna p.193 195. 201. 202. pertinet ad officium sacerdotale Christianorum p.206.209.
Creditor quid. p. 239.
Criticorum morbus p. 293.
Crucis arcana p.483.
Cultus Dei verus & electitius p.157.

D.

Damna resarcienda p. 236.237.
David regentium exemplar p. 582. ter in Regem unctus pag. 584. ejus cum DEO conversatio p. 1. 56. Psalmi & Musica p. 44.45.
Debitor p. 239.
Decimæ p. 545.
Delictorum gravitas unde æstimanda p.714.
Depositum p.241.
Desertio malitiosa p. 685. 695.
Dei perfectiones & beneficia p.47.
Dicta Classica p.317.
Διδακτικὸς p.281.360.
Didascalia in Homileticis p.360.
Dignitas quid? p.218.
Dilectio proximi p.174. ejus mensura p.175. 176. Dilectio sui ipsius p.177. Peccata p.179. seq. Motiva pag.182. Media p. 185. Impedimenta p. 187.
Diœcesis quid p.547.
Disciplinas sancti etiam coluerunt. p.198.
Dispensare quid in œconomicis p. 709.
Disputationes Academicæ p. 300. Artis Disputatoriæ compendium p. *ibid.*
Divitiæ p. 160. vide *Fortuna.*
Divortia ob λόγον πορνείας p. 684. quid divortium secundum nostrates pag. 687. quid secundum Pontificios denotet p.688. non faciunt judices, sed declarant p. 689.

Divortia Judaica p. 694. sunt contra Dei institutionem & praxin sanctorum p. 696 697.
Docendi munus cognitionem & rei docendæ & methodi requirit p. 523.
Doctores Ecclesiæ & viri θεόπνευστοι differunt p. 310. Doctorum Ecclesiæ nævi vide *Nævi*. Item *Minister Ecclesiæ*. *Pastores*.
Doctrina cœlestis p. 554.
Domesticæ Eccles. p. 104
Dominica Dies p. 103.
Dominorum Officia p. 740. peccata p. 744. Motiva p. 747. Media p. 749. Impedimenta *ibid.*
Dona Naturalia p. 118. seqq. Supernaturalia tam sanctificantia, quam ministrantia p. 131. quibus mediis perficiantur p. 132. eorum Finis p. 183.
Duella p. 212.

E.

Ecclesia tota & universalis differunt p. 566. Episcopalis & Parochiana differt p. 541. habet jus vocandi Ecclesiæ ministros p. 332.
Ecclesiæ constitutiones circa celebrationem Sabbathi p. 111. Circa ordinationem jejuniorum p. 97. Ecclesiæ cur obtemperandum p. 93. 112.
Ecclesiasticæ Leges a quibus ferendæ. p. 544 Causæ Ecclesiasticæ p. 533. Scandala Ecclesiasticorum p. 65. Munera Ecclesiastica licet expetere p. 160.
Educatio liberorum ad pietatem p. 705. 710. ad artes liberales p. 707. ad certum vitæ genus p. 708. est de Officio parentum p. 710. Vide *Parentes*. *Liberi*.
Efficacia ministerii hominum

minum malè moratorum p. 11. 12.
Egenorum discrimen p. 227. immisericordia in eos p. 228.
Electio Magistratuum p. 589. Ministrorum Ecclesiæ p. 331. per Patronos Ecclesiarum p. 567.
Elenchus Doctrinalis p. 360. ejus regulæ p. 361. Moralis Elenchus p. 364. seq. vide Ministerium.
Empæctæ quomodo sepeliendi p. 445.
Emtionis contractus p. 232. seq.
Epanorthosis p. 364. 366
Ἐπισκοπὴ quid? p. 225.
Episcopus & Presbyter non differunt jure divino p. 382. p. 539. differunt tamen jure Ecclesiastico p. 540. Episcopi Pontificii Dynastæ seculares p. 365. p. 542. Origo hujus secularis potestatis p. 548.
Episcopalia officia peculiaria p. 542. seqq. quomodo lapsu temporis exorta p. 539. s. quomodo ad Principes & status protestantes devenerint, p. 551. vide *Status Evangelici*. Officia Episcopalia Principum Protestantium p. 552. seqq. peccata p. 557. Motiva 562. Media, Impedimenta. p. 565.
Ἐπιχαιρεκακία p. 180. interdicta p. 182.
Errores in doctrina, quales pro concione refutandi? p. 361. Errores in connubialibus p. 661. seq.
Eruditio malis mediis parata p. 123. cum malitia conjuncta scelus duplex p. 527. 711.
Evangelium p. 461.
Evangelici status imperii jura Episcopalia acceperunt, p. 549. jure superioritatis territorialis p. 551. exer-

exercent jura Episcopalia partim per consistoria, partim immediate p. 549. 551.
Eucharistia p. 19. 20. Actiones ex quibus constat non divellendis p. 387. Forma ejus p. 389. Formulæ in porrectione Symbolorum *ibid.* Materia, Panis & Vinum p. 386. Panis Eucharistici intinctio p. 387. Eucharistia est sæpius usurpanda p. 20. 22. Praxis veterum p. 20. Frigus damnabile in cœna p. 23. religiosè habenda etiam a non communicantibus p. 21. Danda se probantibus. p. 20. 390. 393. non debet dari animam jam agentibus pag. 392. non truncata vel abstemiis etiam p. 390. 393. Adiaphora in Cœna p. 412.
Eusebius vocationem novam oblatam recusavit p. 06.
Εὐτραπελία p. 248.
Examinatoria Collegia. p. 299.
Examina Candidatorum p. 343.
Excommunicatio duplex p. 403. Effectus p. 404. quomodo exercenda p. 405.
Exegetica Theol. p. 303.
Exemplum bonũ p. 193. pravum p. 9. 17. vide *Scandalum*. Exemplorum usus p. 190.
Exorcista p. 350.
Exploratio sui ipsius p. 120. seqq. vid. *Animæ cultura*.
Exsequiæ honestæ. vide *Sepulturæ*.

F.

Fama ultimum locum habet inter bona hominis ex dispositione decalogi pag. 218. Quid? *ibid.* Officia circa famam proximi p. 219. peccata p. 220. Motiva p. 222.

Media p. 223. Impedimenta p. 224.
Familiarum magnarum Progenies degener p. 709.
Fanaticorum deliria p. 3.
Fastidium p. 771. 772.
Festivitas Sermonis. p. 247.
Festum. vide *Sabbathum.* Christianorum festa quomodo instituta p. 105. rectè instituta p. 111. superstitiosa p. 108.
Fideles p. 3. 4. horũ rudimenta prima p. 43.
Fides duplex p. 31. Fidei Confessio p. 32. 33. 36. Abnegatio, dissimulatio ejusdem p. 34. Motiva Confessionis p. 36. Media p. 38. Impedimenta p. 40. Fides quid? p. 396. Habitus Fidei p. 706.
Fidejussor p. 242. Fidejussio p. 242. Contractus fidejussionis an licitus? p. 243.
Filiorum educatio. Vide *Educatio. Liberi.*
Filiæ quomodo instituendæ p. 683. 709. matrimonia earum p. 718.
Flacii lapsus unde p. 296.
Flagellationes pontificiæ p. 146.
Fœminarum officia pag. 762.
Fœtus monstrosi p. 380. quando baptizandi, *ibid.*
Fortunæ pictura p. 168. Bona p. 158. seq. Officia circa eadem. *ibid.* Peccata pag. 161. Motiva p. 163. Media 167. Impedimenta p. 168. Usus & abusus magis in theoria distinguitur quàm praxi p. 170. 172. Optimus usus eorundem. p. 217.
Fratrum & Sororum officia p. 761.
Fundamentalia dogmata p. 321.
Funebres concionos quomodo instituendæ p. 447. peccata in his

his concionibus p. 450. Vide *sepultura*.

G.

Garrulitas p. 224.
Gentiliũ virtutes p. 149.
Gerhardi Methodus Studii Theologici p. 224.
Gladii usus p. 607. 608. 614.
Glorificatio Dei p. 43. Officia huc pertinentia p. 44. seqq. Peccata opposita p. 48. Motiva p. 55. Media p. 58. Impedimenta p. 62. seq.
Gradus admonitionum apud ægrotantes p. 461. Gradus in connubialibus prohibiti p. 431. seq.
Gratiæ baptismalis applicatio in morte p. 474.
Gula p. 144. in Academiis regnat. p. 154.
Γυναικομάστιγες Castigati p. 676. 677.

H.

Hæreditas filiis relinquenda p. 718.
Hestrusii (Tilemanni) judicium de Germanica versione Bibliorum Lutheri p. 312.
Heterodoxorum scripta cautè tractanda p. 260. seq.
Historia Ecclesiastica & Theologica differunt p. 304. Ratio tractandi Historiam Theologicam p. 345. Usus in Theolog. p. 291. 325.
Homicidium p. 211. ejus varii modi p. 213.
Homiliæ Vide *Concio*.
Hominis animus longè diutius formandus, quàm corpus p. 125. 126. Homini quà tali succurrendum p. 217.
Honores & dignitates p. 159. Vide Fortunæ Bona. Honor quid p. 511.
Hornejii Compend. Theol. p. 17.
Hostibus servanda fides p. 612. Hostium excidium cur Israelitis injunctum *ibid.*

Hu-

Humanitas p. 247. ejus cum Gravitate mistura p. 578.
Humanæ cognitionis imperfectio p. 15.
Humilitas p. 259. quomodo procuranda p. 468.
Hypocritarum prætexto p. 134. Hypocrisis. p. 263. De Hypocrisi suspecti quomodo absolvendi p. 399.
Hypostatica unio naturarum in Christo, quomodo demonstretur p. 318.

I.

Jejunium religiosum p. 89. Officia circa istud p. 90. seqq. peccata p. 93. Motiva p. 96. Media p. 97. Impedimenta p. 98.
Jesuitis malè tradunt Evangelici formandos liberos p. 719. Probabilitas Jesuitarum p. 642.
Illuminatio fidelium mediata p. 34.
Immisericordia p. 228.
Immunitates ministrorum verbi p. 421.
Inclinatio naturalis ad ministerium p. 279. p. 382. spuria p. 283.
Indorum neglectus in catechisatione p. 377.
Industria in studiis Theologicis p. 287.
Infantes quando baptizandi p. 372. infidelium infantes p. 374. 378. Baptismus eorum probatur p. 376.
Informatio sobolis p. 126 proximi p. 92. privatissima p. 524.
Informatorum Virtutes p. 126. Exempla p. 208 usus insignis p. 296. vitia varia p. 298.
Ingenia mediocria p. 279 ratio ingenii habenda p. 301. Felicia pag. 305. varietas ingeniorum p. 518. 709.
Inhumanitas fugienda p. 217.
Injuriæ in reconciliatione non ventilandæ, sed abo-

abolendæ. p. 470.
Inobedientia servitutis origo p. 737.
Insidiæ militares. p. 594.
Instinctus ad Societatē Civilē undenam? 573.
nvidia p. 180. Interdicta. p. 182.
Iracundia p. 224. 265.
Judas proditor p. 757.
Judæorum juramentum p. 20. conversi judæi raro boni p. 371. quomodo catechisandi *ibid.* num tolerandi? pag. 601.
Judex num semper teneatur acta publica sequi p. 606.
Indicium maximum pag. 157. incorruptum p. 591.
Juramentum Religionum p. 68. 69. 70. quotuplex pag. 70. Officia p. 68. seq. peccata p. 71. Motiva p. 76. Media pag. 77. Impedimenta p. 78. seq.
Jus Regium I. Samuelis IIX. p. 698.
Juventutis genius p. 733. Officia p. 762.

K.

Kromajeri (Joh. Abrah.) Disposit. Biblicæ. p. 313.

L.

Laborum in re familiari differentiæ p. 741.
Lapsi in Veteri Ecclesia quinam dicti? p. 34. 37.
Lectiones Academicæ. vide *Collegia.*
Lectio Bibliorum vide *Biblia.* Postillarum p. 306.
Lector p. 350.
Lex quibus applicanda p. 461. Civilium Legum honestas p. 602. Materia, perspicuitas, promulgatio p. 603. correctio, p. 604 Leges improbæ, ineptæ, p. 613. Legum mutatio periculosa p. 613.
Libellatici p. 38.
Liberales artes. vide Artes.

Libe-

Liberorum educatio p. 705. non est comittenda Jesuitis p. 719. indoles exploranda p. 722. cura liberorum ex diversis conjugiis p. 693.
Liberorum Officia p. 725. peccata p. 729. Motiva p. 734. castigatio pag. 715. Adultorum cura p. 717.
Libido p. 658. non in toro quærenda, sed prohibenda p. 675.
Librorum Cognitio p. 301.
Ligare p. 398.
Linguæ sanctæ quænam p. 289. peritia omnes Christianos juvat p. 292 Cognitio illarum in Theologicis magis necessaria quam Philosophiæ p. 593. etiam à tardioribus capi possunt p. 297.
Litaniæ p. 44.
Lites vix sine peccato geruntur, p. 644. earum exitus anceps p. 645. ex Litibus sæpius ortæ novæ pag. 647.
Litigantium officia pag. 644.
Locationis contractus pag. 235. Officia huc pertinentia 236. peccata p. 238.
Loci communes Biblici p. 314. Historici p. 327. Theologicorum Locorum partes pag. 316.
Logicæ usus in Theologia p. 290.
Lucrum p. 239.
Luctus de conjugis morte p. 693.
Lutherani ritum ordinationis non contemnunt p. 349.
Lutherus adminiculis Theologiæ instructus p. 295. ejus versio Germanica p. 312. Methodus studii theologici p. 2. seqq.

alium liquorem, quã aquam in baptismo non conceſſit p. 381.
Luxus veſtium vulgare in fœminis malum p. 681. in viduis piaculum p. 700.

M

Magia p. 53. Divinatrix p. 54. Effectrix p. 55.
Magiſtratus Civilis eſt a Deo p. 575. 586. Creatura humana p. 575. laxiùs ſumitur inter Theologos, quàm Politicos p. 576. Præparatio ad magiſtratũ officia gerenda p. 576 Virtutes p. 577. 578. Vitia vitanda p. 579. Motiva ad præparationem p. 581. Media p. 584. Impedimenta p. 585. Ingreſſus legitimus p. 590. illegitimus p. 593. Motiva p. 594. Media p. 595. Impedimenta p. 596. Officia circa ſacra vide *Epiſcopalia jura*, an legibus ſolutus p. 605. Contra Deum nihil valet p. 597. Officia in ferendis legibus p. 602. in cauſis civilibus dijudicandis 605. in præmiis & pœnis p. 607. in vindicandis innocentibus p. 607. in oneribus imponendis pag. 608. in bellis gerendis p 611. Peccata varia p. 613 ſeq. ab officio diſceſſus p. 617. peccata circa diſceſſum p. 619. Motiva rectè agendi p. 620.
Magiſtratũ an quis poſſit deponere p. 617.
Magiſtratus inferior an poſſit contra ſuum ſuperiorem defendere religionem gladio p. 625.
Magiſtratibus quæ debeantur a Subditis. Vide *Subditi*.
Mariti officia p. 669. peccata p. 673. non debent

debent esse γυναικομάστιγες pag. 676. vide *Conjuges*.
Martyres p. 33. 39.
Matrimonium contractū & consummatum differunt p. 663. vide *Conjugium*.
Medicamenta proximo debentur p. 211.
Meditatio in Studio Theologico pag. 3. 4. in propædevmatibus p. 288. sqq. in ipsius Theologiæ partibus p. 301. seqq.
Mensura vide *Pondera*.
Menzeri (Balthas.) libellus de conjugio p. 431.
Mercenariorum in sacris infamia pag. 238. audacia p. 343. Mercenarii sive operarii p. 740.
Merces prompte solvenda p 238. 742. etiam ægrotis servis p. 743.
Methodus Studiorum Academicorum p. 533. Theologiæ p. 2. seq. 308. seqq.
Militaris disciplina p. 611.
Ministeriales actus quinam p. 411.
Ministerium verbi pag. 254. est à Christo pag. 552. seq. ejus partes pag. 306. ad Ministerium præparatio pag. 254. Defectus hac in parte p. 263. Motiva p. 265. Media pag. 270. Impedimenta p. 272. Applicatio ad ministerium duplex p. 255. Ministerium malorum 7. 14. 362. Calumniatorum ministerii quomodo curandi p. 11 Cauditatorum minsterii officia vide in *Studios Theolog.* V. T. ministerium cur hæreditarium p. 285. Plura vide titulo sequente.
Ministri Ecclesiæ debent esse *legitimè vocati* p. 330. Peccata in vocatione, admitti solita pag. 335. Motiva exspectandi vocationem p. 335. Media pag. 341. Impedimenta p. 342. Mos veterum, in electione ministrorum p. 345. Specimina edenda ante vocationem 444. seq. Conscientia aptitudinis quid valeat, pag. 348. *Ordinationis* ritu sunt inaugurandi p. 349. Vide *Ordinatio*. Ministrorum officium palmarium *Prædicatio* verbi p. 355. Officia circa prædicationem hanc p. 357. seqq. Peccata 375. Motiva pag. 367. Media p. 368. *Administratio Sacramentorum* ad ministe-

rium Ecclesiæ spectat p. 370. Officia in *Baptismo* pag. 370. Peccata p. 377. Motiva pag. 383. Media pag. 384. Impedimenta pag. 385. Officia circa *Cœnam* p. 386. Maximè ægrotis dandam pag. 391. 392. 466. seqq. Peccata circa cœnæ administrationem pag. 392. seqq. 486. 487. Officia pastoralia circa *elabes cœlorum* pag. 395. seqq. maximè in confessionibus audiendis pag. 400. seq. confessionis sigillum p. 402. 403. Peccata in administratione clavium pag. 405. Motiva rectè agendi p. 406. Officium ministrorum circa *adiaphora* p. 409. Peccata p. 413. seq. Motiva p. 415. Media p. 417. Officia circa *præmia & onera* p. 418. Peccata p. 422. Motiva pag. 424. Media pag. 425. Impedimenta, ibid. Officia in *Copulatione Nœgamorum* p. 428. seqq. Peccata pag. 434. Motiva pag. 438. Officia ministrorum circa *Sepulturam mortuorum* pagina 441. seqq. Peccata pag. 450. Motiva p. 452. Officia ministrorum in *curandis ægrotis* pag. 457. seqq. Parturientibus pag. 463. Viatico ultimo instruendis pag. 466. moribundis pag. 472. Tentatis pag. 478. seqq. Peccata in hâc officiorum classe pag. 486. Motiva pag. 488. Media pag. 490. Impedimenta pag. 493. 494. Officia circa *discessum* ab officio pag. 495. a grege ad gregem p. 497. Peccata pag. 504. Motiva pag. 506. Media p. 507. Impedimenta p. 509. Persecutiones ministrorum unde creantur pag. 502. Næui eorundem non temere fingendi pag. 10. 11. Malorum ministerium pag. 10. 307. currentes ministri pag. 273. Imperiti p. 256.

Ministrorum verbi & virorum θεοπνευστων discrimen p. 310.

Minorennitas p. 126.

Missa abominatio dicitur p. 293.

משפט המלך p. 604.

Mohhæmmedis sententia in se lata pag. 8.

Monstrosi fœtus p. 340.
Moralis Theologiæ varii significatus p. 327. enata ex his varia compendia pag. 327. seq.
Morbus p. 215. indoles varia p. 460. non debet ignorari a pastore ægrotos caraturo p. 457.
Moribundi quinam p. 456. 472. Officia circa eosdem p. 472. seqq.
Morlinus (Joachim 9) p. 504
Morositas p. 248.
Mos ingens malum p. 153. 171. 138.
Multitudo errantium p. 138.
Munera. Vide *Officia*.
Munera i. e. *dona*, sive largitiones notentur passim inter impedimenta Officiorum, maximè Publicorum. Vide *Magistratus*, *Ministeri*, *Pastor*.
Münzerus (Thomas) pag. 8.
Musica in sacris pag. 45. ejus abusus p. 46.
Mutuum p. 239. Officia circa contractum mutui p. *ibid.*

N.

Nævi ministrorum Ecclesiæ ficti & veri pag. 5. 6. Magistratuum tolerandi p. 612. Parentum item p. 728. Proximi p. 220. propriorum memoria p. 252.
Naturalistæ p. 579.
Naturæ lumen p. 61.
Nazianzeni studia Academica p. 267.
Neogamorum copulatio p. p. 430. non est juris divini p. 428. 658. cur ab Ecclesia instituta p. 429. Fructus p. 440. Proclamatio p. 429. Finis ejus p. 430. contradictiones factæ proclamationi aliquid scandali habent pag. 435. Proclamationis terminī non decurtandi *ibid.*
Nestorii lapsus unde p. 286.
Nobilium, qui jus Patronatus habent, officia 566. seqq. Peccata p. 568. Motiva p. 569. Media 570. Nobilium officia unde æstimanda p. 762. Educatio corrupta p. 580. 637. vide *Politici*.
Noribergense territorium quando acceperit ordinationis ritum pag. 350. Constitutiones in terris Noricis de Sepultura Empactarum p. 445.
Nundinæ diebus Dominicis scandalosæ p. 114.
Nuptiæ prohibitæ quænam? p. 431. 656. Secundas circa nuptias officia p. 692. peccata 696. Motiva pag. 697.

Nutricum in educandis pueris vulgare vitium p. 712.

O

Obedientia Parentibus debita pag. 727. Magistratibus p. 624. Pastoribus p. 411. Præceptoribus 532. Obedientia tamen absolutè debetur DEO p. 597. s.
Occupatio justa pag. 590. 592.
Odium Proximi p. 179. Qualitatis Personæ, p. 180. prohibitum p. 182.
Oeconomicarum rerum ratio p. 679.
Officia Hominis renati circa DEUM, proximum, se ipsum, Magistratus, Parentes &c. vide suis locis.
Onerva civilia p. 608. quomodo imponentur p. 609. quibus personis & rebus p. 610. 615. 616. solvenda sunt p. 624. 627.
Operarum locatio p. 257.
Opificum & artificum officia p. 765.
Opum usus p. 217. 228. 230. Officia circa opes p. 226. Peccata p. 227. Motiva p. 228. Media p. 229. Impedimenta p. 230. Vide *Fortunæ bona*.
Oratio Vide *Preces*.
Ordinatio Ministrorum Ecclesiæ p. 349. non est temere negligenda pag. 349. 353. servatur inter Lutheranos p. 349. Praxis Noribergensis Territorii pag. 350. Peccata circa hunc ritum pag. 353. Motiva *ibid.* Media p. 154.
Ordinandi jus habent etiam presbyteri p. 352. 543.
Ordines sacri septem apud Pontificios p 350.
Otium Satanæ pulvinar p. 156.
Ovibus cur Christiani comparentur p. 133.

P.

Pædia in Homileticis p. 361. Regulæ officii Pædevtici p. 362. seqq.
Pædobaptismus p. 18. 22. probatur p. 376.
Panis naturalis p. 386.
Parentum officia p. 702. seqq. peccata p. 205. 719. Motiva p. 720. Media pag. 722. Impedimenta p. 724. Dignitas officii Parentum p. 721. Consensus ad matrimonia liberorum p. 431. 436. 439. p. 656.
Parochiani quinam p. 470. vide *Auditores*.

Par-

Parricidii pœna p. 731.
Parturientes quomodo a Ministris verbi tractandi p. 463. Fontes solatiorum hoc in casu p. 464.
Pastores debent esse vitæ inculpatæ 6. 7. præjudicia adversus eos *ibid.* Salaria eorundem p. 238. vide *Minister Verbi.* Potestas eorundem pag. 543. partes officii Pastoralis apud Protestantes p. 549. 552. seq
Patria potestas, in quo fundetur p. 710.
Patris auctoritas prævalet matris p. 728
Patriarcharum opus præcipuum informatio posteritatis p. 720.
Patronatus jura quando cœperint pag. 566. quid sint? *ibid.* Nomen unde ortum? p. 567. quibus modis acquirantur? *ib.* quomodo perdantur p. 570.
Patronorum officia p. 567. peccata p. 568. Motiva p. 569.
Pauli Apostoli studia p. 285. 294.
Pax Christi p. 166.
Peccata remittere potest solus Deus p. 539. 407. sed mediatè remissionis annunciationem exercet, *ib.* Annunciatio duplex p. 396. quibus retinenda p. 399. quibus remittenda p. 397. enumeratio peccatorum p. 402. Peccatum in Spiritum S. p. 56.
Peccatorum occultorum detectio p. 201.
Pecunia probata pag. 234. adulterina. 235.
Persecutiones personales p. 502. earum exempla pag. 503. seq.
Perfectio in vita sancta. pag. 138.
Persecutorum mores p. 37.
Philautia p. 66. 88. in aulis excellit p. 128. Comparanda vesicæ p. 187. Turpitudo ejus p. 200. 288. 493. cura p. 66. 117.
Philologiæ in Theologicis usus p. 295.
Philosophiæ in Theologia usus p. 290. 294. 296. abusus p. 293.
Pie defuncti quinam dici soleant p. 442.
Pietas p. 576. incrementa ejus p. 556. in studio Theologico p. 287. in Magistratu civili p. 576. ejus cultus in Academiis & Scholis non negligendus p. 526. 527. in

Concionatoribus profi-cua p. 363.
Pietas liberorum in parentes p 725.
Pignus quid & quotuplex p. 242. Contractus pignoris *ibid.*
Pigritia docentium p. 524.
Pirckheimerianæ conjugis epitaphium p. 682.
Pœnæ leviores sæpius plus scandali habent, quam nullæ p. 559.
Pœnæ ministrorum delinquentium p. 503. 547. in Academiis p. 522.
Pœnitentia p. 399. Ecclesiastica p. 397.
Polemica vide *Theologia*.
Politici pag. 580. 637. Speculativi p. 587. consilia eorum p. 634. debent tractare verbum Dei p. 8. vide *Consiliarii Nobiles*.
Polygamia p. 694.
Pondera & Mensuræ p. 233. 235.
Pontificis potestas a Magistratibus civilibus est p. 541. 542. 563.
Pontificii Justitiam operum erigunt pag 205. Baptismus conditionatus pag. 378. inanimatorum p. 382. Flagellationes pag. 145. præjudicia de Scripturis divinis pag. 5. cultus sanctorum p. 50. 84. Ordines sacri septem pag. 350. seq. deficiunt a veterum sacerdotum officiis pag. 352. excommunicatio pag. 404. Superstitiones pontificiæ pag. 52. 59. 155. juramenta per creaturas pag. 75. errores de votis p. 87. de Matrimonio p. 431. 436.
Postilla p. 305. eorum abusus p. 306.
Possibile pag. 82.
Potestas jurisdictionis quid Luthero? p. 543.
Practici scriptores pag. 271. eorum usus *ibid.*
Præcepta nonum & decimum p. 218. quarti vindiciæ pag. 538. De reliquis præceptis evolve loca ex Exodi capite XX. illustrata.
Præceptores p. 516. Officia pag. 517. seqq. Peccata 522. Motiva p. 529. Media 531.
Prædicantes quinam? pag. 344. 355. Pontificiis inhoneste habentur p. 356. sunt successores in officiis Apostolicis, non sacrificuli p. 357.
Præmia ministris verbi debita quanta? p. 419. vide *Minister Verbi*.

Præparatio ad Ministerium, Magistratum, & similia officia. vide suis locis.
Preces necessariæ p. 2. 274. 276. 127. arma Ecclesiæ p. 40. Medicina optima p. 211. ignitæ seculi nostri p. 279. Precum torpor pagina 275. formulæ in studio Theol. p. 278. Media ad orandi studium facientia p. 277.
Probabilitas Jesuitica pag. 612.
Professus Juris p. 605. 614.
Proclamatio vide *Neogami*.
Proditores patriæ p. 626.
Professores p. 516.
Promotiones Pastorum pag. 504. 505.
Προσωποληψία p. 614.
Protestantes, vide *Evangelici*.
Proximus p. 173. ejus dilectio p. 174. informatio p. 192. Officia ei debita circa animam p. 191. peccata p. 193. Motiva p. 196. Media p. 198. Impedimenta pag. 199. Officia circa bona proximi supernaturalia pag. 202. Peccata p. 204. Motiva p. 206. Media p. 208. Impedimenta *ibid.* Officia circa proximi Corpus p. 210. peccata p. 211. Motiva p. 214. Media p. 216. Impedimenta *ib.* Officia circa proximi famam p. 218. peccata pag. 220. Motiva p. 222. Media p. 223. Impedimenta p. 224. Officia circa opes proximi p. 226. peccata pag. 227. Motiva p. 228. Media p. 229. Impedimenta p. 230.
Prudentia p. 578.
Psalmi Davidis p. 44. 45.
Pueris excandescentia frequens p. 712.
Puffendorffii (Samuel.) introductio in Historiam Regnorum Europæ p. 631.

R

Rabulistica p. 640. seqq.
Ratio status p. 565.
Reformatorum particularismus impedit conceptionem fidei specialis p. 205.
Religio vera p. 599. falsa p. 601. diversæ num tolerandæ pag. 600. mutatio Religionum pag. 35. Religio cogi non potest pag. 599. in quantum possit a Magistratu propagari *ibid.*
Revelationes immediatæ a quibus jactentur p. 7. non

non debent exspectari a Ministris verbi p. 359.
Reversales a Patronis postulari quales possint. pag. 569.
Rhetoricæ usus in Theologia p. 190.
Ritus sacri non sunt contemnendi p. 413. fiunt aliquando necessarii p. 416. unde discendi p. 326. 417. vide *Adiaphora*.
Rudolphi Imperatoris verbum de Coronæ onere p. 595.
Rusticitas p. 249.

S.

Sabbathi origo p. 101. Judaicum magno honore sepultum p. 102. Christianorum *ibid.* Exercitia Sabbathica veterum die solis pag. 103. 104. 111. Quibus ab operibus quiescendum Sabbatho p. 105 s. cur Sabbathi celebratio ad cultum Dei externum referatur pag. 100 Præceptum de Sabatho p. 101. 103. æquitas naturalis pag. 108. Socinianorum præjudicium de Sabbatho p. 115. Peccata contra hoc præceptum p. 105. s. Motiva p. 108. s. Media p. 110. seqq. Impedimenta p. 114. seqq.
Sacerdotium V. T. cur hæreditarium p. 285.
Sacramenta p. 17. 24. seq.
Sacrificati p. 37.
Sævitia conjugum p. 695.
Salaria ministrorum Ecclesiæ pag. 238. 419. 420. non sunt malis artibus quærenda p. 420. 423. Officia huc pertinentia, vide in *Ministr. Verbi.*
Salus publica p. 602. quomodo procuranda p. 634.
Scandalum p. 194. 207. 269. 397.
Scholarum dignitas p. 530. status hodiernus p. 730.
Scriptura Sacra non est obscura p. 5. ejus Scrutinium p. 3. 4. 15. 16. quomodo instituendum p. 42. 310. Motiva p. 15. 63. 64. Est cognoscendi principium in Theologicis p. 309. ejus Amplitudo pag. 14. seq. alia continet expresse, alia per consequentiam p. 318. Perceptio duplex historica & salvifica p. 13. quomodo explicanda p. 359.
Scripturisticus stilus quomodo acquirendus p. 313.
Scurrilitas p. 248.
Seculares, vide *Poltici.*
Sedes doctrinarum p. 317.
Seditiosorum mors infamis

mis p. 627.
Senum officia p. 762.
Separatio quoad torum & mensem p. 688. ejus finis p. 991.
Sepultura p. 442. honesta p. 443. solennis *ibid.* Humana p. 444. canina vel Asinina *ibid.* nemini Sepultura neganda sine causæ cognitione *ibid.* ne schismaticis quidem pag. 443. sepultura in quantum sit juris divini p. 451. Tempus sepulturæ varium p. 446. Peccata circa hoc officium p. 450. vide *Minister verbi.*
Servorum discrimen p. 746. animata instrumenta pag. 747. contubernales humiles p. 749. Servorum officia p. 750. Peccata p. 754. Motiva p. 757. Media 759. Impedimenta *ibid.*
Servitutis origo p. 737. 740.
Sigillum confessionis p. 402. 403. culpa gravis violati Sigilli p. 406.
Simon Magus & Simonia. p. 63.
Simplicitas a Ruditate differt p. 16.
Singularitas quid p. 62. ejus effectus p. 169. discrimen p. 171.
Sodalitium in Academiis p. 268. 273. 288.
Solatiorum Scriptores p. 490.
Sors in contractu mutui p. 240.
Sponsalia p. 656. per deceptionem inita p. 662. cum pluribus contracta p. 665.
Studiorum Academicorum Methodus. vide *Methodus.* Studium Theologicum non debet temerè deseri p. 496. Adplicatio ad Studium Theologicum p. 256.
Studiosorum Leges non scriptæ p. 738 eorum Officia vide *Auditores.*
Studiosorum Theologiæ dona naturalia p. 279. Inclinatio naturalis. *ibid.* exercitia pietatis p. 256. seqq. Collegia & Exercitia Studiorum p. 296. 299. 307. seqq Modestia in Heterodoxorum libris evolvendis p. 260. seqq. conciones illorum qualem vocationem supponant p. 335. Peccata varia pag. 265. 292. exercitia profana p. 140. Præparatio ad ministerium quibus motivis nitatur p. 268.

p. 265. Exemplum Basilii & Nazianzeni pag. 267. 268. Adminicula Studii Theologici pag. 289. seqq. Media p. 296. 307. seqq.
Σπερμὴ quid p. 720. qualis debeat esse in parentes pag. 729. qualis parentum in filios p. 721.
Subditi non unius generis p. 611. Officia p. 622. impia mandata Magistratuum quomodo declinare debeant pag. 598. 622. Peccata varia pag. 624. seqq. Motiva pag. 627. Media 628. impedimenta p. 629.
Successio p. 590. 592.
Superintendentia p. 255.
Superintendentes quinam p. 550. 551. constituuntur immediate a principibus & statibus, quibus Jus Episcopale competit p. 551. Jurisdictio Episcopalis non tam penes eos est, quàm penes Consistorium *ibid.*
Superstitio quomodo sit religionis excessus p. 51. 579.
Suspectos de crimine quomodo debeat tractare minister verbi pag. 398.
Suum cuique tribuere quid sit? p. 607.
Symbolici libri p. 571.

T.

Taciturnitas p. 523. Consiliarios decet pag. 636. confessariorum, vide *Sigillum Confessionis*. Famulorum p. 753.
Te Deum Laudamus, quem habeat auctorem p. 45.
Temperantia p. 262.
Temporalis miseria & vanitas p. 483. seqq.
Tentatio multiplex p. 457. origo varia p. 480. in studio Theologico p. 5.
Tentati quomodo tractandi a ministris verbi p. 478. vide *Minister verbi.*
Terminorum Theologicorum usus p. 316.
Testimonium falsum p. 220. 221.
Textus Concionum funebr. p. 448.
Theologia Revelata p. 302. ejus divisio *ibid. Positiva & catechetica* p. 302. *Exegetica* p. 303. *Homiletica. ibid* differentia Homileticæ pag. 321. Officia Homileticorum pag. 322. *Moralis* p. 303. 327. seqq. *Casuistica* p. 303. *Historica* p. 304.

p. 304. 325. *Polemica*. 304. 305. ejus Necesſitas p. 322. abuſus p. 324.
Theologia eſt habitus Practicus p. 270. peritia Theologica triplex pag. 291.
Theologiæ & Scripturæ Sacræ idem finis p. 321.
Theologiæ compendia pag. 308. ſeq accuratior tractatio Theologiæ pag. 315. Termini Theologici p. 316. Theſes ſingulæ Theologicæ ex Scripturis probandæ p. 317.
Thomaſii (Jacobi) diſſertationes de Stoica mundi exuſtione p. 249.
Thuriferuli quinam pag. 37.
Timiditas p. 215.
Traditores quinam veteribus dicti p. 38.
Tributa p. 608. vide *onera civilia*.
Trinitatis myſterium in Scripturis expreſſe habetur p. 318.

V.

Valetudinis cura p. 145.
Vaticinia diabolica pag. 54.
Venditio. vide *Emtio*.
Verberibus pueri, non uxores caſtigari debent p. 677. 715. 716.
Verbum Dei. vide Scriptura. Ejus uſus p. 136.
Verſio Germanica Lutheri p. 312.
Veſtitus p. 143. peccata p. 145. vide *Luxus*.
Viduarum cauſſæ p. 107. officia pag. 698. Peccata pag. 700. Motiva *ibid.* Media p. 701.
Viduitas unde dicta pag. 701.
Vinculum conjugiale. vide *Conjugium*.
Vinum naturale p. 387.
Virginum Officia p. 760. 762.
Virtutes Theologicæ & Ethicæ differunt p. 711. Moralium finis pag. 121. Virtutes humanæ pag. 192. 193. Homileticæ p. 246. ſeq. Vitia Homileticis virtutibus oppoſita pag. 247. Motiva p. 249. Media pag. 251. Impedimenta p. 252.
Virtutum in ſtudio æmulatio honeſta p. 515.
Viſitationis Eccleſiaſticæ p. 545. non ſunt intermittendæ p. 546.
Vitæ ſanctæ perfectio pag. 138. 139.

Uladislai, Poloniæ & Hungariæ Regis perjurium p. 77.
Unio Hypostatica quomodo demonstrari possit ex scripturis p. 318. seq.
Vocandi jus competit Ecclesiæ toti p. 332. exercitium personis certis demandatur p. 333. praxis Ecclesiarum Aug. Confessioni addictarum. p. 324.
Vocatio Naturalis p. 121. non negligenda p. 122. 279. 283. Vocatio privata vel Charitatis p. 335. Vocatio divina duplex p. 332. Vocatio specialis p. 330. Legitima est necessaria ministro Ecclesiæ p. 331. 338. dissensus plebis quando impedire possit vocationem p. 336. Officia ministrorum Ecclesiæ circa vocationis susceptionem p. 331. seqq. Peccata p. 335. seqq. Motiva p. 338. seqq. Media pag. 341. Impedimenta pag. 342. Vocatio divina Magistratuum pag. 538. seqq.
Voluptatum culpa & pœna p. 155.
Votum Religiosum p. 81. objectum ejus p. 82. Requisita materiæ pag. 82. 83. Finis p. 83. Monastica vota p. 84. Valida vota quænam p. 85. Conditionata tutissima p. 87. non habent in N. T. mandatum, imo vix exemplum probatum p. 85. Officia circa votum p. 81. peccata p. 84. Motiva p. 85. Media pag. 86. Impedimenta p. 87. Dispensatio veterum p. 85. 87.
Urbanitas p. 247.
Usura p. 239. seq.
Usus potior præceptis p. 493.

VV.

VValdenses an omnia juramenta absolutè improbarint p. 72.
Weise Frauen undenam dictæ p. 53.

Er-

Errata Typographica exstantiora.

In supplementis.

Pag.	lin.	legatur
2	1	*collata*
9	20	*Nebat*
21	23	*Christianismi*
22	19	*corallia*
24	2	*Triphyllo*
25	27	*Inauitionem*
70	21	*quem*
91	21	*modicorum*
117	7	*itidem*
123	17	*Origenes*
136	5	*neglectu*
	27	*Est verò*
153	7	*iis*
156	17	*rivo*
	19	*finem qui quæris.*
211	3	*MORBUM*
219	21	*STATUI*
301	11	*ratio non*
305	ult.	*voces*
313	4	*minutulo*
321	24	*dicendi*
326	12	*seculi*
328	14	*voluerat*
	17	*strictissimè*
332	11	*munus*
346	10	*citra atræ*
350	1	*territorii*
353	8	*Art. 10.*
354	3	*Commoveantur.*
356	12, 15	*II. Tim. III.*
357	1	*Apostolici*
359	21	*pia&perpetua*
360	17	*dogmata*
362	7	*præstandi*
	antepen.	*illotis.*
367	8	*Mat. XXIIX. 19 20.*
371	12	Jahre Messe
377	27	*Neophytorum*
387	11	*dilutum*
406	9	*in sepulchrum*
456	4	*dilute*
458	5	*Legis*
468	1	νῦν. ἐξοδένοι. τȣ̃.
	2	ἀναγκαιοτάτȣ. μὴ.
479	9	*loca*
581	19, 20	*propterea quot nolimus exui sed*
484	1	*Nullus*
587	7	*quia*
	8	*principiis*
489	17	*ursit B.*
519	7	*similibus & Exemplis.*

ERRATA.

Pag.	lin.	legatur
556	4	*parentum.*
562	1	*vitæ*
563	11	*Episcopatus*
570	32	*fusè*
575	8	*Dev. l. v. 17.*
577	23	חסר ומשפט
582	10	*Heizo*
608	pen.	משצט המלך
609	8	*vocis*
	16	*Wandalino*
624	6	*Rom. XIII, 6*
645	2	καεδιογνώςαι
662	20	*compressiones*

Pag.	lin.	legatur.
669	13	*monito*
681	13	*nesciunt*
685	19	*non sint.*
697	19	*ferre possunt illas.*
729	2	*Quid? ipsæ*
735	8	בשלוטה הוי
743	11	*sicut leo in domo*
753	19	*nullo modo*
759	13	*personam, sed qui sibi*

Præterea notandum, in Numeris paginarum bis peccatum fuisse. *Semel*, ubi paginæ signandæ fuissent numeris 209. 210. perperam habentur numeri 205. 206. *Deinde* ubi paginarum numerus esse debuerat, 505. seqq. usque ad p. 521. vitiosè comparent numeri 405. seqq. Reliqua errata, si qua supersunt, Benevolus Lector ipse pro sua dexteritate facile emendabit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0810
DFG

In Compendium ipsum Morale
B. D. BAIERI
INDEX PRIOR,
exhibens
LOCA S. SCRIPTVRÆ,
quæ Vir beatus in Notis suis ad pag. 455. usque se extendentibus, hinc inde illustravit.

Cap.	vers.	Pag.
EXOD.		
XX	3	292
LEVIT.		
XIIX	18	165
DEVTER.		
VI	5	315. 317
PSALM.		
I	2. 3	278. seq.
XIV	4	400
XXXII	5	226
XXXIV	9	326
L	16	452
LI	19	219
PSALM.		
LIII	4	400
LXIX	12	201
LXXIII	3	61
CXII	3	52
CXLIII	3	40
PROVERB.		
X	15	29
	23	204
XII	15	175
XV	15	50
XXIX	18	452
JEREM.		
IX	5	198
MATTH.		
V	6	222
VI	33	397
LUC.		
I	74. seq.	363
	13	372
	17	376
	25. seq.	321

Cap.	Vers.	pap.
IIX	11. 15	11
	JOHAN.	
IV	23. seq.	397
V	39	442
VI	37	222
XI	33	91
	ACTOR.	
III	19	239
	ROMAN.	
II	7	7
	9	60
VII	17	75
	14	82. seq.
	24	81
IIX	7	74
XII	1	197
XIII	5	154
XIV	5	157
	I. CORINTH.	
III	8	8
IV	3	48
XIII	ult.	323
XVI	22	336
	II. CORINTH.	
III	6	310
IV	17	385 387
VI	16	37
	GALAT.	
II	20	34
V	17	81
	24	242
	EPHES.	
III	16	88
	17	35
	19	180
	20	404
IV	19	235
	23	67
	24	32 67
	PHILIPP.	
I	10	173
	11	197
	COLOSS.	
III	10	32
	I. THESS.	
V	23	68
	I. TIMOTH.	
II	1	396. 399
IV	8	7
	TIT.	
II	12	206
III	5	12
	EBRÆOR.	
V	14	178
XII	10	32
	14	7

JACOB

JACOB.		
Cap.	verſ.	Pag.
III.	17	186
V.	13	393
	16	39
I. PETR.		
II	5	38
	21	34

Cap.	Verſ.	Pag.
II. PETR.		
I	5	180
I. JOHANN.		
I	7. 8	49
III	19	48
	21	239
	23	305



INDEX POSTERIOR
Rerum & verborum
in
COMPEND. THEOL. MORAL. BAJERIANUM.

A.

Abnegatio sui in veteri lege præscripta p.144
Actiones hominis Christiani internæ p.13. externæ p. 14. Actiones sanctæ sunt media ad sanctimoniam habitualem p. 109. 128. Materiale actionum sanctarum p.110. Formale p. 113. Objecta actionum p. 111. Norma p. 114. Externæ actiones sunt proæretica p. 112. Actiones Renatorum in individuo consideratæ omnes vel sunt bonæ, vel malæ, nullæ indifferentes p. 123. pendent à viribus supernaturalibus p.124. earū amplitudo p.126.
Ætatis differentia in Moralibus sacris p.97
Affectus in renatis p. 89. eos non tollit, sed dirigit Theologia Moralis p.92. Affectuum nomine aliquando veniunt motus peccaminosi p. 93. aliquando motus boni p.94.
Agnitio DEI p.263.268 explicita p.269. Supernaturalis p. 272. Trinitatis p.270. attributorum *ibid.* Operum & beneficiorum p.271. præceptorum divinorum p. *ibid.* Agnitioni contraria vitia p.272. Motiva 274. Media 278. impedimenta p. 280. seqq. Signa p.384.
Amor complacentiæ & benevolentiæ p.313.
Amor Christi p.332. opposita peccata p. 333. Motiva p.334. Media p.336.

p. 336. impedimenta p. 337. Signa p. 338. Dei p. 263. 313. Peccata oppoſita p. 318. Amor apoſtatic9 p. 320 Motiva p. 325. Impedimenta p. 326. ſeqq. Signa p. 329.
Aſtutia p. 192.
Atheiſmus p. 187. 188. 277
Auditor idoneus Theologiæ p. 22. ſeqq.

B.

Beatitudinis præmia accidentalia conferuntur intuitu Operũ p. 7.
Bona precibus impetrabilia p. 405. ſeq.
Bonum naſcitur ex integra cauſa p. 116.

C.

Calliditas p. 194.
Canones œcumenici p. 150. particularium Eccleſiarum p. 151.
Carnales quinã? p. 82. 84.
Caro quid? p. 70. variæ ſignificationes Carnis p. 71. Caro quid in intellectu p. 73. involuntate. p. 74. in appetitu ſenſitivo p. 75.
Caſus conſcientiæ p. 177. cur ad Moral. Theol. referantur p. 4. 177.
Chriſtianorum differentiæ variæ externæ p. 99. 100.
Chriſtus quomodo habitet in fidelibus p. 33. Spiritu infremuit p. 91. non eſt novus legislator p. 132. 147.
Circumſtantiæ actionũ quid poſſint? p. 121. ſ.
Concluſiones in Theol. Morali p. 19. earum certitudo p. 20.
Confeſſio fraterna p. 229 peccatorum. p. 2. 4. coram miniſtro Eccleſiæ p. 229.
Confeſſio fidei p. 264.
Conjugium cum defunctæ uxoris ſorore p. 165.
Conſcientiæ vox p. 158. 159. varia nomina p. 157. ſignificatus diverſi p. 159. Practica p. 151. variæ diviſiones p. 160. recta p. 161.

erronea p. 160. 162. certa p. 162. opinativa p. 162. 164. scrupulosa p. 165. dubia p. 166. norma proxima Actionum p. 114. Obligatio activa & passiva p. 167. Obligatio certæ & rectæ p. 167. erroneæ. p. 169. Opinativæ p. 169. Scrupulosæ p. 175.
Conscientia speculativa p. 158. bona p. 45. effectus ejus p. 47. mala p. 58. seq. examen conscientiæ p. 216.
Consilia Evangelica p. 155. 156.
Corpora renatorum, templa Spir. S. p. 69.
Creatura nova p. 65.
Crux quotuplex p. 52. 380. arcana crucis p. 386.
Cultus DEI interni partes p. 263. externi cultus p. 264.

D

Dancken unde derivetur p. 421.
Decalogus adæquatè agenda continet p. 15. non tamen penitus Evangelio excluso p. 18. 141. ratio rectè explicandi præcepta p. 15. 16. 142. 145. Obligandi vis p. 143.
Dei sanctitas quod notet? p. 31. Deus colendus etiam sine spe mercedis p. 25. *Deo bonum velle* non possunt dici creaturæ, p. 317. Dei Timor, Amor, Invocatio &c. vide suis locis.
Diaboli operatio in filiis iræ p. 56. seq.
Didymi Alexandrini Cœci profect9 p. 279.
Dilectio Dei. vide *Amor*.
Diligere minus est quàm amare secundum Vallam p. 314.
Dispensationis & tolerantiæ Discrimẽ p. 135.
Displicere multis est donum Christi p. 53.
Dolor de peccatis admis-

missis p. 218. est de ratione formali pœnitentiæ p. 232.
Ἀυσνόησια Scripturæ p. 445.

E

Ecclesiastic9 status quas habeat personas p. 103. Ecclesiasticæ Leges p. 149.
Ἐνέργεια quid in Philosophorum Scholis p. 30.
Ethnici vide *Gentiles*.
Evangelium a Moralibus non debet excludi p. 18. Lex tamen Evangelica propriè nulla est p. 147. Consilia Evangelia p. 155. 156.
Examen Conscientiæ p. 216.

F.

Fideles cur Sancti? p. 31. in iis quomodo habitet Christus p. 33. 35. quomodo sint Templum Spiritus S. p. 37. Sacerdotium Fidelium p. 38.
Fides generalis p. 268. Specialis pag. 301. supernaturalis unde cognosci possit p. 312. pœnitentium p. 221. in Christum p. 263. Fidei specialis opposita p. 304. Motiva p. 305. Media p. 306. Impedimenta p. 308. seqq. Signa *ibid.*
Fiducia in Deum p. 263. 339. opposita peccata 341. Motiva p. 344. Media p. 348. Impedimenta 349. 350. Signa p. 351.
Finis considerari num debeat primum in Morali Theologia? p. 24. seq.
Fraterna Confessio p. 229. correptio. p. 119.

G

Gentilium virtutes p. 43. motus Heroici p. 45. testimonia possunt usurpari p. 27. Honesti magis, quàm sancti p. 44. Vide Paganismus.
Gentium jus p. 151.

Glorificatio divini Nominis p. 264.
Gnosis & Gnostici p.185.
De Gradibus affinitatis & consangvinitatis prohibitis p.141.
Gratiarum actio p. 263. 417. Oppositа peccata p.423. Motiva p. 425. Media p. 430. Impedimenta p. 433. ratio removendi eadem p. 435. Signa p. 436.

H.

Hæreseon infamia p. 277.
Heroici motus Gentilium p.45.
Hierarchici status p.102.
Homo vetus p. 85. novus p. 86. internus, externus p.87.

J.

Jaculatoriæ orationes p.411.
Jejunium p. 264.
Jenensis Academiæ fundator p.121.
Jesuitarum probabilitas p.20. 174. ipsis pontificiis improbata p.21
Ignorantia in religione p.187.
Imitatio Christi etiam in decalogo præcepta p.146.
Infantes non sunt subjectum operationis in Theol. Moral. p. 97.
Informatio puerorum non est hæreticis committenda p. 119.
Inimicum pascere p.120.
Invocatio DEI p. 263. mentalis p. 395. peccata opposita p. 399. Motiva p.402. Media p.408. Impedimenta p.411.414. signa p.415.
Ira p.93.
Judaismus p. 187.188.
Junii (Franciſci) seductio p. 293.
Juramentum religiosum p. 264.
Jus naturæ à Theologia Morali differt p. 15. 20. vide Lex naturæ. Jus Gentium p. 151. Positivum humanum p. 152. Divinum

num p. 147. vide *Lex.*

K.

Καθῆκον quid? p. 258.

Κατόρθωμα p. 259.

L.

Lactatio filiorum decet matres p. 119.

Lex Naturæ quid. p. 132. est immutabilis p. 133. indispensabilis p. 134. ejus promulgatio p. 136. notitia ejus est indelebilis certo sensu p. 139. ejus sensus unde æstimandus p. 141. non est formale objectum Theol. Moral. p. 15.

Lex Moralis, Mosaica vide *Decalogus.* Novam non tulit Christus p. 132. 145. 147. Moralis positivæ quorundam p. 147.

Lex divina quid? p. 130. quomodo spectet Renatos p. 131. Positivæ N. T. p. 147.

Leges humanæ quomodo sint regulæ actionum p. 17. 148. Ecclesiasticæ p. 149. Politicæ p. 151.

Lucta carnis & Spiritus p. 80.

Lutherus in Reformationis negotio conscientiam certam est secutus p. 172.

M.

Mariæ invocatio p. 400.

Mauritii Imperatoris patientia p. 256.

Mediorum conditiones tres p. 128. 129.

Membra corporis quomodo pertineant ad Theol. Moral. p. 68.

Mollities p. 382.

Moralis Theolog. quid? p. 1. 21. quomodo peculiaris Theologiæ pars p. 3. differt à prudentia Christiana p. 4. Methodus p. 5. cur à fine incipiat p. 24. finis internus p. 5. externus ultimus p. 6. intermedius p. 9. subjectum operationis quale p. 9. 10. 94. seq. Objectum formale p. 14. 26.

14. 26. cur non jus naturæ? p. 18. Conclusiones p. 19. earum certitudo p. 20. Partes Theol. Moral. p. 22. Auditor idoneus p. 22.
Moralistæ in quantum casus conscientiæ tractent? p. 4.
Mores quid p. 1. 2. non competunt beatis p. 2 Renatorum directè soli pertinent ad Theol. Moralem p. 3.
Muhammedismus p. 187. 188. 277.
Multitudo peccantium p. 254.
Mutatio objecti & Legis non debet confundi p. 134.

N.

Naturæ Lex vide *Lex*.
Naturalismus p. 187. 188. 304.
Norma actionum Christianarum p. 114. 130. seqq. non solùm actionis objectum p. 115. Sed circumstantiæ etiam reliquæ *ibid.* maximè finis p. 116. seqq.

O

Obedientia Deo præstanda p. 263. 360. opposita peccata p. 364. Motiva 367. Media p. 369. Impedimenta p. 371. 373. Signa p. 374.
Objecta in actionibus normandis p. 115. 116.
Obligatio activa, passiva p. 167. Positiva, negativa p. 170.
Obsessio Spiritualis p. 56. 57.
Odium abominationis p. 319. inimicitiæ p. 320
Oeconomici status latifundium p. 105. seq.
Officia Christianorum p. 257. eorum classes tres p. 260. circa DEUM p. 262. in cultu interno p. 263 externo 264. Circa ipsum hominem p. 265. circa proximum p. 266.
Operum bonorum studium

dium intuitu vitæ æternæ p. 7. pro inæqualitate eorum præmia inæqualia *ibid.*
Origenes seipsum castrando peccavit p. 170.

P

Paganismus p. 187. 188. 277.
Patientia p. 263. 379. peccata opp. sita p. 382. Motiva p. 384. Media p. 388. Impedimenta 390. 391. Signa p. 392.
Peccantium multitudo p. 254.
Peccatum habere & facere differunt p. 65. Agnitio peccatorum p. 216. dolor de admissis p. 218. Confessio p. 224. seqq.
Perfectio fidelium p. 39. est inæqualis p. 42. ratione Graduum p. 39. perfectio ratione partium p. 41.
Philosophorum Gentilium doctrina de Summo bono morali p. 30 vide *Gentiles*.
Pœnitentia p. 212. ejus objectum p. 214. partes p. 214. 215. nova obedientia à pœnitentia seria nunquam separata est p. 215. 216. Agnitio peccatorum p. 216. dolor p. 218. Fides p. 221. propositum emendationis p. 223. Exercitium pœnitentiæ periodicum p. 229. quotidianum *ibid.* Oppositæ pœnitentiæ p. 233. Motiva generalia p. 236. Specialia p. 241. quotidianæ pœnitentiæ p. 242. Media p. 244. Impedimenta p. 249. ratio movendi eadem dem p. 252. Signa p. 255.
Pœnitentibus immissæ pœnæ non sunt proprie tales p. 200.
Politici Status latifundium p. 104. 105.
Πονηρία pejor quàm κακία

xia p.198.
Pontificii mendacia prædicant in Dei nomine p.446.
Preces vide *Invocatio.*
Probabilitas Jesuitarum p.20.21. 174.
Probatio vide *Examen.*
Promulgatio Legis Naturæ p. 137.
Propositum emendationis à pœnitentia distingvitur p.215. partes ejus p.223.
Prudentia Christiana communis & propria p.4. 189. seqq. Oppositа p.192. Nexus inter virtutem Moralem & Prudentiam p. 197.
Purgatio mentis p. 280.

R.

Religio duobus constat secundum Cyrillum p.269.
Reverentia Dei. Vide *Timor.*

S.

Sabbathi celebratio. p. 264.
Sacerdotium fidelium p.38.
Sacramentorum usus N. T. lege positiva constat p. 147.
Sacrificia fideliũ. p.38.39
Sanctitas vitæ. vide *Vita Sancta.* Sanctitas imputata p.42.
Scientia Christiana p.185. viva & efficax p.187. oppositа p. 187. mere naturalis p. 189.
Scripturæ S. Lectio p. 448. utilitas p. 278. 285. δυσνόητα p. 445. vide *verbum Dei.*
Servi auris perforata p. 363.
Sexus differentia in moralibus negotiis p.98.
Signa virtutum p. 199. vitiorum p. 202. *Agnitionis Dei Amoris, Timoris, invocationis &c.* vide suis locis.
Spes bonorum divinitus collatorum p.263.353. peccata oppositа p. 356. Motiva. pag. 358.

Media,

Media, Impedimenta, signa p.360.
Spiritualis quisnam dicatur p. 82. 84.
Spiritus & anima quid *I. Thess. V, v. 23?* p.68.
Spiritus variæ notiones p. 77. Spiritus in renatorum intellectu p.77. voluntate p. 79. Lucta Spiritus adversus carnem p.80.
Subjectum operationis in Theologia Morali p.9.10.p. 64. s.ad 107.
Summum Bonum Morale Philosophorum p.30.
Status in Ecclesia Hierarchici p.101.
Stultitia p.192.
Syncretistarum calliditas p.194.

T.

Templum V. T. p. 37. Spiritus Sancti sunt Fideles *ibid.*
Tentatis non debent subtrahi solatia Scripturæ p. 286.
Timiditas p. 383.
Timor Dei p.263. ejus indoles p.287. servilis & filialis p. 290. Timor & obedientia differunt p. 289. Timoris Dei oppositа p. 290. seqq. Motiva p. 293. Media p. 295. Impedimenta p. 296. ratiõ removendi eadem p. 299. Signa p.300.
Tutior pars, quænam? p. 173.

V.

Verbum Dei, organum fidei excitandæ p. 306 ejus usus externus p. 264. 438. in quo consistat p. 439. oppositа peccata p.443. Motiva p. 447. Media p.454.
Vetus homo vid. *Homo.*
Virtutes Morales & Theologicæ à pontificiis distingvuntur. 183. Dirigentes & Directæ p.183.184.
Virtutes *intellectuales* p. 184. Scientia Christiana p. 135. Prudentia p.189.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0823
DFG

p. 189. *Moralis*. Christiana Virtus p. 194. dispositio potius, quàm habitus in rigore sic dictus p. 195. ejus nexus cum Prudentia p. 197. Oppositum Virtutis Moralis p. 197. Signa adquisitæ virtutis moralis p. 199. Divisio virtutis Moralis 205. Omnes habet, qui unam habet p. 206. sunt amissibiles p. 208.

Virtus Christiana est homini renato necessaria p. 178. ejus causa efficiens p. 179. Subjectum, Objectum forma, finis p. 180. seq.

Divisio ratione subjecti p. 82.

Vita Sancta finis Theol. Moral. p. 9. principia ejus ex parte Dei p. 11. hominis p. 12. in quo consistat p. 29. cur sancta dicatur p. 30. Dignitas 25. differentia ab honestate Gentilium p. 43. Perfectio p. 39. Concomitantia quænam? p. 45. 49. 51. Oppositum p. 54. Oppositi Concomitantia. p. 58. 61.

Vitium Morale p. 197. ejus signa p. 202. excludit totam sanctimoniam p. 209.

Unio fidelium cum Christo p. 35.

FINIS.

s κατ' ἄνθρωπον dispu-
ræstat.

sive TORRES, Complu-
Theologiam Moralem &
annos docuit, & in Com-
cathedræ ad 30. annos
ı præfuit, apud S. Inqui-
alificatoris insuper mu-
xspiravit d. 13. Febr. 1635.
mam commentatus est,
ecundam secundæ D. Tho-
tate & Prudentia. Lugd.
ue est *Summæ Theologi-*
s II. prodiit Lugduni 1634.

VIBALDUS, Toletanus,
ı S. Clementis Hispano-
iæ Professor, inter alia
am moralem. Venet. 1602.

IA, ex Victoria, urbe
Pinciæ primum, mox Sal-
rofitetur, primus omni-
Scholasticam Theolo-
Thomæ inculcaverunt.
ipsius *Vasæus* Chro-
Melchior Canus LL. Theo-
V. *Bartholomæus de Me-*
in Thomam Commenta-
Enchiridii cap. I. n. 38. &
Marieta libr. XXI. Hist.
z Hist. Ord. Prædicato-
h 3 rum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821368788/phys_0829
DFG